KIMCHIUS
IN
JESAIAM

Πάντα δοκιμάζετε· τὸ καλὸν κατέχετε.
Omnia perpendite, quod bonum eſt retinete.
I. ad Theſſal. 5. v. 21.

RAB. DAVIDIS KIMCHII
COMMENTARII IN
JESAIAM PROPHETAM

QUOS EX HEBRAEO IN LATINUM IDIOMA
VERTEBAT, NOTULISQUE ILLUSTRABAT

CAESAR MALANIMEUS J. U. D.

Praeter nonnullas confutationes Jebudaicorum errorum inserta est post Verf. 15. Cap. VII. Diatriba in explicationem totius Prophetiae de Partu Virgineo.

FLORENTIAE MDCCLXXIV.
APUD CAJETANUM CAMBIAGI TYPOGRAPHUM REGIUM

SUPERIORIBUS ADPROBANTIBUS.

Proftant venales Romae apud Venantium Monaldinium.

PETRO LEOPOLDO

REGIO HUNGARIAE ET BOHEMIAE PRINCIPI

ARCHIDUCI AUSTRIAE

MAGNO HETRURIAE DUCI

DOMINO SUO LONGE GRATIOSISSIMO

FELICITATEM A DEO PRECATUR

CAESAR MALANIMEUS.

S*Extus jam vertitur annus, ex quo* TE *jubente,* SAPIENTISSIME PRINCEPS, *Linguarum exoticarum ſtudio mancipatus ſum, neque ullum adhuc protuli monumentum, quod publicum grati erga* TE *animi eſſet teſtimo-*

nium

nium. Hujus diuturni ſilentii ea fuit cauſſa, quia, perpenſis ingenioli mei viribus, facile ſentiebam, nihil me poſſe TIBI *offerre, quod* TUA CELSITUDINE *dignum videretur. Nunc verò, ne* TE *ſemper vacuus adeam, Latinam hanc Verſionem Kimchiani Commentarii ad Jeſaiam Prophetam* NOMINI TUO *dicare conſtitui. Utilitas, quae inde eruitur, ea eſt, quòd, ſicut ipſe in ſimilibus aliorum laboribus expertus ſum, Sacrarum Literarum ſtudioſi, praeſidiis hiſce adhibitis, Hebraicam Linguam facilius addiſcunt, & qui eam etiam leviter callent, verum Scripturae ſenſum (grammaticalem dico) penitus aſſequuntur. Accipe igitur ſerena fronte,* CLEMENTISSIME PRINCEPS, *qualecumque hoc devincti gratique animi monumentum, & me Tuo perge proſequi Favore, quod ſi, ut dubio procul confido, mihi contigerit,*

Sublimi feriam ſidera vertice.

CELSITUDINI TUAE.

Addictiſſimus Servus & Subditus
CAESAR MALANIMEUS.

LECTORI BENEVOLO

& φιλεβραίῳ.

QUI veterem aliquem Scriptorem intelligere cupit, necesse primùm est, ut Linguam, qua ille usus est, calleat funditus: eò autem pervenire nemo valet, nisi grammaticales eorum Commentarios evolvat, qui in illius usu exercitatissimi analysim penè singularum vocum elaborarunt. Haec de omnibus generaliter dicta in Hebraica Lingua praecipuè locum habent, quippe quae perpaucis Libris, iisque propheticis, circumscripta, magis accuratâ indiget expositione, quàm caetera omnia vetustatis monumenta. Quandoquidem verò antiquatae Synagogae Doctores omnem impenderunt curam, totamque insumpserunt vitam in studiis Biblicis, facile intellectu est, eos omnium peritissimos, ideoque optimos esse Scripturarum Interpretes, licèt in eorum Commentariis multa reperiantur absurda & fabulosa, multa etiam impia & blasphema. Ista enim ipsorum Religioni tribuenda sunt, quam ut mordicus tueantur contra veritatem & conscientiam, saepissime delirare ac insanire coguntur, quamvis tamen non omnia, quae fabulosa videntur, revera talia sint; nam prisca Jehudaeorum Gens, pro more omnium Orientalium, arcana Mysteria per aenigmata & narrationes figmento similes & fabulis explicare solebat. Caeterùm in pertractando grammaticali verborum sensu, quod primùm est requirendum, & in afferendis locis parallelis, adeo subtiles ac diligentes sunt recensiores Rabbini, ut, si cum his pro assequenda ubique Prophetarum mente conjungas Hieronymum & Grotium, profectò nunquam cespitare, aut animi pendere tibi contigerit: contra verò, si hos, aut illos omittas, plurimae occurrent difficultates, quibus Te vix ac ne vix quidem explicare potueris. Hac de caussa, doctissimorum Hominum exemplo, Latinam hanc Versionem R. D. KIMCHII, quam initio exercitationis gratia scribebam, publici juris facere constitui, cujus ope citius addiscas Hebraicam Linguam, & Jesaiae Pro-

Prophetiam facilius intelligas, Pindarico sanè stylo exaratam, quod quidem Christianae Reipublicae summopere interest, quum universa ea, quae in Libris novi Foederis habentur, ibi per figuras, interdum etiam citra figuras, historico modo enarrentur. Quia verò, quum haec scriberem, ob oculos habebam utilitatem praecipuè Tyronum, idcirco Hebraicae literae pressius haerere placuit, neque ab ea vel parum discedere nisi cogente necessitate, quod praestiti etiam in nova Textûs Versione, quam pro Operis complemento omittendam non esse putavi. Accipe igitur, humanissime Lector, primum ingenioli mei fructum, &, si hunc Tibi non ingratum esse comperiam, eumdem expecta laborem in Jeremiam & Ezechielem; proprio enim Marte expertus sum, quanto emolumento sint Philhebraeis explanationes hujusce Rabbini, qui non Suorum tantummodo, sed & Nostrorum judicio doctissimus habetur & γραμματικώτατος, ideoque dignus, qui Latinâ Togâ donetur, ut eo praesidio, etiam qui leviter didicerunt Hebraicum, possint ejus Commentariis uti. Illud interim Te rogo, ut, si praeter tria illa loca, quae inter sphalmata typographica emendavi, in aliis me peccasse deprehenderis, humanitatis memor veniam concedas, etenim, praeterquamquod sum infimi subsellii, hoc primum est, quod feci mearum virium periculum, & insuper difficillimum Prophetam vertendum suscepi. Vale.

RAB.

Per spiritum prophetiae ascendunt & elevant se
Viri veritatis, & in Deum sperant, cumque desiderant:
Idem separat unicam animam *eorum a corpore.*
Adhuc viventes vident & admirantur
Arcana mirabilia, verum id evenit *in Israele tantum,*
Populi vero alii nesciunt quidnam sit.
Et ego filius Kimchii a Deo rogo
Auxilium pro dilucidationibus meis in visionem Jesaiae.

RAB. DAVIDIS KIMCHII
PRAEFATIO AD JESAIAM.

Dixit David filius Josephi filii Kimchii Hispani: isti quatuor libri, nempe Jesaias, Jeremias, Ezechiel, & duodecim Prophetae minores continent prophetias, reprehensiones, & consolationes respicientes Israelem. Insertae pariter sunt in hisce libris prophetiae ad nationes Mundi de ipsarum ultione ac supplicio, quae quidem prophetiae, quia praefatae nationes mala intulerunt Israelitis, idcirco scriptae sunt inter Prophetias, sicuti prophetaverunt Prophetae de illis, idque ad ostendendum quod sumpsit ex eis Deus benedictus ultiones pro Israele. Jesaias igitur

 pre-

prophetavit in diebus quatuor illorum Regum, de quibus cap. 1. v. 1. *Hoseam quoque invenimus prophetavisse in diebus eorundem istorum Regum super Jeuda & Jerosolyma* Hos. 1. v. 1. *In Hosea vero mentio fit etiam Jerobodmi filii Joasi regis Israelis, quia prophetavit destructionem domus Jehu, & confectionem regni Ephraimitici; at Jesaias non prophetavit nisi super Jehuda & Jerosolyma. Et quamvis dixerit* adhuc sexaginta & quinque anni, rumpetur Aramia & Ephraimus a populo cap. 7. v. 8. *non respicit tamen iste versus prophetiam de Jebu, verum ut spe Jehudaeos erigeret, quod non timebunt amplius ab Ephraimo; sic illud* Et scient populus universus ipse, Ephraimus & habitator Someronis: cap. 9. v. 9. *propter Jebudam dixit, quemadmodum & in fine ejusdem Parasciae* Menasses Ephraimum & Ephraimus Menassem, simul ipsi contra Jehudam: d. cap. 9. v. 21. *& ita* Vae coronae superbiae ebricorum Ephraimi, cap. 28. v. 1. *propterea quod mentionem fecerat Jebudaerum, qui didicerant ex operibus illorum, ut ait* Et etiam ipsi in vino erraverunt, & in sicera erraverunt: &c. d. cap. 28. v. 7. *nibilominus fundamentum prophetiae suae fecit super Jebuda. Dixerunt autem quod in anno, quo plagis effectus est Ozias sex Jebudae, fuit principium prophetiae Jesaiae, dixit enim* In anno, quo mortuus est rex Ozias, cap. 6. v. 1.

item

item dixit Deus quem mittam? cit. cap. v. 8. *& Jesaias respondit* ecce ego mitte me. d. v. 8. *quae quidem parascia debebat esse initium libri, sed in Lege non datur anterius & posterius. Probabile vero est, quod in principio regni Oziae fuerit initium prophetiae ipsius, habetur enim in Verbis dierum* Residuum autem verborum Oziae primorum & novissimorum scripsit Jesaias filius Amotzi propheta. 2. Par. 26. v. 22. *unde apparet quod prophetaverit etiam in rebus ejus primis, h. e. in principio regni ejus, verum in anno, quo mortuus est Ozias, vidit visionem illam magnam, qualem non viderat antea, idcirco perturbatus est in visione illa. Ex illo vero* quem mittam? cap. 6. v. 8. *constat Prophetas alios extitisse in diebus ipsius; & re quidem vera fuit Amosus, item Zacharias intelligens visionem Dei, pariter Hoseas filius Beeri. Ait* quem mittam? *nimirum qui sciat reprehendere populum hunc, misi enim ad eum prophetas, & nihil profecerunt: respondit J saias* ecce ego mitte me, *quasi dicat, ecce ego adhuc existo, quod si non profeci usque modo, fortasse proficiam in posterum. Possumus autem sic interpretari versum Verborum dierum, quem attulimus, quod res gestas Oziae priores, quae nimirum fuerunt ante prophetiam ipsius, scripserit in libro peculiari una cum posterioribus, postquam vaticinari coepit.*

JE-

JESAIAE

CAP. I.

1. Visio Jesaiae filii Amotzi, quam vidit super
Jehudam & Jerosolymam in diebus Oziae,
Jothami, Achazi, Ezechiae regum Jehu-
dae. 2. Audite Coeli, & auribus percipe
terra, quia Dominus loquutus est: filios
magnificavi *enutrivi educavi* & exaltavi, ipsi verò prae-
varicati sunt in me. 3. Cognovit bos possessorem suum,
& asinus praesepe dominorum suorum: Israel non co-
gnovit, populus meus non intellexit. 4. Vae genti pec-
catrici, populo gravi iniquitate, semini maleficorum, fi-
liis corrumpentibus: deseruerunt Dominum irritaverunt
sanctum Israelis, separaverunt se *aversi sunt* retrorsum.
5. Propter quid percutiemini? adhuc additis perversam:
omne caput ad aegreditudinem, & omne cor languidum.
6. A planta pedis & usque ad caput non *est* in eo (scil.
corpore) integritas, vulnus & vibex, & plaga humida *re-
cens.*, non compressa sunt, neque circumligata sunt, ne-
que emollita est oleo. 7. Terra vestra desolata, civitates
vestrae combustae igne: agros vestros extranei devorant, &
fiunt vastatio sicut eversio alienorum. 8. Et relinquetur
filia Tzionis ut tugurium in vinea, ut tegillum in cucu-
merario, ut civitas deserta. 9. Nisi Dominus exercituum

supe-

ſupereſſe feciſſet nobis reſiduum ſanè parvum, ut Sedoma
fuiſſemus, Amorae ſimiles fuiſſemus. 10. Audite verbum
Domini principes Sedomae: auribus percipite legem
Dei noſtri popule Amorae. 11. Ad quid mihi multitudo
victimarum veſtrarum? dicit Dominus, ſatur ſum holo-
cauſtis arietum, & adipe pinguium: & ſanguinem vitulo-
rum, & agnorum, & hircorum nolo. 12. Quum veneri-
tis ut conſpiciamini coram me: quis quaeſivit hoc de ma-
nu veſtra, ut conculcetis atria mea? 13. Ne addatis af-
ferre oblationem vanitatis, ſuffitus abominatio eſt mi-
hi: neomenia, & ſabbathum, convocare convocationem;
non potero *ferre* iniquitatem & congregationem. 14. Neo-
menias veſtras, & conventus veſtros odit anima mea,
fuerunt ſuper me in defatigationem: laboravi ſubſtinen-
do. 15. Et quando expanderitis palmas veſtras, abſcon-
dam oculos meos a vobis: etiam quum multiplicaveritis
orationem, ego non exaudiam; manus veſtrae ſanguini-
bus plenae ſunt. 16. Lavate mundate vos, removete ma-
litiam operum veſtrorum a conſpectu oculorum meorum:
deſinite malefacere. 17. Diſcite benefacere, quaerite ju-
dicium, dirigite oppreſſum: judicate pupillo, litigate vi-
duae. 18. Venite modò & diſceptabimus, ait Dominus:
ſi fuerint peccata veſtra ſicut coccum, tanquam nix al-
beſcent, ſi fuerint rubra ſicut vermiculus, tanquam lana
erunt. 19. Si volueritis, & audieritis, bonum terrae co-
medetis. 20. Si verò renueritis, & rebelles fueritis, gla-
dio vorabimini, quia os Domini loquutum eſt. 21. Quo-
modo evaſit meretrix civitas fidelis? plena *erat* judicio,
juſtitia morabatur in ea, & nunc homicidae. 22. Argen-
tum tuum converſum eſt in ſcorias, vinum tuum mi-
xtum cum aquis. 23. Principes tui refractari, & ſocii
furum, omnis ipſe amat munus & ſequitur retributiones:
pupillo non judicant, & lis viduae non ingreditur ad
eos. 24. Propterea dicit Dominus Deus exercituum for-
tis Iſraelis, heu conſolabor de hoſtibus meis, & ulciſcar

de inimicis meis. 25. Et convertam manum meam super te, & repurgabo veluti smegmate scorias tuas: & removebo omnia stanna tua. 26. Et reducam judices tuos ut in principio, & consiliarios tuos ut initio: postea vocaberis Civitas justitiae, urbs fidelis. 27. Tzion in judicio redimetur; & reversi ejus in justitia. 28. Et contritio praevaricatorum & peccatorum pariter *erit*: & derelinquentes Dominum consumentur. 29. Quia pudore afficientur a quercubus *arboribus*, quas desideravistis, & erubescetis ab hortis, quos elegistis. 30. Eritis enim ut quercus decidens foliis suis, & ut hortus, cui desint aquae. 31. Et erit forte in stuppam, & operator eius in scintillam: & ardebunt ambo simul, neque erit qui extinguat.

JESAIAE CAP. I.

V. 1. V*Isio Jesaiae filii Amotzi*: nescimus hujus prosapiam, cujusnam Tribus fuerit, nisi quod Magistri nostri, quorum memoria sit in benedictione, acceperunt traditione Amotzum & Amasiam fuisse fratres.

V. 2. *Audite Coeli*: incipit Librum suum cum verbis reprehensionis, filii enim generationis suae fuerunt impii, quamvis enim scriptum sit de Ozia *Et fecit rectum in oculis Domini* 2. *Par.* 26. *v.* 4. itemque de Jothamo 2. *Part.* 27. *v.* 2. dictum tamen fuit de Ozia *Et juxta robur suum elatum est cor ejus usque ad corrumpendum*: 2. *Par.* 26. *v.* 16. & in diebus utriusque populus sacrificaverunt & suffumigaverunt in excelsis, scriptum enim est in verbis dierum in diebus Jothami *adhuc populus erant corrumpentes* 2. *Par.* 27. *v.* 2. quanto vero magis in diebus Achazi, qui fuit malus, fecitque mala grandia, ut scriptum est, & universus populus erant pravi in diebus ejus, quemadmodum scriptum est *quod deseruissent Dominum Deum patrum suorum*. 2. *Par.* 28. *v.* 6. In diebus etiam Ezechiae non fuit cor eorum perfectum cum Domino, ut scriptum est in verbis dierum. Dicit autem incipiens verba reprehensionis *Audite Coeli*, quemadmodum ait & Moses Magister noster, super quem sit pax, qui quum venissent ad reprehendendum Israelem ait *auribus percipite Coeli*, *Deut.* 32. *v.* 1. quia ipsi sunt testes inter Dominum & Israelem, sicuti scriptum est *& contestabor in eos Coelum & Terram*. *Deut.* 31. *v.* 28. quia permanent in perpetuum, generationes vero abeunt; vel quia, si transgrediantur pactum, Coeli non dabunt rorem suum, & Terra non dabit proventum suum. Sunt autem variae allegoricae expositiones,

cur

eur dixerit Coelis *Audite*, & Terrae *auribus percipe*, contra id quod ait Moses Magister noster, super quem sit pax, quarum una est, quia Moses erat proximus Coelis, idcirco ait *auribus percipite Coeli*, quia vero longe aberat a terra, ideo ait *& audiat terra*. Quum venisset Jesaias dixit *Audite Coeli*, quia procul erat a Coelis, & ait *auribus percipe terra*, quia erat proximus terrae. *quia Dominus loquutus est*, quae ego dico, sunt verba Domini, qui misit me, quia clamat adversus filios suos, & ait *filios magnificavi & exaltavi, ipsi vero praevaricati sunt in me*, nimirum magnificavi & exaltavi eos prae omni populo; quibus verbis inest repetitio ejusdem rei ad roborandam significationem cum vocabulis diversis, significatus vero idem est, talis enim est mos scripturae in locis quamplurimis. Dominus Pater meus, cujus memoria sit in benedictione, ita explicat „ magnificavi eos in Lege mea , & exaltavi eos in Majestate mea, *ipsi vero* „ *praevaricati sunt in me*, rebelles fuerunt contra me rebellione, & „ praevaricatione transgressi sunt Legem meam ad irritandum me; „ sunt enim qui me agnoscunt, & tamen abnegant, & sunt qui non „ agnoscunt, & de istis ait „

V. 3. *Cognovit bos:* mentionem facit animantium illorum, quae enutriuntur apud hominem ad servitium ipsius, quae licet non sint ratione praedita, tamen vi cognitionis, quae in eis est, recedendi a noxa, & accedendi ad commodum, cognoscunt eum, qui benefacit sibi jugiter, h. e. dominum, & redeunt domum suam, & ad locum cibi, quando veniunt ex opere suo. Illud autem *possessorem suum* non intelligendum est de eo solum, qui pecuniis emit, sed de eo etiam, qui illum nutrit, facitque ei id quo opus habet jugiter, & ita *pater tuus possidens te? Deut. 32. v. 6.* item *possessori Coeli & Terrae. Genes. 14. v. 19.* אבום significat locum cibi pecoris, habet Tzere juxta formam אטון, & est idem in conjunctione ac in dictionibus separatis. Ista igitur animantia licet sint bruta, agnoscunt tamen benefacientem sibi, Israel autem, qui est populus meus, quem redemi e domo servorum, non agnoscit quod ego benefaciam ipsi, quod dederim terram in haereditatem, & expulerim gentes a facie ipsorum; quod si cognovissent id, non deseruissent me, neque coluissent Deos alios pro me: pariter non intelligunt quod dum custodiunt Legem meam, affluunt bonis, dum vero deserunt eam, versantur in malis: quomodo igitur non intellexerunt id?

V. 4. *Vae genti peccatrici:* הוי est dictio vocationis & exclamationis tam ad gemitum, quam ad faciendum audire; hic autem est vox luctus pro אוי, quam Chaldaeus Interpres vertit *Vae super eos, qui vocantur populus sanctus, & peccant*. כבד est nomen Toar juxta analogiam מלך, עבד, & est idem in conjunctione ac in dictionibus separatis. maleficorum, non loquitur de patribus, verum de illis ait esse semen malefacientium sibimetipsis in operibus suis pravis, contra illud *se-*

men

men benedictorum Domini Jesa. 65. v. 23. & sic esse filios corrumpentes (a) vias suas. נאצו irritaverunt. *sanctum Israelis*, quia sanctificatus est in medio eorum in mirabilibus suis, & in vindictis, quas fecit adversus hostes suos, illi vero deseruerunt eum. נזרו juxta formam יכלו ex significatione illius *ut separent se a sanctitatibus filiorum Israelis: Lev.* 22. *v.* 2. quasi dicat, separaverunt se a Deo, & iverunt sibi retrorsum a cultu ipsius: vel sensus est, quod verterunt Deo cervicem & non faciem, quemadmodum ait *& facti sunt retrorsum, & non ad faciem. Jer.* 7. *v.* 22. quem locum ita vertit Jonatan *& verterunt cultui meo cervicem;* sed probabilius videtur נזרו esse ex coniugatione Nihpal juxta formam illius *ubera parata erant, Ezech.* 16. *v.* 7. scil. *aversi sunt*, ex significatione זר: Ionatan נזרו אחור vertit in significationem mulctae, non operationis, reddit enim *& propter opera eorum prava aversi sunt, & facti sunt retrorsum.*

V. 5. *Propter quid percutiemini:* non recogitatis in corde vestro quam ob rem percutiamini, adhuc enim additis perversam, neque recogitatis Deum esse, qui percutit vos ob iniquitates vestras, sed ambulatis temere, ac dicitis malum, quod venit super vos, esse per casum, & non mulctam iniquitatum vestrarum. Sunt qui explicant על מה תכו quid prodest percutere vos, quandoquidem non erudimini in hoc? nam hactenus post percussiones additis peccare, & non erudimini per flagella. סרה est nomen Toar, quasi dicat viam refractariam & perversam. *omne caput ad aegritudinem*, non recogitatis an Deus benedictus sit qui flagellat vos, verum dicitis per casum accidere aegritudines malas vobis omnibus; non accidit id nisi ad mulctam iniquitatum vestrarum, siquidem omne caput proclive est ad aegritudinem, & omne cor languidum, ut ait in reprehensionibus Moses Magister noster, super quem sit pax, *percutiet te Dominus amentia caecitate & stupore cordis. Deut.* 28. *v.* 28.

V. 6. *A planta:* ut scriptum est in reprehensionibus *percutiet te Dominus ulcere malo super genua, & super coxas, ut non possis curari, a planta pedis tui & usque ad verticem tuum. Deut.* 28. *v.* 35. *non compressa sunt, neque circumligata sunt, neque emollita est oleo*, quia non prodest ei medela, ut ait in reprehensionibus *ut non possis curari:* sanatio vero plagae est comprimere eam, alligare & mollificare oleo; postquam vero videtis nihil prodesse medelam, tum existimatis a Deo id esse, utpote indixit vobis in reprehensionibus. מתום Significat integritatem, quasi dicat, non est in carne vestram quidquam integrum & sanum, quia universa ea percussa est. פצע signifi-

B cat

(a) *Corrumpere in terra*, quae phrasis saepe occurrit in Alcorano, significat tam latrocinari depraedari & occidere more grassatorum, quam pravam doctrinam, atque impia dogmata disseminare inter homines. Huic opponitur *redintegrare eam*, i. e. jam corruptam restituere in integrum. *Vide Suram II. Alcorani vers.* 11. non aliter meo judicio hic accipi potest verbum *corrumpere*.

cat plagam manantem sanguine vel humore, ubi vulnerata est caro. חבורה significat contusionem, ubi colligatus est sanguis & humiditas. טריה humida, quasi dicat, plaga vestra saniosa est, quae numquam arescet, sed erit semper humida, quod est signum plagam non esse sanabilem: Jonatan interpretatur hunc versum metaphorice *A reliquo populo usque ad principes non est in eis qui perfectus sit in timore mei: omnes sunt contumaces & rebelles; coinquinati sunt in peccatis sicut plaga ulcerosa; non dimittunt superbias suas, nec desiderant agere poenitentiam, neque sunt in eis justitiae quibus protegantur.*

V. 7. *Terra vestra:* ut scriptum est in reprehensionibus *& erit terra vestra desolatio, & civitates vestrae erunt vastatio. Lev. 26. v. 33. combustae igne*, perinde ac si essent combustae igne, usque adeo sunt vastatae. אדמתכם significat campos sementis & arborum *extranei devorant*, in oculis vestris & coram vobis, neque est vobis potestas prohibendi eos, ut scriptum est in reprehensionibus *Elevabit Dominus super te gentem e longinquo &c. . . . . Et comedet fructum pecoris tui, & fructum terrae tuae &c. Deut. 28. v. 49. & 51. sicut eversio alienorum*, ideo relicta est terra desolata, quia populi exteri veniunt, ac devorant in ea id, quod inveniunt; vos igitur non potestis amplius colere terram, eo quod inimici veniunt super vos quotidie, idcirco terra est desolata juxta subversionem Sedomae & Amorae, quae fuerunt alienae a timore Domini, ut scriptum est in reprehensionibus *juxta subversionem Sedomae &c. Deut. 29. v. 23.* Jonatan vertit *& in peccatis vestris vastata est, a vobis translata est, & facta est alienorum.* Sunt qui interpretantur זרים pro זרם pluvia, quasi dicat locum, quem inundavit pluvia everrens.

V. 8. *Et relinquetur:* quia pleraeque civitates Jehudae fuerunt vastatae, & in diebus Ezechiae Civitates omnes munitas cepit rex Assyriae *2. Reg. 18. v. 13.* ideo relicta est Jerosolyma sola veluti tugurium, quod est in vinea, & sicuti tegillum, quod est in campo cucumerum, circa quod non est domus vel casa alia; tugurium vero & tegillum sunt res eadem cum vocabulis diversis, quia tugurium dicitur illud in quo pernoctat custos: Jonatan vertit *sicut umbraculum in vinea postquam vindemiarunt eam, sicut tugurium manens in cucumerario postquam perquisiverunt illud*, ubi דאבעיוהי significat *perquisiverunt illud* ne relinquantur in eo cucumeres, ex illo *inquisita sunt abscondita ejus. Obad. v. 6.* vult dicere, ne relinquantur in ea cucumeres, postquam collectae sunt uvae, quorum causa eat custos; & ita *ut tegillum in cucumerario*, postquam collegerunt cucumeres adhuc rimantur cucumerarium, ne relinquantur in eo cucumeres, quorum causa eat custos; sic relicta est Tzion absque custode, quia Sanctus ille benedictus, qui est custos Israelis, abstulit Majestatem suam ex eis. Dicit autem, ut tugurium in vinea, ut tegillum in cucumerario, & non dicit ut tugurium in horto, quia in tugurio horti omnibus diebus custos moratur, eo quod postquam collegerunt fructum hunc vel

olus

olus istud, restet aliud, & sic per totum annum: in vinea vero & in cucumerario postquam collegerunt uvas & cucumeres, non remanet quidquam custodiendum, cujus caussa eat custos. *ut civitas deserta*, i. e. sicut civitas desolata viris suis, veluti *& in desertis pernoctant: Jesa.* 65. *v.* 4. *& deserta Israelis ad reducendum: Jesa.* 49. *v.* 6. ubi נצורים significat loca deserta: Jonatan vertit *sicut Civitas, super quam obsidentes.*

V. 9. *Nisi Dominus exercituum:* sic appellatus est propter exercitus superiores, & exercitus inferiores, scilicet Israelitas, qui vocati fuerunt exercitus, idcirco noluit consumere nos omnino, ut meruimus, sed reliquit nobis nonnullos superstites propter nomen ipsius invocatum super nos: superstites vero pauci sunt, & nisi per misericordias suas reliquisset nobis paucos istos, sicut Sedomitae fuissemus, & Amoraeis similes fuissemus, in quibus non fuit superstes & evadens, siquidem nos fecimus opera eorum, & fuimus digni consumptione sicut illi. Caph כמעט est Caph verificationis, quod venit in dictionibus, veluti *jura mihi hoc tempore Genes.* 25. *v.* 33. *quia eum hoc tempore invenietis.* 1. *Sam.* 9. *v.* 13. *Fuerunt principes Iehudae vere attingentes terminum Hos.* 5. *v.* 10. & similia his, quemadmodum scripsimus in Libro Miclol. (*a*) Versus vero hic est sermo Prophetae, & comprehendit se ipsum cum praevaricatoribus habita ratione Israelis, quemadmodum ait Jeremias *nos praevaricati sumus, & rebelles fuimus: Thr.* 3. *v.* 42. item dixit Sanctus ille benedictus ad Mosem *usquequo recusabitis custodire praecepta mea, & leges meas? Exod.* 16. *v.* 28.

V. 10. *Audite:* alloquitur principes & populum, principes enim similes sunt principibus Sedomae & Amorae in opprimendis pauperibus, ac in pervertendis judiciis: populus item similis est populo Sedomae & Amorae in operibus suis malis; dicit ergo eis *Audite verbum Domini, & legem Dei nostri*, verbum vero & lex est reprehensio haec, qua dicit eis *Ad quid mihi multitudo victimarum vestrarum? v. seq.* & per totam parasciam.

V. 11. *Ad quid mihi multitudo victimarum vestrarum?* quamvis immolarent & suffumigarent in excelsis, afferebant tamen oblationes etiam ad Domum Sanctuarii in noviluniis & in temporibus statutis; sed quandoquidem relinquitis legem meam, ad quid mihi multitudo victimarum vestrarum? etenim non praecepi vobis de illis nisi ut recordaremini mei, & faceretis me ascendere in cor vestrum jugiter, neque peccaretis, si vero peccavissetis, ut confiteremini cum oblatione, & converteremini a viis vestris malis; quod si faceretis ita, essent mihi in odorem suavitatis, ut dicitur in Lege *Genes.* 8. *v.* 21. sed nunc fastidio eas & respuo ut is, qui satur est re, namque fastidit eam ac respuit, idque est quod ait *satur sum holocaustis arietum*........ *& sanguinem vitulorum & agnorum &c.*

(*a*) In isto Lib. complectitur Auctor omnia ad linguae sanctae cognitionem necessaria.

V. 12. *Quum veneritis:* in tribus Festis solemnibus, de quibus *Exod.* 23. *v.* 14. hanc visionem quis quaesivit de manu vestra, ut veniatis in conspectum meum quum sitis rebelles verbis meis? ego non reputo vobis hoc ad gloriam, sed ad contemptum, quod conculcetis atria mea. Dicit *atria mea*, quia in atriis domus Dei stabant Israelitae, nec quisquam intrabat in Templum nisi Sacerdotes.

V. 13 *Ne addatis:* si fecistis usque modo, ne afferatis amplius hinc & ulterius; nam quando affertis munus ad conspectum meum, & non est cor vestrum ad me, haec est oblatio mendacii & vanitatis, ac abominatio coram me: & quando convocatis convocationem sanctitatis, & collecti ac detenti estis in domo mea ad sanctificandas neomenias, & festivitatem, h. e. diem Sabbathi, & in corde vestro iniquitas est ac mendacium, ego non potero videre hanc iniquitatem coetus feriantis. Deinde repetit eamdem rem dicens

V. 14. *Neomenias vestras..... in defatigationem*, scil. in onus grave sunt mihi, adeo ut laboravi in supportandis illis. Jonatan vertit *multiplicavi remittere*, quasi dicat, admodum patienter substinui, & condonavi vobis iniquitates vestres, sed nequeo remittere ulterius.

V. 15. *Et quando expanderitis:* Resc habet Chirek pro Saegol, ut in illo *sicut loquuti estis*. *Exod.* 12. *v.* 31. expansio verò manuum fit ad precationem, veluti *expandam manus meas ad Dominum: Exod.* 9. *v.* 29 quomodo igitur non erubescitis expandere ad eum manus vestras, quae effuderunt sanguinem? ideo ego abscondam oculos meos a vobis, neque excipiam deprecationem vestram, etiamsi multiplicetis orationem, & clametis omni die. Magistri nostri, quorum memoria sit in benedictione, interpretati sunt hunc versum de elevatione manuum in Sacerdote, ac dixerunt „ quilibet Sacerdos, qui occidit animam, non elevabit manus suas, quia dictum est *Et quando expanderitis palmas vestras..... manus vestrae sanguinibus plenae sunt* „

V. 16. *Lavate, mundate vos:* innuit lotionem & mundationem cordis. *removete malitiam operum vestrorum, desinite malefacere*, h. e. desinite malefacere quisque fratri suo. Magister noster Salomon f. m. explicat הרע pro להרע

V. 17. *Discite:* scil. a bono, & a malo desinite, ac discetis benefacere unusquisque socio suo. *quaerite judicium*, inter opprimentem & oppressum. אשרו pro ישרו. חמוץ direptum, oppressum, veluti *de manu iniquè agentis, & opprimentis*. *Ps.* 71. *v.* 4. ubi חומץ significat oppressorem, direptorem; dirigite ergo eum, qui est direptus, & male actus in judicio suo. Magistri nostri exposuerunt in significatione fermenti, & dixerunt „ beatus ille judex, qui fermentat judicium suum „ *judicate pupillo, & litigate viduae*, judicate judicium pupilli, & litigate litem viduae, quoniam istiusmodi utplurimum opprimuntur, & vos non ponitis aures vestras ad clamorem eorum.

V. 18.

V. 18. *Venite modo:* verbum *venite* hic proprie non significat itionem, sed monitionem, sicuti *venite & cogitabimus de Jeremia Jer.* 18. *v.* 18. *veni nunc & tentabo te in laetitia, Eccl.* 2. *v.* 1. & similia hisce, ut scripsimus in Libro Miclol. *& disceptabimus*, hoc verbum significat narrationem argumentorum litigantis cum collitigante suo, velut *Ibi rectus disceptat cum illo: Job.* 23. *v.* 7. *& cum Israele disceptabimus. Mich.* 6. *v.* 2. & similia his. Ait igitur Dominus, ut disceptetis secum, & enarrabit ipse bona, quae fecit vobis, & mala, quae vos fecistis in conspectu ipsius, & vos, postquam non poteritis objicere coram eo quidquam, poeniteat operum vestrorum malorum; si enim facietis ita, licet sint peccata vestra sicut coccum, tanquam nix dealbescent. תולע idem significat ac illud *& vermiculo cocci Exod.* 39. *v.* 5. qui color vulgo dicitur *Chermisi*. Quamvis vero memoret coccum, scil. rubrum, meminit tamen postea etiam vermiculi, quo vult indicare plus rubri: assimilat autem peccatum rubro, quia huiusmodi color est validus, conspiciturque e longinquo, & si fit in vestimento macula ex isto calore, non recedet in lotione, quemadmodum ait *si laveris te in nitro, & multiplicaveris tibi smegma, signata est iniquitas tua coram me, Jer.* 2. *v.* 22. tantum conversio est dealbatio maculae. ילבינו & יאדימו sunt verba intransitiva. *tanquam lana erunt*, deest Toar, scil. ut lana alba & pura, & ita *Qui dat nivem sicut lanam, Ps.* 147. *v.* 16. & similia hisce cum defectu formae: meminit autem formati in locis istis *induti vestibus* 1. *Reg.* 22. *v.* 10. *semen virorum* 1. *Sam.* 1. *v.* 11. *morientur viri* 1. *Sam.* 2. *v.* 33. *venit cum mulieribus* 1. *Sam.* 17. *v.* 12. Dominus vero Pater meus, cujus memoria sit in benedictione, ita interpretatur „ si erunt „ peccata vestra sicut coccum, quod non est adeo rubrum, ut nix „ dealbescent, h. e. expiabo iniquitates vestras; si autem erunt val- „ de rubra sicut vermiculus, tunc erunt tanquam lana, quae non est „ adeo alba veluti nix. „

V. 19 *Si volueritis.... bonum terrae*, id, quod comedunt alieni in oculis vestris, manducabitis vos.

V. 20. *Si verò renueritis, & rebellis fueritis*, non manducabitis, sed manducabimini in gladio. *gladio* pro *in gladio*, deest Bet Ministerii, veluti *inventis domo Domini* 2. *Par.* 34. *v.* 30. *ornicando domo patris sui: Deut.* 22. *v.* 21. *& sepelierunt eum domo sua* 1. *Sam.* 25. *v.* 1. *lavabunt se aquis. Exod.* 30 *v.* 20. & similia his. *quia os Domini loquutum est*, postquam enim loquutus est, ipse facit subsistere verbum suum.

V. 21. *Quomodo:* meretrix non est fidelis marito suo, sed mentitur & scortatur sub eo; sic Jerosolyma, quae Domino fuerat fidelis in diebus Davidis, Salomonis, Asae, & Jehosaphati, in quibus non immolaverunt neque suffumigaverunt in excelsis, sed in domo Sanctuarii, postea conversa est in meretricem, & dereliquerunt domum

Do-

Domini, & ſacrificaverunt & ſuffiverunt in excelſis ac in lucis. *plena judicio*, in מלאתי Jod eſt addititium ſeu paragogicum: ait Jeroſolymam fuiſſe plenam judicio, ſcilicet ab initio, etenim Jehoſaphatus conſtituit Judices in omnibus Civitatibus Jehudae, dixitque illis *videte quod facitis, non enim homini judicatis ſed Deo &c. 2. Par. 19. v. 6.* & paulo poſt *Ac etiam in Jeroſolyma conſtituit .... ad judicium Domini & ad litem: v.* 8. Nunc verò non eſt in ea judicium, ut ait inferius *omnis ipſe amat munus & ſequitur retributiones: v. 23. juſtitia morabatur in ea*, ילין hìc proprie non ſignificat moram, ſed ſignificat ſedulitatem ac perennitatem in aliqua re, veluti *in irritationibus eorum moraretur oculus meus. Job. 17. v. 2. & in collo ejus morabitur fortitudo. Job. 41. v. 13. & commorabitur in medio domus eius; Zach. 5. v. 4.* & ſimilia his; in Jeroſolyma igitur fuit olim juſtitia perpetua, nunc verò ſunt homicidae. Praeterea *Argentum tuum converſum eſt in ſcorias &c. v. ſeq.* quod totum eſt contrarium juſtitiae. Magiſtri noſtri f. m. dixerunt „ judicia pecuniarum poſſunt per„ ficere in ipſo die ſive abſolvant, ſive damnent; judicia verò anima„ rum in ipſo die ſi abſolvant, die verò poſtero ſi condemnent „ & faciunt huic verſui probationem, reputat enim eos homicidas, quandoquidem non faciunt peroctare judicia animarum, ſed judicant in ipſo die.

V. 22. *Argentum tuum*: faciunt ex eo monetam falſam, quam exiſtimant homines eſſe totam ex argento, ſed inſunt ſcoriae aeris & ſtanni aliorumque metallorum ſimilium his, nimirum tegunt argento, quocum decipiunt homines: idem dicendum de venditoribus vini, exiſtimant emptores ſe emere vinum purum, ſed eſt mixtum aqua. *vinum tuum*, hoc eſt vinum, quod venditur in caupona, quia veniunt illuc vacui & leves, & ibi potant ac inebriantur. מהול *mixtum*, alibi non invenitur in Scriptura; Dominus verò Pater meus deducit ex Arabico مهل.

V. 23. *Principes tui*: principes tui, quorum eſt corripere inique agentem, ſunt ipſimet refractarii pervertentes rectum, & facti ſunt ſocii furum; fures enim partiuntur cum ipſis, ideo non corripiunt eos, neque prohibent a furando. *omnis ipſe*, univerſaliter de principibus, omnes enim per unam eamdemque viam, idcirco ait *omnis ipſe* in numero ſingulari, ſiquidem omnes amant accipere munus, & pervertunt judicium. *& ſequitur retributiones*, id intelligendum juxta Targum *dicunt unuſquiſque ſocio ſuo, fac mihi bonum in judicio meo, & retribuam tibi in judicio tuo. pupillo non judicant*, ſcil. ab opprimentibus eum. *non ingreditur ad eos*, quia nolunt judicare judicium ejus, & litigare litem ejus ab opprimentibus eam, ideo non introducit ad eos cauſam ſuam, nihil enim proficit: Jonatan vertit *& clamor viduae non ingreditur in conſpectum eorum*, quaſi dicat, ipſa clamat ſuper cauſam ſuam, ſed illi non exaudiant eam. V. 24.

V. 24. *Propterea dicit Dominus:* quia tempore illo sciebant omnes eum esse dominum universorum, & ita dominum exercituum superiorum & inferiorum. *Fortis Israelis*, quia erit adhuc fortitudo oppressorum in Israele, sumetque vindictam de opprimentibus eos, nimirum de hostibus & inimicis suis: vindictam perfectam sumet de illis, donec consoletur de eis, quasi dicat, donec perficiat iram suam, & consoletur; dictionem הוי jam explicavi *vers.* 4.

V. 25. *Et convertam manum meam:* vice post vicem donec repurgavero te, ac remanseris pura; scoriae & stanna sunt impii. כבור est res, qua purgatur argentum a scoriis, ut remaneat mundum; ego vero accipio כבור pro כבורית vulgo *sapone*, quemadmodum enim smegma tollit omnem maculam, sic ego tollam scorias tuas, & stanna tua: per *stanna tua* hoc vult innuere, quod stanuum est mixtum cum argento, quod ipse purificabit ab illo. Dicit autem *stanna tua* in numero plurali ad significandas omnes mixturas mixtas in eo.

V. 26. *Et reducam judices tuos ut in principio:* sicut ait *plena judicio*, *v.* 21. idque erit in diebus Messiae, in quibus deficient scelesti omnes, & reliquiae Israelis non facient iniquitatem, neque loquentur mendacium.

V. 27. *Tzion in judicio*, quod facient Israelitae, *redimetur:* quasi dicat, ipsi redimentur, & revertentur ad eam; scil. in justitia, quam facient, revertentur ad eam numerosiores quam nos sumus, idque est quod ait *& reversi ejus in justitia*.

V. 28. *Et contritio:* tum conterentur & consumentur praevaricatores & peccatores simul, ut ait in prophetia Malachiae *& erunt omnes superbi, & omnis faciens iniquitatem stipula, & inflammabit eos dies ventura*, *Mal.* 4. *v.* 1.

V. 29. *Quia pudore afficientur:* ait *pudore afficientur*, ac postea *erubescetis*, quia talis est consuetudo Scripturae loqui in persona secunda & in persona non secunda in uno eodemque versu, veluti *audite populi omnes illi* 1. *Reg.* 22. *v.* 28. 2. *Par.* 18. *v.* 27. *Mich.* 1. *v.* 2. *omnes illi revertimini & venite quaeso: Job.* 17. *v.* 10. & similia his, ut scripsimus in Libro Miclol. Hi tres versus usque ad finem parasciae non pertinent ad dies Messiae, quia a diebus desolationis Domus prioris & ultra non exstiterunt colentes cultum exterum inter Israelitas in hortis & sub omni ligno frondoso, quemadmodum extiterant antea, & re quidem vera non fit mentio quercuum & hortorum nisi quoad illas generationes, quae fuerunt tempore Domus prioris: quia vero commemorat *V. sup.* consumptionem scelestorum omnium tam ex colentibus cultum exterum, quam ex reis caeterarum transgressionum, quae erit in diebus Messiae, hoc ita accipiendum est; quod consumptio cultus exteri erit ante adventum Messiae, scil. in vastatione Domus prioris, quo tempore deficient colentes cultum exterum inter Israelitas, qui elegerunt hortos & quercus in lucis,

&

& tunc in destructione Domus pudore afficientur, quia videbunt nihil prodesse sibi lucos, neque eripere de manu hostis vastantis ac deportantis ipsos, tunc, inquam, pudore afficientur & confundentur, scientque mendacium esse opes suas, cultumque ipsorum, quo colebant Idola; itaque non fuerunt tempore Domus secundae colentes cultum exterum universaliter in Israele. אילים pro אילנים, sic *Incalescentes in quercetis*, *Jes.* 57. *v.* 5 *quercus justitiae*, *Jes.* 61. *v.* 3. versus verò hic duplicatus est in significatione cum vocabilis diversis.

V. 30 *Eritis enim*: ait vos exacerbastis me in quercetis, idcirco eritis ut quercus decidens foliis suis; item vos elegistis hortos, ideo eritis ut hortus, cui desint aquae. עלה deest Jod signum numeri pluralis ex scripto. Ait igitur, ita eritis ut quercus decidens foliis suis, in qua non remanet quidquam viriditatis, sic erit universa terra vestra desolata, adeo ut non remaneat in ea ne unus quidem ex vobis; item eritis ut hortus, cui desint aquae ad irrigandum illum, cujus quidem arescunt olera, & semina non germinant. Postquam vero comparavit eos quercui, facit eos sperare, quod revertentur in terram suam instar quercus, quae rursus emittit folia tempore floritionis arborum, & instar horti, qui, quum veniunt ad ipsum aquae, facit germinare semina sua, eo quod humectent (aquae) radices olerum. אלה Chaldaicè redditur בוטמא, & ita Magister noster Saadias vertit Arabicè بطمة. *quercus defluens foliis suis*, scil. quercus, cujus folia decidunt, sic *rasi barba*, *Jer.* 41. *v.* 5. scil. quorum barba est rasa. Assimilat verò eos quercui, & non alteri arbori, quia quercus & ulmus, postquam deciderunt earum folia, videntur esse prorsus aridae, & magis caeteris arboribus, quarum commemorat unam ad similitudinem.

V. 31. *Et erit forte*: loquitur de idolis eorumque cultoribus, ac innuit idola fuisse fortia & robusta, ut ait *lignum, quod non putrescat, eliget*: *Jesa.* 40. *v.* 20. Ait igitur, quid proderit eis robur sculptilium? nam ut stuppa erunt, quae celeriter consumitur propter scintillam ignis, sic citissime comburentur, & ita revera fuit, etenim Nebuzaradan incendit omnes domos Jerosolymae 2. *Reg.* 25. *v.* 9. in quibus erant sculptilia & idola. Dicit *& operator ejus in scintillam*, quia factor sculptilis ipse causavit ei combustionem, ut favilla facit ardere stuppam; postquam enim favilla haesit stuppae, brevi temporis spatio extinguuntur ambae, siquidem favilla non est ignis qui duret, sed breviter extinguitur, sic stuppa ardens non ardet nisi tempore brevi, & statim extinguitur. Ita erunt facientes imagines & ipsae imagines, utrique deficient simul; & re quidem vera in destructione Jerosolymae incensae fuerunt domus & idola cum eis, & interfecti fuerunt colentes idola & facientes ea. *& non erit qui extinguat*, & non erit qui eripiat eos ab incendio. נעורת est id, quod excutiunt ex lino,

lino, quod vulgò dicitur *ſtoppa*: Jonatan ita vertit hunc verſum *Et erit fortitudo impiorum ſicut ſtuppa lini, & opus manuum eorum ſicut ſcintilla ignis, quae quum applicantur ad invicem, ardent ambo ſimul: ſic conſumentur impii & opera eorum prava, & non erit ſuper eis miſericordia*.

JESAIAE CAP. II.

1. VErbum, quod vidit Jeſaias filius Amotzi ſuper Jehudam & Jeroſolymam. 2. Et erit in poſteritate dierum, ſtabilis erit Mons Domus Domini in vertice montium, & elatus prae collibus, & confluent ad eum omnes gentes. 3. Et ibunt populi multi & dicent, venite & aſcendamus in Montem Domini ad Domum Dei Jaacobi, & docebit nos de viis ſuis *vias ſuas*, & ambulemus in ſemitis eius: quia de Tzione exibit Lex, & verbum Domini de Jeroſolyma. 4. Et judicabit inter gentes, & arguet populos multos: & contundent gladios ſuos in ligones, & haſtas ſuas in falces, non elevabit gens contra gentem gladium, neque diſcent amplius bellum. 5. Domus Jaacobi venite, & ambulemus in luce Domini. 6. Quia dimiſiſti populum tuum Domum Jaacobi, eo quòd pleni ſint prae Oriente, & praeſtigiatores ut Philiſthaei: & in natis *libris* extraneorum ſatis habent *plauſerunt*. 7. Et repleta eſt terra ejus argento & auro, & non eſt finis theſauris ejus: & repleta eſt terra ejus equis, & non eſt finis curribus ejus. 8. Et repleta eſt terra ejus Idolis: ad opus manuum ejus proſtrarunt ſe, ad id quod fecerunt digiti eius. 9. Et incurvavit ſe homo, & humiliavit ſe vir, & ne parcas illis. 10. Ingredere in petram, & abſconde te in pulvere: a facie pavoris Domini, & a majeſtate celſitudinis eius. 11. Oculi elationis hominis humiliatus eſt *humiliabuntur*, & incurvabit ſe ſpiritus virorum: & exaltabitur Dominus tantùm in die illa. 12. Quoniam dies Domini exercituum ſuper omnem

ſuperbum & excelſum: & ſuper omnem elatum, & humiliabitur. 13. Et ſuper omnes cedros Libani, excelſas & elatas: & ſuper omnes quercus Baſani. 14. Et ſuper omnes montes elevatos, & ſuper omnes colles ſublimes. 15. Et ſuper omnem turrim excelſam, & ſuper omnem murum munitum. 16. Et ſuper omnes naves Tarſis, & ſuper omnes picturas deſiderii. 17. Et incurvabitur elatio hominis, & humiliabitur ſpiritus virorum, & exaltabitur Dominus tantùm in die illa. 18. Et idola penitus concîdet. 19. Et introibunt in ſpeluncas petrarum, & in cavernas pulveris *terrae* a facie pavoris Domini, & a Majeſtate celſitudinis ejus, dum ſurget ad frangendum terram. 20. In die illa projiciet homo idola argenti ſui, & idola auri ſui, quae fecerunt ſibi ad adorandum, ad talpas & ad veſpertiliones. 21. Ad veniendum in effoſſiones rupium, & in ramos petrarum: a facie pavoris Domini, & a Majeſtate celſitudinis ejus, dum ſurget ad frangendum terram. 22. Deſinite vobis ab homine, cujus flatus eſt in naſo eius: idcirco in quo reputatur ipſe?

V. 1. *Verbum:* poſtquam loquutus eſt de ultionibus, quas vidit ſuper Jehudam & Jeroſolymam, loquibur etiam de conſolatione, quam vidit ſuper Jehudam & Jeroſolymam.

V. 2. *Et erit in poſteritate* (a) *dierum*: omnis locus, in quo dicitur *in poſteritate dierum*, intelligendus eſt de diebus Meſſiae. *mons domus Domini*, hic eſt mons Morja, in eo enim aedificata fuit domus ſanctuarii. *in vertice montium*, erit ſtabilis elevatus & excelſus prae caeteris omnibus montibus & collibus, quem omnes gentes glorificabunt & exaltabunt, venientque ad colendum in illo nomen Domini. Commemorat verò montes, quia gentes colebant Deos ſuos ſuper montes excelſos. *& confluent*, ſcilicet & concurrent; & hinc locus decurſus aquarum multarum appellatus eſt נהר.

V. 3. *Et ibunt ...... venite & aſcendamus:* quilibet populus ita dicet ſocio ſuo. *quia de Tzione*, haec ſunt verba Prophetae, non verba

(a) *Poſteritatem* intellige ſimpliciter de tempore mox futuro, ut apud Ciceronem *Fam.* 2. *ep. penult. in fin.* „ ſed, ſi me audies, vitabis ini- „ micitias, & poſteritatis otio conſu- „ les „ vulgatus conſtanter reddit in *noviſſimis diebus* vel *dierum*; mihi placuit retinere proprietatem verborum.

ba populorum, quasi dicat, cur dicent gentes, venite & ascendamus, & docebit nos vias meas? quia de Tzione exibit lex & praeceptum omnibus populis: docens verò erit Rex Messias, de ipso enim ait *Et judicabit v. seq.*

V. 4. *Et judicabit*: scilicet judex, & hic erit Rex Messias, sic *& nunciavit Jaacobo* scilicet nuncius *Genes. 48. v. 2. & dixit Josepho* scilicet dicens *Genes. 40. v. 16.* & similia his, ut scripsimus in Libro Miclol. Ait igitur, quod si inter populum & populum fuerit bellum, vel postulationes inter eos, venient ad judicium coram Rege Messia, qui erit Dominus omnium populorum, & ipse dijudicabit illos, dicetque ei, in quo inveniet iniquitatem *il torto*, rectifica perversum collitiganti tuo; ideoque non erit bellum inter populum & populum, quia ipse pacem ponet inter eos, neque indigebunt instrumentis bellicis, sed contundent ea ad facienda ex illis instrumenta pro cultura terrae. *in ligones*, marra, qua effodiunt, appellatur את, & Daghesc in Thau לאתים stat loco quiescentis, quae est in voce *vomerem suum & ligonem suum*, 1. *Sam.* 13. *v.* 20. *in falces*, haec sunt instrumenta, quibus putant vineam caeterasque arbores, veluti *& vineam tuam non putabis*. *Lev.* 25. *v.* 4.

V. 5. *Domus Jaacobi*: haec sunt verba Prophetae ad viros generationis suae; ait *Domus Jaacobi*, quia dixerat superius, quod dicturae sint omnes gentes *venite & ascendamus* v. 3. nunc igitur ait, vos, qui debetis, quibusque praecipitur ex nunc ut ambuletis in luce Domini, venite & ambulemus in lumine Domini; lumen verò Domini sunt lex & praecepta: vocem *venite* declaravimus superius significare monitionem *cap.* 1. *v* 18. Jonatan vertit *Et dicent qui sunt domus Jaacobi venite & ambulabimus in doctrina Legis Domini*. Dum ait *& ambulemus*, consociat se Propheta cum illis, ut explicavimus *cap. sup. v. Nisi Dominus exercituum*.

V. 6. *Quia dimisisti*: pronomen *dimisisti* (*a*) refertur ad Deum; ait, tu o Deus, quod dimiseris populum tuum domum Jacobi, nunc judicium est tecum, (jure meritoque dimisisti) quia pleni sunt prae Oriente: Jonatan verò refert ad Israelem *Quia dereliquistis terribilem & fortissimum, qui erat redemptor vester Domus Jaacobi*, nimirum juxta mentem ejus עמך hoc sibi vult, tu, quum faceres opus populi tui, quemadmodum dixerunt Magistri nostri de eo, qui facit opus populi tui, (*b*) tunc quidem redimebas eos ab omni angustia, nunc verò dereliquisti eum. *eo quod pleni sint prae Oriente*, i. e. pleni sunt praestigiis magis quam Orientales, notum enim erat hoc inter eos, Orientales esse prestigiatores & maleficos, & Philisthaeos deditos esse maleficiis prae caeteris Orientalibus; Israelitae igitur fuerunt ut

 isti.

(*a*) Apud Hebraeos singulae Verbi personae habent adnexum pronomen.

(*b*) *Facere opus populi tui* est, morem gerere populo tuo.

isti. לעננים est nomen Toar, veluti *filii praestigiatricis Jesa.* 57. *v.* 3. Aramaei verò appellantur filii Orientis, quia sunt ad Orientem terrae Israelitarum, qui didicerunt opera mala ab iis, quos habebant ad faciem, & ab iis, quos habebant a tergo, veluti *Aramia ab Oriente, & Palestina ab Occidente, Jesa.* 9. *v.* 12. *in natis extraneorum satis habent*, dereliquerunt Legem Domini, & se occupaverunt in libris praestigiarum & auguriorum, & in ipsis satis habent, dicunt enim, satis nobis est in hisce libris; isti verò libri nati sunt (*a*) eis nuper, ut ait Moses Magister noster, super quem sit pax, *recentes nuper venerunt, Deut.* 32. *v.* 17. quia didicerunt a gentibus, quae sunt extraneae, legem verò, quam didicerant ab initio, quaeque praescripta fuerat ipsis eorumque patribus multis abhinc annis, dereliquerunt. Jonatan *eo quòd pleni sint* vertit *quia repleta est terra vestra idolis ut ab initio*, scilicet ut fuerat in diebus Cananaeorum: illud *& in natis extraneorum satis habent* reddit *& in legibus populorum ambulant*.

V. 7. *Et repleta est terra ejus:* terra scilicet populi illius, quem commemoravit dicens *Quia dimisisti populum tuum, v. sup.* Ait, postquam repleta est terra ejus argento auro & equis, adeo ut non sit finis thesauris & curribus ejus, tunc impleta est etiam idolis, (*b*) ut ait *Et impinguatus est rectus, & recalcitravit; Deut.* 32. *v.* 15. pariter *& argentum multiplicavi ei, & ex auro fecerunt Baal. Hos.* 2. *v.* 8. idque evenit in diebus Salomonis, in quibus fuit terra Israelis plena argento & auro, ut scriptum est *& dedit Salomon argentum in Jerosolyma tanquam lapides.* 1. *Reg.* 10. *v.* 27. sic aurum, ob copiam quam afferebant ei ex Ophir, & regno Sabaeorum, & ex omnibus regibus *equis*, ut scriptum est *& fuerunt ei quadraginta millia praesepia equorum*, 1. *Reg.* 4. *v.* 26. 2. *Par* 9. *v.* 25. statim verò post mortem Salomonis coeperunt facere & colere ea, immò vivente eo coeperunt facere, ut scriptum est 1. *Reg.* 11. Illud *& non est finis* idem est ac si dicat, non est finis numerationi eorum.

V. 8. *Et repleta est:* explicavimus.

V. 9. *Et incurvavit se homo, & humiliavit se vir:* repetit eamdem rem cum vocabulis diversis; sunt tamen qui explicant *homo* de parvis, *vir* de magnis. וישח וישפל habent Vau mobile per Patach, ideoque est praeteritum, loco tamen futuri, juxta morem Linguae, & praecipuè verborum prophetiae. Ait igitur, veniet tempus, quo incurvabunt se homines, neque elevabunt se in copia argenti & au-

(*a*) Ait *nati sunt* habita ratione vocis ובילדי, alias dicendum erat *allati sunt*.

(*b*) Idola appellantur אלילים *Elilim*, quia sunt nihili & nullius usus, juxta illud Apostoli 1. *Cor.* 8. *v.* 4. *Idolum nihil est in Mundo*: vel ita vocantur per contemptum quasi *Deiculi*.

& auri, & in multitudine equorum, idque eveniet in diebus Messiae, quando congregabuntur omnes populi ad pugnandum contra Jerosolymam, tunc enim videbunt, quod non proderunt sibi neque argentum neque aurum, neque ipsorum fortitudo, neque myriades populorum, tunc enim deprimetur potentia eorum, & humiliabitur eorum superbia. *& ne parcas*, Thau in תשא indicat quasi loquatur ad Deum: ait igitur, ne parcas, neque condones eis malum, quod fecerunt Israeli, sed mulcta eos vice illa pro omnibus, quae fecerunt.

V. 10. *Ingredere in petram*: & tum dicet quisque fratri suo, ingredere in petram. *in pulvere*, scil. in cavernis terrae.

V. 11. *Oculi elationis hominis*: quia elatio hominis apparet praesertim in oculis, ideo conjunxit elationem cum oculis, sic ait *oculos elatos Prov. 6. v. 17. altitudo oculorum Prov. 21. v. 4.* שפל juxta formam illius *quoniam complacuerat in filia Jaacobi Genes. 34. v. 19.* & est praeteritum loco futuri pro ישפל; sensus verò ejus refertur ad elationem, veluti *Et incurvabitur elatio hominis, infr. v. 17.* vel ad oculos, sicuti *& oculi elatorum deprimentur. Jesa. 5. v. 15.* Dicit *humiliatus est* de unoquoque. Invenitur verò עין etiam in genere masculino *septem oculi: Zach. 3. v. 9. oculi tui ad rectum aspiciunt; Prov. 4. v. 25. oculi Domini peragrant Zach. 4. v. 10. & exaltabitur Dominus tantum*, quemadmodum ait *Et erit Dominus in regem super universam terram: Zach. 14. v. 9.*

V. 12. *Quoniam dies*: haec est ratio, cur dixerat *& exaltabitur v. sup.* ait *Quoniam dies Domini exercituum*, quia omnis superbus excelsus & elatus humiliabitur; iste verò erit dies Domini, quia omnes agnoscent regnum ejus. ושפל pro וישפל.

V. 13. *Et super omnes cedros*: cedri & quercus sunt parabola de regibus gentium: ideo verò commemorat cedros & quercus, quia istae maximae sunt inter universas arbores, & ita *qui secundum celsitudinem cedrorum celsitudo ejus, & robustus erat ut quercus: Amos 2. v. 9.* idcirco vertit Jonatan *super omnes reges populorum fortium & potentium, & super omnes principes provinciarum.*

V. 14. *Et super omnes montes*: commemorat res eas, in quibus extollit se homo, verùm omnis elatio humiliabitur in die illa, quia Deus tantum exaltabitur super omnes, quapropter confitebuntur ei altitudinem ipsius, & humiliabuntur coram eo. Res verò in quibus se extollit homo super hominem, sunt montes sublimes & colles excelsi, in quos quum se receperit ac munierit propter hostes, ipse aget in illos, sed illi non agent in ipsum.

V. 15. *Et super omnem turrim excelsam*: similiter is, cui est in planice turris excelsa, vel murus civitatis munitae. Pariter exaltat se homo in divitiis, & in copia multarum opum, quae plerumque obveniunt ei per mercaturam maris, idcirco ait

V. 16. *Et super omnes naves Tarsis*: facit mentionem Tarsis, quia est

est portus navium, Jonatan vertit *Et super omnes habitantes insulas maris*. Item superbit homo in habitationibus magnis, & habitaculis figuratis. *& super omnes picturas desiderii*, שכיות significat picturas, veluti *quisque in conclavibus picturae suae*, *Ezech.* 8. *v.* 12. vertit Jonatan *& super omnes, qui habitant in palatiis pulcherrimis*.

V. 17. *Et incurvabitur*: explicatum est *v.* 9.

V. 18. *Et idola*: quamvis idola jam cessaverint hodie a quibusdam nationibus, adhuc tamen sunt in extremitate Orientis qui colunt idola, & creduntur cultores idolorum, eoquod adorent & colant imagines, verum tunc in diebus Messiae universa Idola excidentur usque ad omnimodam consumptionem, ideo ait *prorsus*, veluti *prorsus adoletor Lev.* 6. *v.* 22. יחלוף concidet, & ita in significatione concisionis *conciderit & claudere fecerit*, *Job.* 11. *v.* 10. *& concidit tempus ejus Jud* 5. *v.* 26.

V. 19. *Et introibunt in speluncas petrarum*: מערות non mutatur in conjunctione: (*a*) ait, cultores idolorum abscondent se in speluncis, & in concavitatibus, quia existimabunt se illic posse eripi. *ad frangendum terram*, id intelligendum juxta Targum *ad conterendum impios terrae*.

V. 20. *In die illa*: scil. in diebus Messiae, postquam fecerit judicium in impios. *Idola argenti sui & idola auri sui*, id intelligendum ut explicavimus *v.* 18. nimirum quod adhuc hodie in extremitate terrae Orientis existunt cultores idolorum ex argento & auro, & sic in figura argenti & auri. לחפר פירות, sensus litterae Lamed refertur ad vocem *projiciet*, quasi dicat, in excavationes & foramina talparum projicient idola. Jonatan verò refert sensum litterae Lamed ad vocem להשתחות eidem conjunctam, ideoque vertit *ut adorent idola & simulacra*, quia adhuc sunt qui colunt figuram talpae, ac etiam secundum explicationem ejus est לחפר פירות quasi vox una, quamvis revera sint duae dictiones. Alii explicant volatile excavans foveas, alii verò intelligunt reptile fodiens in terra effossiones, cujus existunt qui colunt imaginem, & ideo לחפר פירות habet sensum duarum dictionum, & פירות significat effossiones. Simile huic habetur in verbis magistrorum nostrorum פירא דשוכלין, scil. excavatio, in quam projiciunt grana palmarum. Ait igitur, quod projicient homines idola in loca, quae effodiunt talpae, ut lateant ibi: projicient verò illuc idola per contemptum, eo quod non profuerint eis, & si liberati fuerint, tamen conterent ea, ut sint argentum & aurum, non autem imagines.

V. 21.

(*a*) Quia Littera Resc non recipit Daghesc; istud enim nomen derivatur ex Conjugatione daghesciata. *Spelunca* verò dicitur מערה, quasi locum *nudum* & *evacuatum* dicas, ex radice ערה *nudari*, *evacuari*.

V. 21. *Ad veniendum in effossiones rupium*: vult dicere, quod fugient ut ingrediautur in cavernas petrarum; cavernae verò appellantur effossiones, veluti *ponam te in effossione rupis*: *Exod.* 33. *v.* 22. quia qui effodiunt in rupibus, faciunt ibi cavernas. *& in ramos petrarum*, venient pariter ut se recipiant in scopulos acutos petrarum excelsarum, ubi assimilat scopulum petrae acutum ramo arboris excelsae, velnti *ad ramum petrae Etan*, *Jud.* 15. *v.* 11.

V. 22. *Desinite vobis*: tunc dicet unusquisque socio suo *Desinite vobis ab homine*, quia erit timor Domini super universum mundum: dicet igitur alter alteri, ne sit ultra timor carnis & sanguinis super vos, sed timor Dei solius, homo enim tanquam nihil reputatur, quum in pauco momenti moriatur, quia *flatus in naso ejus*, scil. proximus ad egrediendum. Dicit autem *in naso ejus*, quia spiritus vitalis suspensus est in naso, nam per foramina nasi egreditur calor naturalis, qui in corde semper est, & item intrat ad illud per foramina nasi frigus aeris, & in hoc consistit hominis vita, ut notum est ex philosophia naturali. Si res ita se habet, quod ejus vita tam brevis sit, in quo reputatur ipse? aut quomodo rectum est confidere in illo, aut metuere ab eo?

JESAIAE CAP. III.

1. QUoniam ecce dominator Dominus exercituum aufert a Jerosolyma & a Jehuda fulcimentum & fulcimen: omne fulcimentum panis, & omne fulcimentum aquae 2. Fortem, & virum belli: judicem prophetam, & divinum & senem. 3. Principem τῶν quinquaginta, & elatum faciebus: & consiliarium & sapientem artificum, & intelligentem eloquutionis. 4. Et dabo pueros principes eorum: & parvuli dominabuntur in illis. 5. Et opprimetur exactionibus populus; alter in alterum, & quisque in proximum suum: roborabunt se *superbient* puer in senem, & vilis *plebejus* in nobilem. 6 Quando apprehendet quis fratrem suum domûs patris sui *dicens*, vestis tibi, princeps esto nobis: & ruina haec sit sub manu tua. 7. Assumet in die illa dicendo, non ero ligans, nam in domo mea non est panis neque vestimentum: ne ponatis me

prin-

principem populi. 8. Nam ruit Jerosolyma, & Jehuda concidit, quia lingua eorum & opera eorum contra Dominum, ad exacerbandum oculos Gloriae ejus. 9. Agnitio vultus eorum respondit in ipsos; & peccatum suum instar Sedomitarum indicaverunt, non occultaverunt: vae animae ipsorum, quoniam retribuerunt sibi malum. 10. Dicite, justus quum bonus *fuerit*, quòd fructum operum suorum manducabunt. 11. Vae impio malo: quòd retributio manuum ejus fiet ei. 12. Populi mei exactores parvulus, & mulieres dominatae sunt in eo: popule mi beatificantes te seducunt, & viam semitarum tuarum perdunt. 13. Stat ad agendam caussam Dominus: & manet ad judicandum populos. 14. Dominus ad judicium veniet cum senibus populi sui & principibus ejus: & vos depavistis vineam, & direptio pauperis in domibus vestris. 15. Quid vobis *quòd* atteritis populum meum, & facies pauperum commolitis *contunditis*? ait Dominus Deus exercituum. 16. Et dixit Dominus, propterea quod elatae sunt filiae Tzionis, & ambulaverunt extentae gutture, & nictantes oculis: eundo & parvulando (*a*) ambulant, & pedibus suis compedunt (*b*) 17. Ideo scabie inficiet Dominus verticem filiarum Tzionis: & Dominus cunnum *nates* earum denudabit. 18. In die illa auferet Dominus ornamentum compedum, & reticula, & lunulas. 19. Myrothecidia, & catenulas, & velamina. 20. Tiaras, & periscelides, & redimicula, & domos animae, & inaures. 21. Annulos, & Monilia nasi *faciei*. 22. Mutatorias, & amicula, & pepla, & aciaria. 23. Specula, & sindones, & cidares, & carbasa, 24. Et erit, pro aromate tabes erit, & pro zona discissio *dissolutio*, & pro opere aequali calvitium, & pro cingulo cinctura sacci: adustio pro pulchritudine. 25. Viri tui in gla-

(*a*) i. e. gressibus suis parvulos agendo, incessu molli, minutis passibus instar parvulorum utendo. Et sic Aben Ezra rejectis aliorum interpretationibus exponit „ Incedentes incessu parvulorum. „

(*b*) Scil. compeditae incedunt, vel, periscelidibus ornatae gradiuntur. *Vid. in adnot. ad vers.* 18.

gladio cadent: & *viri* fortitudinis tuae in bello. 26. Et moerebunt & lugebunt portae ejus: & mundata erit, in terra sedebit.

COMMENTARIUS.

V. 1. Quoniam ecce Dominator: loquutus fuerat in parascia superiori de retributione impiorum, & de eorum confectione in diebus Regis Messiae, nunc ait facturum brevi judicium in impios, qui sunt in Jerosolyma & in Jehuda, & conficientur fame gladioque magnates eorum, & relinquentur pueri ac parvuli. Dicit *dominator*, ut ostendat illis eum esse dominum, & in ejus potestate esse destruere & aedificare, saturare & fame conficere; verum illi non existimant eum esse dominum, & respicere in opera ipsorum, si enim crederent id, nequaquam peccarent, neque exirent e potestate ac praecepto ejus. *fulcimentum & fulcimen*, quia duplicatio significatus inservit ad roborandum juxta morem, ideo repetit eamdem rem cum dictionibus diversis masculina & foeminina, ac postea declarat dicens *omne fulcimentum panis & fulcimentum aquae;* ait *fulcimentum*, quia cibus & potus sunt fulcimentum corporis humani, quum per illos homo substentetur ac vivat, & ita dixit in Lege in reprehensionibus *dum confregero vobis scipionem panis Lev.* 26. *v.* 26. sicut enim innititur homo super baculo, ita substentatur in cibo & potu.

V. 2. *Fortem & virum belli:* hi morientur in campo per gladium. *judicem prophetam*, isti morientur in urbe fame ac peste; hi verò sunt quatuor homines maxime honorati apud populum. Jonatan נביא vertit *scribam*, & קוסם reddit *conjectorem*, ubi per scribam vult significare illum, qui monet populum, per conjectorem verò hominem rogatum, cujus scil. rogant os circa futura tanquam videntis in astra.

V. 3. *Principem quinquaginta:* etiam principem τῶν quinquaginta, ideo necesse non fuit dicere principes τῶν mille, principes τῶν centum. *& elatum faciebus*, videlicet qui est honoratus ab multitudinem divitiarum, & magnitudinem suam. *& consiliarium*, scil. cui est consilium & scientia in rebus mundi, & in negotiis, quae sunt inter hominem ejusque socium. *& sapientem artificum*, hic est qui se occupat in scientiis, easque possidet ac scit. חרשים est juxta formam חכמים, & habet significationem excogitationis seu machinationis, veluti *ne machineris adversus amicum tuum malum*, *Prov.* 3. *v.* 29. quia radix scientiae consistit in excogitatione seu machinatione cordis. Dicit autem וחכם in forma constructi ad indicandum esse sapientem super sapientes alios, videlicet esse ei discipulos sapientes. *& intelligentem eloquutionis*, significatur ille, qui est peritus in scientia argumen-

tationis & eloquentiae: dicit autem לחש, quod nomen significat sermocinationem cum silentio & quiete, veluti *quod servi ejus mussitarent. 2. Sam. 12. v. 19.* quia hujusmodi tenoris sunt verba sapientium, ut scriptum est *verba sapientum in quiete audiuntur Eccl. 9. v. 17.* In hisce quatuor, quorum fecit mentionem, consistit firmitudo civitatis ejusque stabilitas, citra verò, vastatio civitatis ejusque corruptio. Sapiens magnus Rab. Moses Maimonides ita exponit „ consiliarius vocatur ille, cujus consilium rectum est, & studia ejus, ut decet, in „ rebus politicis aut domesticis, verum non intelligit ea, quae sunt in„ tellectus, vulgo dicimus *di speculaciva*: is verò, cui sunt scientiae seu „ theoriae acquisitae in agendo, appellatur sapiens artificum: is de„ mum, qui intelligit & est natura perspicax, ac potis perficiendi res, „ uno verbo, qui a natura fortitus est ingenium, appellatur נבון לחש, „ verum non occupavit se in scientiis, neque consequutus est eas „ Jonatan vertit *Principem quinquagenarium*, *& acceptabilem vultu*, *& consiliarium*, *& docentem*, *& audientem*, *& sapientem*, *& prudentem in consilio*. In verbis Magistrorum nostrum, quorum memoria sit in benedictione „ decem & octo maledictionibus maledixit Jesaias pro„ pheta Israelitas, nec refrigerata est mens ejus, donec dixit eis *ro„ borabunt se puer in senem*, *& viiis in nobilem. infr. v. 5.* Quid„ nam est id, quod scriptum est *Quoniam ecce dominator Dominus „ &c. v. 1.? fulcimentum* sunt Auctores Scripturae, *fulcimen* sunt Au„ ctores Misnae, *omne fulcimentum panis* sunt Auctores Talmudis, „ quia dictum est *venite, comedite panem meum; Prov. 9. v. 5. om„ ne fulcimentum aquae* sunt aucteres Haggadae (*a*), qui trahunt cor „ hominis ut aquam, *fortem* sunt Auctores narrationum seu historia„ rum, *virum belli* qui versatus est in bello Legis, *judicem* hic est ju„ dex, qui judicat judicium veritatis juxta veritatem suam, *prophe„ tam* prout sonat, *divinum* hic est rex, dictum enim est *Divinatio est „ in labiis regis: in judicio non praevaricabitur os ejus. Prov. 16. v.* „ 10. *senem* hic est, quem decet sedere in Schola, שר חמשים qui „ versatus est in quinque libris Legis „ Verbum aliud „ *Principem „ quinquaginta*, dixit Rab. Abho, hinc est quod non constituunt „ interpretem linguae in Synagoga minorem quinquaginta annis: *ela„ tum faciebus* hic est, cujus causa elevant faciem ad generationem „ ipsius (*b*) superius (i. e. in Coelo) ut propter Rab. Chaninam filium Do„ sae, inferius (i. e. in terra) ut propter Rab. Abho filium Cofri: *consi„ liarum* hic est qui scit intercalare annos & figere menses: *sapientem* „ hic est discipulus, qui sapientes reddit Magistros suos: חרשים hi „ sunt, quibus aperientibus os suum, caeteri omnes efficiuntur ut „ surdi: *& intelligentem* hic est, qui intelligit rem de medio rei לחש „

(*a*) *Haggada* est discursus jucundus & subtilis historicus aut theologicus de aliquo Scripturae loco animum lectoris attrahens, nam verbum Chaldacum נגד, unde vox haec derivatur, significat *trahere*.

(*b*) Scilicet habent rationem generationis ipsius.

„ לחש hic cui dignum est tradere verba Legis, quae data sunt se-„ crete & occulte „ Praeterea dixerunt „ non tradunt arcana Le-„ gis nisi ei, cui aptentur haec quinque verba יועץ וחכם חרשים „ ונבון לחש „

V. 4. *Et dabo pueros*: postquam abstulerit senes, perinde est ac si det pueros, ut sint principes super eos: allegorice verò isti sunt homines excussi a praeceptis (*a*). תעלולים idem est ac נערים, & ita *parvuli petierunt panem*, *Thr.* 4. *v.* 4. nisi quod istud est ex forma alia, & hoc est Toar juxta formam illius *aegri fame*: *Jer.* 14. *v.* 18. Jonatan reddit *& infirmi*. In Deras תעלי בני תעלי h. e. vulpes.

V. 5. *Et opprimetur exactionibus populus*: adhuc maledictio alia, quod non incurvabunt se a facie principum & dominatorum suorum, quos posuerint super se, sed quilibet fiet exactor & moderator in socium suum, ac etiam minor in majorem. ירהבו raborabunt se super eum, & obfirmabunt in eum faciem suam, puer in senem & plebejus in nobilem: itaque ירהבו habet significationem roboris, ex illo *& robur eorum labor & molestia*: *Ps.* 90. *v.* 10. Jonatan ונגש reddit *& irruet*, ירהבו vertit *dominabuntur*, & sensus est idem, ut explicavimus. In Deras „ הנער בזקן, is, qui excussus est a praeceptis, superbiet in eum, qui plenus est praeceptis instar malogranati: „ והנקלה בנכבד is cui gravia videntur levia, superbiet in eum, cui „ levia videntur gravia „

V. 6. *Quando apprehendet*: quando apprehendet quis fratem suum, ac si dicat, quod apprehendet eum per vestimentum ejus, ut loquatur cum eo, & ut quaerat ab eo aliquid (ubi illud *domus patris sui* significat genus domus patris sui, etenim per fratem non intelligit filium patris sui, sed aliquem ex genere suo, cum quo sit eidem familiaritas vel propinquitas ex mente populi ipsius) & dicet ei, quaeso, quoniam vestimentum est tibi, scil. quoniam tu indutus es vestimentis pulchris, & videris magnus, quapropter verebuntur faciem tuam, esto princeps nobis, & argue quem fas est arguere, ac sit subter manu & dominatione tua ruina haec, qua corruimus quisque per socium suum, neque timemus unus ab altero. לכה cum He paragogico, veluti *& tibi nunc quid faciam fili mi? Genes.* 27. *v.* 37. In Deras „ שמלה sunt res (scil. virtutes, qualitates) quibus tegit se ho-„ mo tanquam vestimento: המכשלה sunt res, super quibus homines „ non stant nisi impingant in eas; si sunt istae in manu tua, princeps „ eris nobis „ (*b*) Jonatan המכשלה vertit *tributum*, quasi dicat, ad

D 2

(*a*) *Puer* Hebraicè dicitur נער quasi *excussus ex utero materno*, a radice נ״ר *excussit*.

(*b*) Sensus posteriorum verborum est de iis rebus, quas ob earum difficultatem non assequitur homo, nisi prius hallucinetur seu erret in illis.

ad exigendum tributum, quod reges terrae imponebant super eos, ut scriptum est de Pharao = Necho *& imposuit mulctam super terram centum talenta argenti, & talentum auri. 2. Reg. 23. v. 33.*

V. 7. *Assumet*: scil. assumet Deum in ore suo, ac si dicat, jurabit, & ita *Non assumes nomen Domini Dei tui in vanum: Exod. 20. v. 7. ligans*, dominator sic appellatur, quia ligat & vincit transgredientes praeceptum ipsius, & hoc eodem sensu *numqnid odio habens judicium ligabit*? i. e. dominabitur *Job. 34. v. 17.* Ratio illius *non ero* est, quia ego non sum hoc dignus, siquidem non est in domo mea panis neque vestimentum, quamvis extra compaream cum veste hac: omnia verò haec dicit ad indicandum, quod inopia & paupertas magna erit in Urbe, nam etiam illi, qui in plateis praebent se conspiciendos, domum habent omni bono vacuam. In Deras „ *non ero ligans*, „ non fui ex alligantibus sese in Schola, *& in domo mea non est pa*„ *nis neque vestimentum*, scil. non est in manu mea neque sensus Scri„ pturae, neque sensus Misnae „

V. 8. *Nam ruit*: quaenam est causa, cur ruit & concidit? quia peccaverunt contra Dominum ore ac opere ad irritandum eum, idque est quod ait *ad exacerbandum oculos Gloriae ejus* (a), quasi dicat, quod ille videt eorum opera, ipsi verò transgrediuntur praeceptum ejus, perinde ac si non videat opera eorum. עני: להמרות in pro למרות deest Jod secunda radicalis.

V. 9. *Agnitio*, ex significatione illius *& fratres suos non agnovit*; *Deut. 33. v. 9.* vult dicere, quòd ex vultu eorum poterit quisque cognoscere, eos esse impios & peccatores instar Sedomitarum, immo per semetipsos palam faciunt peccatum suum ore proprio, neque celant, quemadmodum fecerunt viri Sedomae, qui gloriabantur in iniquitatibus suis. Dominus verò Pater meus, cujus memoria sit in benedictione, opinatur He in הכרת esse radicale, & sensum esse *induratio vultus eorum*, juxta illud *non erubescitis, quòd indurati sitis mihi*? i. e. quòd induretis ac obfirmetis vultum vestrum mihi *Job 19. v. 3.* explicat enim hanc vocem ex lingua Arabum, qui dicunt هكر obfirmationem frontis seu impudentiam. Jonatan *Agnitio vultus eorum* interpetratur, quòd ipsosmet manifestat vultus eorum in judicio, *Agnitio vultus eorum in judicio testificatur contra eos. vae animae ipsorum*, quasi dicat, quòd peribit eorum anima in morte ipsorum, idque praeter poenam, quae obveniet eis adhuc vivis, & ecce ipsi rependunt malum animae suae, i. e. sibimetipsis, ob malum, quod faciunt aliis.

V. 10. *Dicite*: non est praeceptum viris peculiaribus, sed cuilibet homini, sicuti *vide odorem filii mei*; *Genes. 27. v. 27. dic regi & regi-*

(a) Per Dei Gloriam intelligitur Divina Majestas ac Praesentia, quae vocabulo Rabbinico communiter dicitur שכינה *Scecbina*, de qua vide Buxtor. in rad. שכן.

reginae Jer. 13. *v.* 18. & ſimilia his: dicit ad quemlibet, qui agnoſcat veritatem, & ſciat judicium Dei eſſe veritatem, dicite & clamate ad omnes, quòd Deus juſtus Dominus rependet cuilibet juſto ſecundum juſtitiam ipſius, & impio ſecundum impietatem ejus. Conjungit verò hunc cum verſu *vae animae illorum*, quia interdum bene eſt impio in mundo hoc: ait igitur, quòd omnibus modis peribit anima ejus in retributionem operum ſuorum malorum, quia eſt Deus juſtitiae, & non iniquitatis. *juſtus quum bonus*, ſcil. juſtus quum fuerit bonus, h. e. qui non avertetur a juſtitia ſua, neque faciet iniquitatem, dicite quòd fructum operum ſuorum manducabunt in hoc & in venturo ſaeculo; ſic dicite *Vae impio malo*.

V. 11. *Vae impio*, qui ſcil. facit malum, neque convertitur a malitia ſua, quod omnibus modis retributio manuum ejus fiet ei in hoc, aut in venturo ſaeculo; in hoc verò ſaeculo erit plerumque retributio eorum, ut fieri videtis in Iſraelitis, qui corruunt & concidunt propter mala opera ipſorum, & ex his confitemini rectum eſſe judicium Dei. Magiſtri noſtri, quorum memoria ſit in benedictione, exponentes hos binos verſus dixerunt „ *Dicite, juſtus quum bonus*, numquid „ eſt juſtus bonus, & juſtus non bonus? bonus Deo. & creaturis, „ hic eſt juſtus bonus, & ad illum referuntur verba iſta *quod fructum* „ *operum ſuorum manducabunt*, videlicet quilibet juſtus bonus manducabit fructus in ſaeculo hoc, & gloria permanebit in ſaeculo ven- „ turo: bonus Deo, ſed non bonus creaturis, hic eſt juſtus, ſed „ non bonus. *Vae impio malo*, eſtne impius malus, & impius non ma- „ lus? malus Deo & creaturis, hic eſt impius malus, malus Deo ſed „ non creaturis, hic eſt impius non malus; impio verò malo retribu- „ tio manuum ejus fiet etiam in mundo hoc. Dixerunt etiam, juſti- „ tiae eſt ſors capitalis & fructus, quia dictum eſt *quod fructum ope-* „ *rum ſuorum manducabunt*, transgreſſioni verò eſt ſors principalis ſed „ non fructus, dictum enim eſt *quia retributio manuum ejus fiet ei*, „ tranſgreſſio enim ſterilis eſt, nullique ſunt fructus, excepto caſu „ quod fecerit fructus, (prolem) veluti ſi quis veniat ſuper turpitu- „ dinem (*a*), & gignat ex ea filium „ Jonatan vertit *Dicite juſtis, beati vos, quoniam fructus operum veſtrorum perſolvetur*.

V. 12. *Populi mei exactores parvulus*: מעולל idem ac עולל, eodem ſenſu quo dixit ſuperius *Et dabo pueros principes eorum &c. v.* 4. Jonatan vertit *Populum meum moderatores ſui expoliaverunt quaſi vindemiantes vineam, & mulieres dominatae ſunt ei*, ſcil. debiles tamquam mulieres; vel ſenſus eſt, ob nimiam eorum inſectationem coitus dominatae ſunt eis mulieres contra illud *& ipſe dominabitur tibi*.

Ge-

(*a*) „ Omnis (foemina) cujus congreſſus eſt prohibitus in Lege, & „ cujus cauſſâ quis reus fit exciſionis, „ quaeque recenſentur in Paraſcia „ אחרי מות, illae vocantur עריות, „ & unaquaeque illarum vocatur ערוה, „ ut mater, ſoror, filia, & ſimiles „ *Ita ſcribit Majemon in* הלכות אישות *cap.* 1.

Genes. 3. *v.* 18. Jonatan interpretatur נשים ex significatione נושה cum He, *& tanquam foeneratores dominati sunt ei. popule mi beatificantes te seducunt*, qui dicunt tibi o te beatum! quum feceris opera mala, ipsi seducunt te; isti verò sunt prophetae mendaces, qui te commendant in operibus malis, ac perdunt & corrumpunt viam semitarum tuarum, ne redeas ad viam bonam, sed abeas per viam malam, & ita interpretatur Jonatan *qui te laudant, decipiunt te, & viam semitae tuae dissipant*. Alii exponunt מאשריך dirigentes te, quasi dicat, qui videntur dirigere te in viam bonam, ipsi seducunt te.

V. 13. *Stat ad agendam caussam*: לריב pro להריב, & ita לדין pro להדין, si enim esset nomen substantivum, Lamed haberet sceva. *ad judicandum populos*, ait, ne cogitetis, quòd Deus non mulctaturus sit vos ob mala, quae facitis, siquidem in omni tempore stat ac manet ad judicandum omnes populos; multò magis igitur populum suum Israelem, quandoquidem providentia plus apparet super eos, eo quòd proximi sint ei magis quàm caeteri populi.

V. 14. *Dominus ad judicium veniet*: etiam super senes populi, & principes ejus erit iniquitas populi ipsius, eo quòd non corripuerint eum, immo arctaverint & diripuerint tenuitatem & paupertatem populi. *& vos depavistis*, ita dicet illis in judicio, ipsum Israelem, qui appellatur vinea Domini, vos depavistis & confecistis. בערתם habet significationem ex illo *& pastum fuerit in agro alterius Exod.* 22. *v.* 5. *direptio pauperis*, si quis scrutetur post vos, invenet direptionem pauperis in domibus vestris, scil. vestes & vasa domus ejus, quae vos diripitis. In verbis Magistrorum nostrorum f. m. „ *cum senibus* „ *populi sui, & principibus ejus*, si principes peccaverunt, senes quid „ peccaverunt? quia non prohibuerunt principes „

V. 15. *Quid vobis*: מלכם est dictio una, quia He absorptum est in Daghesc, sed legitur מה לכם, & ita *quid est in manu tua? Exod.* 4. *v.* 2. Ait principibus, quid vobis, quòd atteritis populum meum? scilicet pauperes, & ita *si argentum mutuo dabis populo meo pauperi, qui est tecum, Exod.* 22. *v.* 25. vocat eos *populum meum*, quia pauperibus non est auxilium neque fulcimentum nisi Deus benedictus. Non sufficit ergo vobis, quòd diripiatis opes eorum, quin etiam atteritis eos in corpore, & commolitis eorum facies? quasi dicat, percutitis eos, & contunditis eorum facies, volens innuere plagam maxillae. *ait Dominus*, ipse dicit vobis id, quia novit opera vestra mala, vos autem ita opinamini, Dominus non videt nos: verùm ecce ipse testificatur contra vos de rapina pauperis, quae est in domibus vestris, & de eo quòd atteritis & percutitis pauperes. Ipse igitur videt omnia, & judicabit vos super omnibus, quia est Dominus exercituum superiorum & inferiorum.

V. 16. *Et dixit Dominus .... elatae sunt*, declaratio hujus verbi

sta-

statim postea subnectitur dum ait *extentae gutture &c.* haec igitur sunt verba elationis & superbiae: Magistri nostri interpretati sunt, ambulantes cum statura elata. *filiae Tzionis*, Tzion erat civitas regalis, idcirco memorat filias Tzionis, & adhuc quia major pars terrae Israelis erat vastata in diebus Achazi: mulieres igitur superbiebant in pulchritudinibus suis, seque ostendebat in plateis & in foris extentas gutture, ut in ipsas prospicerent adulteri. Magistri nostri exposuerunt נטויות גרון, quòd ambularent longa ad latus brevioris (*a*). *& nictantes oculis*, scil. indicantes illis cum oculis suis, ut veniant post ipsas in domum: sic illud *Oculus contuebatur*, *Job.* 20. *v.* 9. Chaldaice redditur עינא סקרתיה. Magistri nostri exponunt, quòd ambularent cum calcaneo propè pollicem (*b*). *compedunt*, pulsantes cum pedibus suis in compedes ab eisdem pendentes, ut quasi tintinnabula edant sonum.

V. 17. *Et scabie inficiet Dominus:* ושפח scriptum est cum Sin, sed habet significationem scabiei. Ait, in loco, in quo ostendunt fastum, erunt scabie infectae. קדקד est locus discriminis capillorum hinc & inde, dividebant enim capillos capitis sui, seque per hujusmodi divisionem reddebant pulchriores; verùm Dominus inducet super verticem earum scabiem, rem contrariam superbiae ipsarum in pulchritudinibus. *cunnum earum denudabit*, i.e. cunnum earum reteget, quod est Synonymon partis pudendae, quasi dicat, quòd ibunt nudae ante hostem ducentem eas in captivitatem: Jonatan vertit *& Dominus gloriam earum auferet*. In verbis Magistrorum, quorum memoria sit in benedictione „ Rab, & Samuel, unus dixit quòd effusae sunt ut Scy„ phus aquae; alter verò dixit quod evaserunt pudenda ipsarum ut „ silva „

V. 18. *In die illa:* diem hanc & diem illam, de qua inferius *cap.* 4. *v.* 2. nonnulli intelligunt de diebus Achazi & Ezechiae, siquidem vindicta, de qua in hac parascia, fuit in diebus Achazi, reliquis verò fuit bonum & gloria in diebus Ezechiae, de quo dictum fuit *germen Domini in decorem & in gloriam: cap. seq. v.* 2. Licet etiam explicare totum hoc de reditu exilii, quia deficient plurimi ex Israelitis, qui scil. non revertentur ad Dominum in toto corde suo, ut dictum est de eis *Et repurgabo ex vobis rebelles & praevaricantes in me, &c. Ezech.* 20. *v.* 38. de eisdem praeterea dictum est *Et inducam tertiam partem per ignem*, *Zach.* 13. *v.* 9. & reliqui erunt mansueti & sancti, contra illud quod fuerant in diebus Achazi, in quibus fuerunt superbi & polluti, neque superbient amplius mulieres in mundis suis, idcirco dicit *auferet Dominus ornamentum compedum &c.*, dictum est etiam

(*a*) Quo magis appareret ipsarum proceritas. Vide *Casaubon. ad Sueton. in August. cap.* 73.

(*b*) Gradibus adeo brevibus incedebant, ut calcaneus unius pedis penè tangeret alterius pollicem, quod faciebant gravitatis ac superbiae gratia.

etiam in prophetia Tzephaniae *tunc removere faciam de medio tui eos, qui exultant in superbia tui, & non adjicies ut extollaris amplius in monte Sanctitatis meae. Et relinquam in medio tui populum humilem & pauperem, & sperabunt in nomine Domini. Tzeph.* 3 *v.* 11. & 12. Nunc verò commemorat res illas, in quibus superbiebant, quibusque sese ornabant in diebus Achazi, quae omnes cessabunt in posterum, quia tunc non erit superbia neque in viris neque in mulieribus. Res istae sunt compedes, reticula, & lunulae. *compedes* sunt ornamentum, quod ponit mulier in pedibus suis, quod tinnitum edit, Jonatan reddit *calceamenta*, quia fortasse ornamentum hoc tinnitum edens suspensum erat in calceo (*a*). & *reticula* cum Samec pro Tzade, ex illo *Et tessellatam facies tunicam byssi, Exod.* 28. *v.* 39. & hoc est ornamentum factum ad instar operis ocellati (*b*). & *lunulas*, ornamentum factum ad similitudinem lunae rotundae, Jonatan reddit & *torques*, quae omnes sunt species vittae (*c*).

V. 19. *Myrothecidia*: haec vox הנטפות derivatur ex illa *stacten & onycha, Exod.* 30. *v.* 34. & significatur vasculum, in quo ponunt opobalsamum, seu stactem, & suspendunt mulieres e collo. Sunt qui interpretantur torques, quas faciunt ex lapidibus bdellii parvis, bdellium enim purum & nitidum Arabica lingua dicitur نطف, Jonatan etiam *torques* reddit (*d*). & *catenulas*, vertit Jonatan & *catenulas manuum*; hae igitur juxta Targum sunt armillae. והרעלות ex Misna ערביות רעלות, Geonim interpretantur velamen, quod mulieres ponebant super caput suum, eoque tegebant totum vultum, adeo ut non apparerent in illis nisi oculi, & ligabant inferius: Jonatan vertit

(*a*) Solebant virgines gestare catenulas in pedibus suis, ne graderentur passus majores, & accederet ipsis detrimentum in virginitate sua. *Videsis Maimonidem in suo libro Jad. Tractatu de Sabbatho, cap.* 19. Istis igitur catenulis (aureis, ut interpretes Talmudici tradunt) tanquam compedibus ornabant se, & quae licentiosiores erant, datâ operâ inter gradiendum agitabant, quo majorem sonitum aut tinnitum ederent.

(*b*) *In Cod. Talmudico Kelim cap.* 28. שביס explicatur ornamentum peculiare vittae ad frontem adjunctum pertingens ab una aure ad alteram. Rabbi quoque Salomon *ad h. l.* scribit esse ornamentum muliebre capitis.

(*c*) *Lunulae* erant bullae rotundae in morem lunae, quae ornatus caussa adhibebantur. *Vid. Pagn. in rad.* סהר.

(*d*) הנטפות quasi *Stillatoria* aut *Guttatoria*, e *rad.* נטף *stillavit*. Huc pertinet & illud Juvenalis *Satyr.* 2.

.... sed tamen unde
Haec emis hirsuto spirant opobalsama collo
Quae tibi? ne pudeat dominum monstrare tabernae.

Extant in insigni Musaeo Domini mei eruditissimi Equitis Casparis Menabuoni olim Menabuoi bina ejusmodi vascula, quae collo appensa ferunt mulieres Sinenses, quibus non absimilia fuisse arbitror ea, de quibus hîc loquitur Propheta.

tit *mitras*, quemadmodum etiam reddit vocem חמנים *infra cap* 17. *v.* 8. *& cap.* 27. *v.* 9. & ita pariter vertit Onkelaus vocem חמניכם *Lev.* 26. *v.* 30. (*a*)

V. 20. *Tiaras:* פארים idem ac מגבעות, ex *ornamenta tiararum Exod.* 39. *v.* 28. *Tiarae lineae erunt super caput eorum, Ezech.* 44. *v.* 18. Jonatan *coronas* reddit (*b*). *periscelides* צעדות pro אצעדה, & hoc est ornamentum, quod portant mulieres in cruribus, sic Jonatan *& armillas pedum* reddit. *& redimicula*, sunt chordae sericae, quibus colligant caput, (scilicet capillos) Jonatan vertit קיל משמשאי, neque scio quid sit. *& domos animae*, ornamentum, quod suspendunt mulieres inter mammas super corde: Jonatan *inaures* reddit (*c*). *& inaures*, ornamentum quod suspendunt mulieres in auribus; sic appellatur, quia aures sunt dominae mussitationis: Jonatan vertit *monilia* (*d*).

V. 21. *Annulos:* notum est; pariter *monilia nasi* (*e*), veluti *& posui monile super nasum ejus, Genes.* 24. *v* 47.

V. 22. *Et mutatorias*, veluti *& induere te mutatoriis. Zach.* 3. *v.* 4. sunt vestes pulchrae: Jonatan *tunicas* reddit (*f*). *& amicula*, tegu-

E

(*a*) Si spectes significantiam verbi רעל *tremere*, unde vox ista deducitur, possumus interpretari vela byssina capitis gemmis & bracteolis aureis tremulisque collucentia.

(*b*) De Tiarae forma ita scribit D. Hieronymus ad Fabiolam „ Quartum genus vestimenti est rotundum „ pileolum, quasi sphaera media sit „ divisa, & pars altera ponatur in ca„ pite. Hoc Graeci & nostri τιάραν, „ nonnulli galerum vocant: non ha„ bet acumen in summo, nec totum „ usque ad comas tegit, sed tertiam „ partem a fronte inopertam relin„ quit, atque ita in occipitio vitta „ constrictum est, ut non facile la„ batur ex capite. „

(*c*) Vatablus, qui sequutus est Kimchium, interpretatur monilia quaedam dependentia a collo inter ubera super pectus, sic dicta; quòd muniant domum animae, i. e. cor. Alii reddunt *domos flagrantiae*, ac dicunt esse odoriferas pyxides inter ubera pendentes, qualis fuit opinio Vulgati nostri, qui vertit *olfactoriola*. Alii denique reddunt *bucculis*, quibus scilicet excipitur halitus, quum obducuntur ori: intellige superba illa aulicarum foeminarum instrumenta, quibus os suum contegunt veluti pastomidibus: est enim os meatus animae, sive anhelitus, cujus obex propterea Hebraeis *domus animae* appellatur.

(*d*) Aben Ezra scribit לחשים esse characteres auro vel argento scriptos, formâ vel modo incantationis, aut orationis occultae, vulgo *Amuleti*.

(*e*) Foeminae Orientales ferre solent ornamenta quaedam ut ab auribus ita etiam a naribus suspensa. Vide *Thomam Bartholinum de Annulis narium*. Licet etiam intelligere de ornamentis aurium, & totius oris.

(*f*) Pro diversis locis, temporibus, ac statibus diversa erant ornamenta, unam enim tantùm habere vestem valde pauperum erat, quales subulci apud Homerum, qui sic loquuntur *Odyss.* XIV.

Οὐ γὰρ πολλαὶ χλαῖναι ἐπημοιβοί τε χιτῶνες Ἐνθάδ᾽ ἕννυσθαι, μία δ᾽ οἴη φωτὶ ἑκάστῳ

Non

tegumentum, quo ſe mulier operit (*a*). והמטפחות ſpecies pepli, ſicuti *aff:r peplum, quod eſt ſuper te Ruth.* 3. *v.* 15. (*b*). *& aciaria*, ſunt marſupia, aut loculi, ſicut *in duobus loculis* 2. *Reg.* 5. *v.* 23. ſic Arabicè loculus appellatur كرطة, quia Chet Hebraicum ſaepe mutatur in Cheph Arabicum: Jonatan vertit ומחכיא (*acus*, *aciaria*, *fibulas*) & ita vocem וכומז *Exod.* 35. *v.* 22. Onkeloſus reddit ומחוך (*c*).

V. 23. *Et ſpecula:* ſpecula ſic appellantur, quia revelatur ibi facies reſpicienti in illis: Jonatau etiam reddit *ſpecula*, ſic illud *ex ſpeculis mulierum miniſtrantium*, vel *turmatim convenientium* vertit Onkeloſus *ex ſpeculis muliebribus*: *Exod.* 38. *v.* 8. *& ſindones*, notum eſt (*d*). *& cidares*, pariter notum eſt, veluti *& cidari lini obvolvet te Lev.* 16. *v.* 4. (*e*). *& carbaſa*, haec eſt veſtis ſubtilis ac tenuis, quae Arabicè dicitur ردية, & ita *abſtulerunt carbaſum meum de ſuper me*, *Cant.* 5. *v.* 7. Jonatan etiam vertit *theriſta* (*f*). In verbis Magiſtro-

Non enim multae chlaenae mutatoriaeque tunicae
Hic ad induendum, una autem ſola viro ſingulo.
Idem contrà, ubi luxum Phacacum deſcribit, nominat
Εἵματα τ' ἐξημοιβά κ. τ. λ.
Veſtes mutatorias &c.
Sic 2. *Reg.* 5. *v.* 22. *da quaeſo eis talentum argenti, & duos mutatorias veſtes*. Si verò vim radicis ſpectes, ſunt veſtes pretioſiores, quae rarò & ad pompam induuntur, extractae a vulgari uſu, Italicè *Abiti di Gala*, nam חלץ ſignificat *extrahere, detrahere*. Alii reddunt *ſuppara* vel *ſupparos*, quod ſuſpendantur circa חלצים *lumbos*, ideoque ſecundum iſtos genus veſtimenti eſt, quod corpus a cingulo deorſum tegit, qualia ſunt mulierum ſuccincta, vel etiam virorum, ut patet ex *Zach.* 3. *v.* 4.

(*a*) A radice עטף *operire*: vel ſunt periſtromata lectorum.

(*b*) Nonnulli, ut alibi obſervat Kimchius noſter, interpretantur Chirothecas, & ſic deducunt a prima ſignificantia vocis טפח, quae, teſte eodem in *lib. Rad.* eſt menſura quatuor digitorum ad ſeſe junctorum.

(*c*) Intellige marſupia illa, quibus infiguntur aciculae pro diſcriminandis concinnandis & criſpandis crinibus: vel ſunt ipſa calamiſtra. Quoad vocem Chaldaeam מחוך, ex *cap.* 31. *v.* 50 *Numer.* videtur eſſe ornamenrum pectoris circa mammas. Elias in Tiſbi putat eſſe ornamentum ad comprimendas mammas, nam Targum Hieroſolymitanum habet מעוכיא a radice מעך *comprimere mammas*. Compreſſio verò uberum, ut ait Kimchius noſter ad *Ezech.* 23. *v.* 3. eſt modus ſcortationis.

(*d*) Videlicet lintea tenuiſſima, quibus ad tegumenta, & ornamenta capitis mulieres utebantur.

(*e*) Vulgò *il Turbante*.

(*f*) D. Hieronymus ad hunc locum „ Habent & theriſtra, quae nos pallia poſſumus appellare, quo obvoluta eſt & Rebecca, & hodie quoque Arabiae & Meſopotamiae operiuntur foeminae, quae Hebraicè dicuntur הרדידים Graecè θέριστρα ab eo, quòd in θέρει h. e. in aeſtate & caumate corpora protegant foeminarum „ Curtius *lib* 8. *cap.* 9. de Indis „ corpora uſque „ ad pedes carbaſo velant „

ftrorum noftrorum, quorum memoria fit in benedictione „ Detur the„ ftrum meum filiae meae „

V. 24. *Et erit*: haec maledictio ufque ad finem parafciae fuit in diebus Achazi. Erit praeterea aroma, quod corroborat & confolidat carnem, tabes & foetor, res nimirum contraria, fcilicet liquefactio carnis, veluti *& lingua ejus tabefiet in ore Zach.* 14 *v.* 12. *difciffio*, erit caro plagis & percuffionibus affecta, ideoque non poterunt cingere fuper eam, ficuti *& poftquam pellem meam difciderunt hanc, Job.* 19. *v.* 26. In verbis Magiftrorum noftrorum, quorum memoria fit in benedictione „ Non difcindit (fcil. percutit) homo digitum fuum in „ terra, quin proclament in Coelo „ מעשה מקשה i. e. opere aequali, & ita *ficut palma aequalis funt Jer.* 10. *v.* 5. fenfus verò eft, pro eo quod difponebant & aequabant capillos, erit nunc calvitium pro aequalitate ac difpofitione capillorum: מעשה non eft in forma contracta, quia punctatum eft cum Saegol, & מקשה eft Toar feu forma ipfius. פתיגיל eft cingulum fericum latum (a). *pro pulchritudine*, univerfa haec turpitudo venit eis, quia reddebant fe nimium pulchras in ornamentis ac mundis fuis. Sunt qui explicant כי in fenfu aduftionis; & ita in verbis Magiftrorum noftrorum f. m. „ *aduftio pro pul*„ *chritudine*, hoc eft, quod dicunt homines, pro pulchritudine adu„ ftio „

V. 25. *Viri tui*: mulieribus erit execratio illa, quae modo commemorata eft, viris autem erit haec, quod in gladio cadent. Sermo hic dirigitur ad Tzionem, quemadmodum dixit fuperius *filiae Tzionis v.* 16. *& fortitudinis tuae*, h. e. viri fortitudinis tuae, nam illud *viri tui* femel commemoratum, denuò fubintelligitur: fenfus igitur eft, viri fortitudinis tuae, quorum viribus confidebas, cadent in bello, & ita vertit Jonatan *& victores tui in bello*.

V. 26. *Et moerebunt*, ex fignificatione illius *moeror & luctus*; *Jefa.* 29. *v.* 2. *Thr.* 2. *v.* 5. ואבלו fignificatio luctus, & eft per modum fimilitudinis, veluti *viae Tzionis lugentes, Thr.* 1. *v.* 4. *& mundata erit*, erit munda viris fuis, eo quod non futurus fit qui habitet in ea. *in terra fedebit*, quia erit devaftata, cadent enim muri, domus, & turres ejus in terram; vel fenfus illius *in terra fedebit* eft metaphoricus, fcilicet per modum luctus, perinde ac fi civitas in terra fedeat ab viros fuos, qui egreffi funt ab ipfa, juxta illud *federunt in terra, conticuerunt fenes filiae Tzionis, Thr.* 2. *v.* 10. Jonatan vertit, *& defolabitur terra, & deferta erit*.

(a) In libro radicum fcribit genus effe veftis, quam induebant ad gloriam & decorem. Aben Ezra pro vefte tenui, atque arte Phrygionica acu pičta, quae ponebatur fuper omnea veftes.

JESAIAE CAP. IV.

1. ET apprehendent feptem mulieres virum unum in-
die illa dicendo, panem noftrum comedemus,
& veftem noftram induemus: tantùm vocetur nomen tuum
fuper nos, aufer opprobrium noftrum. 2. In die illa
erit germen Domini in decorem & in gloriam: & fructus
terrae in excellentiam & ornatum evafioni *refiduo* Ifrae-
lis. 3. Et erit, relictus in Tzione, & refiduus in Jerofo-
lyma, fanctus dicetur ei: omnis fcriptus ad vitam in Je-
rofolyma. 4. Quando abluerit Dominus excrementum fi-
liarum Tzionis, & fanguines Jerofolymae laverit ab in-
teriori ejus: in fpiritu judicii, & in fpiritu ardoris. 5.
Et creabit Dominus fuper omnem ftationem *locum vel
habitaculum* Montis Tzionis, & fuper convocationem
ejus nubem interdiu & fumum, & fplendorem ignis
flammae noctu: quia fuper omnem gloriam *erit* prote-
ctio. 6. Et tabernaculum erit in umbram interdiu ab
aeftu: & in refugium & in abfconfionem ab inundatione
& a pluvia.

COMMENTARIUS.

V. 1. ET *apprehendent*, veluti *& apprehende manu tua eum: Genef.* 21. *v.* 18. id verò erit in diebus Achazi, in quibus occidit Phekachus filius Remaliae in Jehuda centum viginti millia in die uno 2. *Par.* 28. *v.* 6. & relictae fuerunt mulieres tantum, & de hoc ait *multiplicatae funt mihi viduae ejus prae arena marium, Jer.* 15. *v.* 8. *feptem* verò non eft pro fupputatione certa, fed fic eft mos Scripturae dicere *feptem* & *fepties* pro fupputatione magna, quia omnes dies faeculi funt feptimanae, veluti *fepties fuper peccatis veftris. Lev.* 26. *v.* 28. *fepties cadet juftus, & refurget: Prov.* 24. *v.* 16. *fuper lapidem unum feptem oculi Zach.* 3. *v.* 9. ita hìc dum dicit *feptem mulieres*, vult dicere mulieres multas. *panem noftrum comedemus*, quod tenetur homo facere de fuo, alimentum fcilicet & ve-

fti-

ftitum, dicent ei, nos faciemus de noftro alimentum & veftitum, tantum ut accipiatis nos in mulieres, ut dicant de nobis, maritatae funt. *aufer opprobrium noftrum*, quia opprobrium eft mulieri, quae manet abfque marito. Eft & Deras, quod Nebucadnetzar imperavit exercitibus fuis, qui in id incumberent, ne Jehudaei uxorem ducerent, idcirco quaerebant, ut fibi effet nomen mariti.

V. 2. *In die illa:* jam explicavimus *cap. fup. v.* 18. quod *in die illa* intelligendum eft de die falutis, quum venerit Redemptor. *& germen Domini* intelligendum de Meffia filio Davidis, ut dictum eft *& fufcitabo Davidi germen juftum, Jer.* 23. *v.* 5. לצבי fignificat defiderium, aut decorem & ornamentum, veluti *ornamentum eft omnibus terris Ezech.* 20. *v.* 6. *in coronam decoris Jefa.* 28. *v.* 5. *& fructus terrae*, id pariter dicit de Meffia, qui ab initio erit ut germen pulchrum, cujus vifu gaudeat homo, poftquam verò pervenerit eo, ut infint fructus, majus ab eo emolumentum carpent, magifque laetabuntur in eo; ita erit Rex Meffias, a principio gaudebunt in eo, poftea verò, quum fecerit opus, viceritque bellum Gogi & Magogi, & pofuerit terram tranquillam & quietam, univerfus enim Mundus timebit ab ipfo, poftea, inquam, erit in fublimitatem & in decorem, quia fuperbient & gloriabuntur in eo fuper omnes gentes. Ait *evafioni* (vel *refiduo*) ficuti fcriptum eft *removebo de medio tui eos, qui exultant in fuperbia tui . . . . . & relinquam in medio tui populum humilem & pauperem, & fperabunt in Domino &c. Tzephan.* 3 *v.* 11. *&* 12. & ita dicit inferius *Et erit refiduus v. feq.* Jonatan *germen Domini* vertit *Chriftus Domini*, & *fructus terrae* reddit *factores Legis*.

V. 3. *Et erit:* meminit Tzionem & Jerofolymam, quia eft caput regni Ifraelitici, vel quia ibi erit bellum Gogi & Magogi. *dicetur ei*, i. e. dicetur de eo, quod eft fanctus & juftus. *fcriptus*, quia decernent de eo ut vivat propter rectitudinem & opera ipfius bona, & hoc eodem fenfu *dele me nunc de libro tuo, quem fcripfifti, Exod.* 32. *v.* 32. Jonatan ita reddit hunc verfum *Et qui relictus fuerit, revertetur ad Tzionem, & factor Legis fubftentabitur in Jerofolyma*.

V. 4. *Quando abluerit:* אם hic fignificat *quando*, ut in iftis *& erat quando ingrediebatur ad uxorem fratris fui Genef.* 38. *v.* 9. *Quando erit Jobel filiis Ifraelis, Num.* 36. *v.* 4. *& quando offeres facrificium primitiarum. Lev.* 2. *v.* 14. & fimilia his, ut fcripfimus in libro Miclol. Senfus hujus verfus pertinet ad materiam verfus fuperioris *fanctus dicatur ei &c.:* & quando erit id? poftquam abluerit Dominus exercituum excrementum filiarum Tzionis, i. e. inquinamenta & fordes; hoc verò dicitur per fimilitudinem ad fignificanda mala opera, quae funt hodie in Tzione, quae non erunt amplius ibi, etenim *tum removebo de medio tui eos, qui exultant in fuperbia tui, Tzeph.* 3. *v.* 11. רחץ eft praeteritum loco futuri, quod faepe occurrit, praefertim in verbis prophetiae. *abluerit* & *laverit* eft repetitio ejuf-

ejusdem rei cum vocabulis diversis, sicuti etiam *excrementum* & *sanguines*, itemque *judicii* & *ardoris*, quasi dicat, quod secundum judicium operabitur, neque protrahet ulterius improbis, & in hoc exuret malum omnino, neque relinquetur ex eo quidquam. Conjungit autem ventum cum dictione lotionis & ablutionis, volens significare magnitudinem incendii, adeo ut non relinquatur de humiditate peccati quidquam, instar venti, qui arefacit aliquid; vel רוח idem significat ac in istis *& in spiritu labiorum suorum*, *Jes.* 11. *v.* 4 *& in spiritu oris ejus*, *Ps.* 33. *v.* 6. & ita vertit Jonatan *in verbo judicii*, *& in verbo consumationis*.

V. 5. *Et creabit Dominus*: ab initio morabatur nubes gloriae in Tabernaculo & in Domo Sanctuarii, sed quum reversa fuerit migratio, apparebit nubes gloriae in domibus sapientum magnatum & sanctorum, idque est quod ait *super omnem stationem Montis Tzionis*, *& super convocationem ejus*, scilicet super omnem locum excelsum in aestimatione habitatorum ejus: locus verò iste appellatur etiam convocatio, quia convocabuntur illuc coetus coram sapientibus. Pronomen ה in מקראה refertur ad Tzionem. Erit igitur ibi interdiu nubes & fumus, noctu verò splendor ignis flammae, quemadmodum fuit in Tabernaculo columna nubis interdiu, & columna ignis noctu *Exod.* 13. *v.* 22. fumus verò est nubes densa. Jonatan *& fumum* reddit *& caliginem*, ac sensus est ut dicitur *& caligo circa eum*. *Ps.* 97. *v.* 2. quae est metaphora acquisitionis veritatis Dei, quae non acquiritur neque apprehenditur realiter, quia non videbit illum homo vivens *Exod.* 33. *v.* 10. quandoquidem ne bestiae quidem sanctae, de quibus *cap.* 6. *v.* 2. vident eum; in illo verò tempore dicit quòd crescet apprehensio hominum. *quia super omnem gloriam protectio*, scilicet super omnem gloriam domorum Jerosolymae erit protectio, quasi dicat, gloria Dei obteget eas nube interdiu, & igne noctu. Jonatan *super omnem stationem* vertit *super omne sanctuarium montis Tzionis*.

V. 6. *Et tabernaculum*: & ipsa protectio erit eis pro umbra interdiu ab aestu, ne percutiat eos sol & aestus, neque noceat eis, itemque pluvia non oberit illis, quia Protectio erit eis pro tegmine & absconsione. Jonatan vertit *Et super Jerosolyma obumbrabit nubibus*, *ut sit umbra super eam in die ab aestu*, *& in domum refugi etiam ad protegendum a turbine & a pluvia*.

JE-

JESAIAE CAP. V.

1. CAntabo nunc Dilecto meo canticum Dilecti mei
de vinea ejus, vinea fuit dilecto meo in cornu
filio olei 2. Et fodit eam, & elapidavit eam, & plantavit
eam vite generosa, & aedificavit turrim in medio ejus,
& etiam torcular excidit in ea: & expectavit ut faceret
uvas, & fecit labruscas. 3. Et nunc habitator Jerosoly-
mae, & vir Jehudae, judicate quaeso inter me & inter
vineam meam. 4. Quid faciendum erat adhuc vineae meae,
& non feci in ea? quare expectavi ut faceret uvas, &
fecit labruscas? 5. Et nunc indicabo vobis, quid ego fa-
cturus sim vineae meae: removere sepem ejus, & erit ad
pascendum, disrumpere maceriem ejus, & erit in con-
culcationem. 6. Et ponam eam desolationem, non putabi-
tur neque sarrietur, & ascendet sentis ac dumus: &
nubibus mandabo ne pluant super eam imbrem 7. Nam
vinea Domini exercituum domus Israelis, & vir Jehudae
planta delectationum ejus: & expectavit judicium & ec-
ce scabies *plaga*, justitiam & ecce clamor. 8. Vae con-
jungentibus domum domui, agrum agro appropinquare
faciunt *adjungunt*: donec non locus, & habitare facti
estis *efficimini habitatores* vos tantùm in medio terrae.
9. In aures mei Domini exercituum: si non domus ma-
gnificae in desolationem erunt, magnae & praestantes
absque habitatore. 10. Nam decem jugera vineae facient
Bathum unum: & semen Chomeris faciet Epham. 11.
Vae surgentibus summo mane *ut* siceram persequantur:
morantibus *usque* ad crepusculum, *donec* vinum inflam-
met eos. 12. Et est cithara & nablium, tympanum ac
tibia, & vinum *in* conviviis eorum: & opus Domini non
respiciunt, & facturam manuum ejus non intuentur. 13.
Ideir-

Idcirco migravit populus meus absque scientia: & *viri* gloriae ejus homines famis, & multitudo ejus arefacta siti. 14. Quapropter dilatavit sepulchrum animam suam, & distendit os suum absque modo: & descendit gloria ejus, & multitudo ejus, & turba ejus, & laetabundus in ea. 15. Et incurvabitur homo, & humiliabitur vir: & oculi elatorum deprimentur. 16. Et exaltabitur Dominus exercituum in Judicio: & Deus sanctus sanctificabitur in justitia. 17. Et pascentur agni juxta morem solitum eorum: & vastationes pinguium alienigenae manducabunt. 18. Vae trahentibus iniquitatem cum laqueis vanitatis: & veluti fune plaustri peccatum. 19. Qui dicunt, acceleret festinet opus suum, ut videamus: & appropinquet & veniat consilium Sancti Israelis, & sciamus. 20. Vae dicentibus de malo bonum, & de bono malum: ponentibus tenebras in lucem, & lucem in tenebras, ponentibus amarum in dulce, & dulce in amarum. 21. Vae sapientibus in oculis suis: & coram faciebus suis intelligentibus. 22. Vae fortibus ad bibendum vinum: & viris roboris ad miscendum siceram. 23 Qui justificant impium *absolvunt reum* propter munus, & justitiam justorum auferunt ab eo *ab eis*. 24 Quare sicut devorat stipulam lingua ignis, & cremium *lingua* flammae debilitat, *ita* radix eorum ut tabes erit, & flos istorum ut pulvisculus ascendet: quoniam renuerunt legem Domini exercituum, & dictum Sancti Israelis spreverunt. 25. Quapropter exarsit furor Domini in populum suum, & extendit manum suam super eum, & percussit eum, & contremuerunt montes, cadaver eorum succisum in medio platearum: in toto hoc non aversus est furor ejus, & adhuc manus ejus extenta. 26. Et elevabit signum gentibus a longinquo, & sibilabit ei *eis* ab extremo terrae: & ecce cito leviter veniet. 27. Non erit lassus neque impingens in ea *in eis*, non dormiet neque dormitabit: neque solvetur cingulum lumborum ejus, neque enodabitur corrigia calceamentorum ejus. 28. Cujus

us sagittae acutae, & omnes arcus ejus tensi: ungulae equorum ejus ut rupes repurabuntur, & rotae ejus ut turbo. 29. Rugitus ei sicut leonis immanis, rugiet instar leunculorum, & fremet & prehendet praedam, & capiet residuum, & non erit qui eripiat. 30. Et fremet super eum in die illa juxta fremitum maris: & aspiciet ad terram, & ecce tenebrae angustiae, & lux obtenebrabitur in coelis ejus.

COMMENTARIUS.

V. 1. C*Antabo nunc*: verba Prophetae facientis comparationem inter Deum benedictum & Israelem, in qua Israelem vocat vineam, Deum verò dominum vineae, & hujusmodi comparationem appellat canticum. Loquutus verò est comparationem hanc de viris generationis suae, quia est laudatio amantis & amoris ejus erga amatum, & ita Canticum canticorum Salomonis, in quo enarrat dilectionem diligentis erga dilectam; istud verò est comparatio Dei cum Synagoga Israelis. Vocat Propheta Deum benedictum ידידי & דודי juxta illud *quoniam me peramavit Ps. 91. v. 14. in cornu filio olei*, juxta Targum *in monte excelso, in terra pingui*. Appellat autem terram Israelis *cornu*, quia est elatior caeteris omnibus terris, quemadmodum cornu elatius est universo corpore: appellat pariter terram Israelis filiam olei juxta illud, quod dictum est de ea, *terram fluentem lacte & melle. Exod. 3. v. 8.*

V. 2. ויעזקהו, i. e. & fodit eam, ex verbis Magistrorum nostrorum f. m. „ invenerunt eos sedentem & fodientem sub oleis „ vel sensus est, sepivit eam in circuitu, ex Targum, in quo pro טבעת *annulus Exod. 35. v. 22.* est עזקא, quia rotundus est circumquaque, qui enim vult plantare vineam, primùm sepit eam, ne ingrediatur illuc bestia, & corrumpat plantas, deinde affodit locum plantationis vitium, & ita elapidat ex ea lapides, ac denique plantat selectissimas plantas, quas invenerit; idque est quod ait *& elapidavit eam*, videlicet abstulit inde lapides, ac denique plantavit eam vite generosa, nam שורק est planta magni habita, veluti *plantavi te optimam vitem, Jer. 2. v. 21.* idcirco dixerunt, quòd שורק appellatur vitis illa, quae profert uvas bonas, in quibus non est nucleus. Sensus verò parabolae hic est, quòd custodivit Deus Israelem, postquam introduxit eum in terram: sepes sunt nubes, quae circumdant eos, & abstulit a vinea lapides, h. e. septem nationes a terra Israelis, plantavitque in ea hunc populum, qui est planta electa, semen veritatis, quum sit semen

 Abra-

Abrahami Iſaci & Jaacobi, quapropter debebant facere fructum bonum. Eſt & Deras „ ſexcenta & ſex praecepta juxta numerum שורק „ addidi eis ſuper ſeptem praecepta, quae tradita fuerunt filiis Noachi „ *& aedificavit turrim in medio ejus*, ille, cui eſt vinea bona, & vult cuſtodire eam cuſtodiâ eximiâ, aedificat turrim in medio ejus, praeterea facit in ea torcular, ubi calcet uvas, & ubi fervet vinum, quae omnia facit ob ipſius amorem in vineam. Sunt etiam qui aedificant turrim unam in vinea ad cuſtodiendas omnes vineas, ſic Deus benedictus aedificavit turrim in medio ejus, quando fecit eos confidere in cuſtodia ſua, quod per omne tempus, quo audiant vocem ipſius, & ſperent in ipſius nomine, non obventurum ſit ipſis aliquid mali, quum haec ſit turris firma, ut ſcriptum eſt *Turris fortitudinis nomen Domini: ad ipſam curret juſtus & exaltabitur*. *Prov.* 18. *v.* 10 *& etiam torcular excidit in ea*, iſti ſunt Prophetae, ſicuti dictum eſt *excīdi in prophetis*, *Hoſ.* 6. *v.* 5. ſicut autem in torculari calcant uvas ad exprimendum fructum uvarum ut fiat vinum, ſic prophetae docent rectitudinem legis, ut ſint opera eorum bona cum Deo & cum hominibus: Jonatan *turrim* vertit *domum ſanctuarii*, & *torcular* reddit *altare*. *& expectavit ut faceret uvas, & fecit labruſcas*, ecce ipſe expectavit ut faceret haec vinea uvas bonas, utpote fuit planta bona, etenim ex planta bona fuerunt, ſcilicet ex Abrahamo Iſaco & Jaacobo, itemque docuit eos legem veritatis, quapropter conveniens erat, ut opera eorum eſſent bona, verùm fecit labruſcas, i. e. uvas malas, ut interpretatur Magiſter noſter Saadias ex Targum, in quo ויעש redditur ובאש: Doctor verò noſter Haai, cujus memoria ſit in benedictione, ita ſcripſit „ באושים eſt ſpecies nota ex „ ſpeciebus uvarum, ſed omnium peſſima, ut notum eſt etiam ex lingua Miſnae *uvae & labruſcae* poſito Aleph ante Bet; ſic Iſraelitae, „ qui debebant facere opera bona, patrarunt opera mala „

V. 3. *Et nunc*: quaſi dicat, vosmetipſi eſtote judices inter me & inter vos: ideo vero dicit *habitator Jeruſolymae* & *vir Jehudae*, quia reliquae decem Tribus jam iverant in exilium, quando edita fuit haec prophetia, anno enim ſexto Ezechiae migraverunt decem Tribus 2. *Reg.* 18. *v.* 10 *&* 11.

V. 4. *Quid faciendum*: omnes cuſtodias & operationes, quas facit homo in vinea ſua, ego feci in ea, nec quidquam praetermiſi quod non fecerim; ſi ſic, quare contigit mihi expectare ut faceret uvas, & fecit labruſcas? קויתי cum Tzere ſub Vau.

V. 5. *Et nunc*: הסר משוכתו cum Dagheſc unaque cum Vau, illud autem *ſepimentum ſpinae*: *Prov.* 15. *v.* 19. eſt raphatum. Sepes verò eſt id, quod faciunt in vinea ex ſpinis extra maceriam lapideam, quam extruunt in eadem, idque faciunt ad majorem cuſtodiam, niſi enim eſſet ſepes, ingrederetur in eam homo per impulſionem, idque eſt *& erit ad paſcendum*, ſcilicet in eſcam, veluti *& pa-*

ſtum

ftum fuerit in agro alterius Exod. 22. *v.* 5. Poftquam igitur difrupe. rit maceriam lapideam, erit in conculcationem, quia conculcabunt eam ferae & beftiae: parabola verò fepis & maceriae eft cuftodia Dei, quam fubducet ab eis, & nationes mundi dominabuntur in illis, ut ait Scriptura *& abfcondam faciem meam ab eis, & erit ad confumendum, Deut.* 31. *v.* 17.

V. 6. *Et ponam eam defolationem:* praeterea faciam ei hoc, quòd licet fecerim eam communem omnibus, ut devorent & conculcent eam beftiae, tamen etiam in vitibus, quae relictae funt in ea, non faciam quidquam culturae, ut proferant fructus, fed derelinquam eam ut fit defolatio, non putabitur, neque farrietur. יזמר fignificat caefionem palmitum ad multiplicandum in fructibus. יעדר fignificat opus, quo effodiunt circa propaginem ad extirpandas fpinas & herbas noxias. Poftquam igitur non coletur, afcendet fentis ac dumus inftar terrae, quae non colitur, in qua germinant fentis ac dumus; fentis verò ac dumus funt fpecies fpinarum. בתה fignificat defolationem, veluti *in torrentibus defolationum, Jef.* 7. *v.* 19. licet iftud fit daghefcia̱tum, hoc verò raphatum. Parabola igitur eft, quamvis abftulerim cuftodiam meam ab eis, ideoque facti fint in efcam gentibus, quae migrare fecerunt e terra fua plerofque ipforum, (decem enim Tribus jam migraverant) tamen refiduis nihil boni faciam, neque immittam benedictionem meam in eos ut fructificent & crefcant, ficut qui caedunt palmitem feu propaginem, quo majori copia proferat fructus. *& afcendet fentis ac dumus*, quia erunt ipforum opera in maledictionem, ut ait *& qui mercedem operae reportat, collocat eam in facculo pertufo. Haf.* 1. *v.* 6. Parabola verò *& nubibus mandabo* intelligenda eft juxta litteralem fenfum, fcilicet prohibebo benedictionem meam a terra veftra, quemadmodum fcriptum eft *& claudat Coelos & non fit pluvia, Deut.* 11. *v.* 17. Jonatan vertit *& Prophetis mandabo ne prophetent fuper vos prophetiam.*

V. 7. *Nam vinea Domini:* nunc declarat parabolam; Domus Ifraelis funt decem Tribus, vir Jehudae eft Tribus Jehudae ac Binjamini. *planta delectationum ejus*, ab initio quando plantavit eos, planta delectationum ipfius fuerunt, eo quod delectaretur in eis, & gauderet cum eis, quoadufque peregerunt opera bona, & expectavit ex illis ut facerent jugiter opera bona & judicium pauperum, quemadmodum & ipfe fecerat cum illis affidue bona. משפח plaga, pro ספחת, etenim euphoniae gratia conjungit משפח cum משפט, & ita צעקה cum צדקה, quia hujufmodi voces proximae funt inter fefe quoad litteras. Senfus igitur hujus verfus eft, ego expectavi ut facerent judicium pauperum & oppresforum, verum ecce funt eis fcabies (*vel* puftula) & plaga leprae; infuper expectavi ut facerent illis juftitiam, fed ecce clamor pauperum clamantium ob oppreffionem, qua opprimunt ipfos. משפח fcriptum eft cum Sin.

V. 8. *Vae conjungentibus domum:* loquitur de illis, qui attingunt confine, ac diripiunt pauperes, si enim sit pauperi domus conjuncta domui divitis, aut ager conjunctus agro illius, venit ad hunc cum astutiis, ut ab ipso capiat, & conjungat cum illa illove, quae quive eidem est. *usque non locus*, donec non relinquatur locus pauperibus ad inhabitandum, vos enim existimatis esse vos tantùm dignos qui habitebitis terram, eo quod sitis magni & divites. *& habitare facti estis* ex conjugatione Hophal, qui verò faciunt vos habitare sunt judices iniqui.

V. 9. *In aures mei* (*a*): dictum Sancti illius benedicti, ait, quod vos loquimini inter vos, & convenitis de diripiendis pauperibus, in aures meas ascendit, quia ego sum Dominus exercituum superiorum & inferiorum, & in manu mea est humiliare & exaltare: ego igitur dico *domus magnificae in desolationem erunt*, vos existimatis esse vos tantùm dignos qui habitetis, & ego dico, quòd vos migrabitis ex eis, quodque domus vestrae, quae magnificae sunt & magnae, erunt desolatae absque habitatore. *si non*, vox juramenti, sicuti *si non secundum quod cogitavi sic erit*. *Jes.* 14. *v.* 24. *si non posui & silere feci*. *Ps.* 131. *v.* 2. idque juxta morem hominis dicentis, non erit id, nisi erit hoc. רבים juxta illud *& magnantes regis*. *Jer.* 42. *v.* 1. quasi dicat, aestimatae ob structuram pulcherrimam, & ita *magnae ac praestantes*, quae est repetitio significationis cum vocabulis diversis. Jonatan vertit *Dixit Propheta, in auribus meis audivi quando decretum fuit hoc a conspectu Domini exercituum, si non domus multae in vastationem erunt, magnae ac praestantes absque habitatore*.

V. 10. *Nam decem jugera vineae:* modò reddit rationem, quare domus erunt desolatae absque habitatore, quia immittam maledictionem in agros & in vineas pro eo quòd eripuerunt eos easque a pauperibus, idcirco erit proventus eorum earumque in maledictionem; postquam autem non erunt fructus, ne habitatores quidem erunt. Decem jugera significant eam extensionem vineae, quam arent decem jugalia boum in uno die, ex qua quidem non egredietur nisi Bathus unus vini: mensura verò Bathi est in virentibus juxta mensuram Ephae in aridis. Et ita locus in vinea, postquam seruerint in eo Corum, non producet nisi Epham. Chomer idem est ac Corus, & continet decem Ephas.

V. 11. *Vae surgentibus summo mane*: scilicet ad bibendum vinum, vae istis, quia omnis eorum occupatio est ad bibendum & ad voluptatem carnis, nullatenus vero se occupant in verbis Legis ac sapientiae, sed summo mane surgunt ad bibendum, perinde ac si persequantur temetum ubicumque invenerint illud bonum; & ita in crepusculo morantur in domo convivii (in caupona) donec calefaciat eos vinum,

(*a*) Hic *mei* est Genitivus pronominis primitivi: ita vertere placuit, quia si dixissem *In auribus meis*, remaneret suspensus casus vocis sequentis יהוה.

num, & inflammet eos ad faciendum omne desiderium animae ipsorum.

V. 12. *Et est Citbara:* nunc recenset quomodo erant eorum convivia, erant cithara nablium tympanum & tibia, quae pulsabant (& inflabant) & vinum in conspectu eorum; hoc igitur modo fiebant eorum convivia cum sermocinationibus, quia impellebat eos ad bibendum instrumentum musices, & vinum coram ipsis. *& opus Domini non respiciunt, & facturam manuum ejus non intuentur*, ecce ipsi aversi sunt ab opere, eo quòd divites sint, & omnis eorum occupatio est in potu, & in auscultatione instrumentorum musicalium, neque se occupant in ullo tempore otii in verbis Legis ac sapientiae, quae sunt opus Dei & factura manuum ejus, quia scripsit in tabulis decem verborum, quae complectuntur praecepta omnia inter hominem ejusque socium, & inter hominem ac Deum. Licet etiam intelligere *opus Domini & facturam manuum ejus* de astrorum scientia, quia ex ea pervenit homo ad gloriam Creatoris, ut ait in Psalmo *quàm admirabile est nomen tuum in universa terra! Psal.* 8. *v.* 2. & paulo post *Quando aspicio Coelos tuos, facturam digitorum tuorum: v.* 4. & alibi *Coeli enarrant gloriam Dei: Ps.* 19. *v.* 2. vult dicere, quicumque stat super arcano (contemplatur arcanum) creationis eorum, cognoscit gloriam Dei, quapropter ait Propheta *levate in excelsum oculos vestros, & videte quis creaverit haec, Jes.* 40. *v.* 26. nimirum ut intelligent ac meditentur scientiam hanc, ex qua cognoscent gloriam Creatoris; & ita dixerunt Magistri nostri, quorum memoria sit in benedictione „ quicumque scit supputare revolutiones & „ Signa Coelestia, & non supputat, de eo Scriptura dicit *& opus Domini* „ *non respiciunt, & facturam manuum ejus non intuentur* „ Praeterea istud *& opus Domini non respiciunt* exposuerunt de illis, qui non precantur praecationem matutinam & vespertinam *Creator lucis, & faciens advesperascere vesperas*, quod est opus Domini, & factura manuum ejus.

V. 13. *Idcirco migravit populus meus absque scientia:* quia non cognovit opus Dei, neque meditatus est in illo, sed respexit ad cibum potum & delicias, idcirco migrabit de loco suo, eritque in fame ac siti, mensura pro mensura. *& gloriae ejus*, i. e. & viri gloriae ejus, quasi dicat, illi ipsi, qui appellabantur viri gloriae, vocabuntur homines famis. מתי idem est ac אנשי, veluti *De urbe viri, Job.* 24. *v.* 12. *& multitudo ejus*, & multitudo populi arefient in siti. צחה, ex illo *ac saturabit in ariditatibus animam tuam, Jes.* 58. *v.* 11. h. e. significat arentem, sitis enim Chaldaice dicitur צחותא; ratio verò, cur arescent, est, quia guttur eorum arefiet propter sitim: istud verò צחה est Toar, seu adjectivum conjunctum, juxta illud *ignitum odoris quietis Domino. Lev.* 1. *v.* 9. Dum autem dicit famem de viris gloriae, & sitim de multitudine populi, non hoc sibi vult, quòd adducturus sit illam

illam super illum, hanc super hunc, verum omnes illi erunt aequales in fame & in siti, viri gloriae, & multitudo populi. Jonatan מתי interpretatur ut מתי cum Tzere sub Mem ex significatione mortis, vertit enim *& gloriosi eorum morientur fame, & multitudo eorum in sterilitate in siti*, sed juxta grammaticam non est rectum, quia radix τοῦ מתי cum Sceva sub Mem est מתה, radix verò τοῦ מתי cum Tzere sub Mem est מות.

V. 14. *Quapropter dilatavit:* dicit id metaphorice propter ingentem multitudinem hominum, qui morientur ex Israele. *dilatavit sepulchrum animam suam*, scilicet ad recipiendos mortuos. *& descendit gloria ejus*, i. e. gloria terrae Israelis, vel pronomen refertur ad Jerosolymam: dicit quòd descendent in sepulchrum viri gloriae & decoris, & multitudo populi, deinde repetit eamdem rem cum vocabulis diversis dicens *& turba ejus & laetabundus in ea*, ubi *& turba ejus* idem est ac *& multitudo ejus*, cujus meminit, *& laetabundus in ea* idem est ac *gloria ejus*. Sensus verò istius *& laetabundus in ea* est, & qui laetabatur & gaudebat in urbe propter multitudinem bonorum, descendit in sepulchrum pariter: Jonatan *& laetabundus in ea* vertit *& qui fortis est in eis*, idque juxta sensum, quo explicavimus: sunt qui interpretantur *& laetabundas in ea* de hoste.

V. 15. *Et incurvabitur homo:* repetitur eadem res cum vocibus diversis, vel *homo* intelligendum est de plebejis, & vir de magnatibus, veluti *etiam filii hominis, etiam filii viri: Psal* 49. *v.* 3. & ita vertit Jonatan *Et humiliabitur homo, & infirmabitur potentia fortium. & oculi elatorum*, quia elatio hominis apparet in oculis, idcirco ait *oculi elatorum*, & ita dixit *Oculi elationis hominis Jes.* 2 *v.* 11. pariter ait *oculos elatus Prov.* 6. *v.* 17. item dixit *Exaltatio oculorum Prov.* 21. *v.* 4.

V. 16. *Et exaltabitur:* in ipso judicio, quod faciet in impios Israelis, erit exaltatus in judicio suo, & dicent, quòd ipse est excellus & elatus, & judicat Mundum juxta voluntatem suam. *& Deus sanctus*, quum fecerit in illis judicium, sanctificabitur in eis, quemadmodum ait *in propinquis meis sanctificabor, Lev.* 10. *v.* 3. dictum etiam est *& sanctificatus fuero in eis, Ezech.* 39. *v.* 27. *in justitia*, i. e. in rectitudine instar judicii.

V. 17. *Et pascentur agni:* haec est parabola de justis & debilibus, qui antehac fuerant expulsi e domibus suis, & abierant a conspectu impiorum; quum autem defecerint impii, manducabunt pauperes id, quod manducabant impii, idque accidit in diebus Ezechiae, qui fuit Rex justus & judex veritatis, in diebus enim ipsius non fuit fortitudo in manu potentium ad opprimendos debiliores, quippe aut interierunt, aut migraverunt plerique Israelitarum in diebus ejus. כדברם juxta morem solitum eorum, ex Targumistis, quibus *& solitus fuit* dicitur ודבר, nimirum non erit oppressor illis. וחרבות מחים & vestationes

nes pinguium praeditorum medulla, hi sunt divites, qui opprimebant pauperes, quorum domos, quae erunt vastationes, alienigenae vorabunt, & pauperes, qui fugiebant a conspectu eorum, venient modò ad inhabitandas illas, & ad manducandam portionem eorum. Jonatan ita reddit hunc versum *Et pascentur justi sicut dictum est de eis, & multiplicabuntur, & substantias impiorum justi possidebunt*. nimirum exponit juxta sensum, quo explicavi, nisi quòd כדברם reddit in significatione sermonis.

V. 18. *Vae trahentibus iniquitatem*: dicit per similitudinem, quòd sicuti trahit homo plaustrum oneratum cum laqueis & funibus, ita trahunt illi iniquitatem ad se cum vi; funes verò eorum sunt funes vanitatis & mendacii, & peccatum tractionis sunt oblectamenta potatioque vini, quae trahunt homines, eumque inducunt ad iniquitatem retectionis pudendorum (*vel* ad iniquitatem patentem scortationis) & ad rapinam & ad effusionem sanguinum. Ipsi igitur trahunt iniquitatem in voluntate sua ad se, quando assuefaciunt sese oblectamentis potationique vini, & ita dixit Salomon eodem sensu *ut traheret vinum in carnem suam Eccl. 2. v. 3.* וכעבות cum Caph servili, vult dicere, quemadmodum trahunt plaustrum cum funibus, sic ipsi trahunt peccatum ad se. חטאה est nomen substantivum ut חטאת: pariter עבות est nomen substantivum numeri singularis significans funem, juxta formam שאור, יאור, cum Sceva in separatione ac in conjunctione, veluti *opere funis Exod. 28. v. 14.* in plurali עבותים vel עבותות; funis verò factus ex tribus chordis dicitur עבות. In verbis Magistrorum nostrorum, quorum memoria sit in benedictione „ cogitatio prava initio similis est filo capilli, in fine verò funi plau„ stri, quia dictum est *Vae trahentibus iniquitatem cum laqueis vani„ tatis.* „

V. 19. *Qui dicunt*: quotiescumque ego mitto ad eos Prophetas, & patefaciunt illis malum, quod ego ad lucturus sum super eos pro mulcta operum ipsorum malorum, ipsi respondent, nequaquam nos credimus. *acceleret festinet opus suum*, scilicet, opus ultionis, & videbimus an Prophetae nostri dicant veritatem, nunc enim haud credimus. *consilium Sancti Israelis*, scilicet, id quod decrevit adducere super nos; quum enim ipse sit Sanctus Israelis, quomodo malefaciet nobis? arbitrabantur enim non esse opera sua mala, ut ait *Vae dicentibus de malo bonum & seq.*

V. 20. *Vae dicentibus*: opera sua mala, quae faciunt, ipsi dicunt esse bona, occupare verò se in Lege & in sapientia dicunt esse malum & defatigationem carnis, quapropter ita se habent perinde ac si ponerent tenebras in lucem, quandoquidem cum intellectu non distinguunt, quid sit bonum quidve malum, ideoque sunt ut is, qui non distinguit cum sensibus, & mentitur in eo sensus visûs, & sensus gustûs.

V. 21. *Vae sapientibus*: existimant semetipsos sapientes ac pruden-

dentes, & quando dicunt illis Prophetae, haec est via bona, ambulate per eam, & recedite a via mala, ipsi respondent, nequaquam, siquidem via, quam tenemus, bona est, & nos sapientiores vobis sumus ad dignoscendum bonum & malum. Dominus Pater meus b. m. ita exponit „ sapientes sunt ad faciendum id quod est rectum in oculis „ suis, prudentes ad disponendum id, quod in eorum conspectu con„ gruum est. „

V. 22. *Vae fortibus*: omnis fortitudo eorum est ad bibendum vinum, quasi dicat, robur ac fortitudo eorum non apparet in pugnando adversus hostes, sed omnis occupatio eorum est ad bibendum vinum. Potatio verò vini & deliciae inducunt debilitatem, ideoque ipsi perdunt sapientiam & fortitudinem suam in potatione vini & in deliciis, ut ait *& principes tui in mane comedunt. Eccl.* 10. *v.* 16. e contra vero dicit *& principes tui in tempore comedunt propter fortitudinem, & non propter potationem. c. l. v.* 17. ecce quòd potatio vini prohibet fortitudinem. *& viris roboris*, i. e. fortibus, nam חיל significat robur, veluti *qui accingit me robore ad bellum. Ps.* 18. *v.* 32. Targum חיל reddit חילא, Jonatan vertit *& fortibus dominis divitiarum*, sicuti *fecit mihi divitias hasce. Deut.* 8. *v.* 17. למסוך ad miscendum.

V. 23. *Qui justificant*: scil. judices qui absolvunt impium in judicio ipsius propter munus, i. e. pro mercede muneris, quod accipiunt ab eo, in judicio verò justi auferunt in jure dicundo justitiam ejus ab eo. Ait *ab eo*, postquam dixerat *justorum*, volens dicere unumquemque ex justis venientibus ad jus.

V. 24. *Quare sicut devorat stipulam*: mos est Linguae praeponere agentem patienti, quando verò res adeo perspicua est, ut errari non possit in ea, praeponunt patientem agenti, ut hic, quia notum est, quòd ignis devorat stipulam, non verò stipula ignem, & ita *aquas ebullire facit ignis, Jes.* 64. *v.* 1. *lapides comminuunt aquae. Job.* 14. *v.* 19. *lingua ignis*, i. e. flamma, quae est juxta formam linguae. *& cremium flammae debilitat*, repetitio ejusdem rei cum vocabulis diversis, חשש est gluma minuta; sensus verò est, & lingua flammae debilitat cremium, h. e. incendit, quasi dicat, quemadmodum opus hoc est momentaneum, quo lingua ignis devorat stipulam, & lingua flammae debilitat cremium, ita veniet eis malum velocissimè, consumetque eos, donec eorum radix sicuti tabes fiat. מק est idem ac מקק, cujus vocis fit mentio in verbis Magistrorum nostrorum b. m. מקק של ספרים, i. e. blatta seu putredo librorum. Per hanc parabolam *radix eorum*, vult dicere, robur, quod illis est, putrescet ac dissolvetur, per illam verò *& flos istorum*, debilitabitur ut pulvisculus, qui ob nimiam levitatem ascendit in aerem, & evanescit; ita consumentur omnes illi, fortes & debiles, qui sunt impii. *quoniam renuerunt legem Domini exercituum, & dictum Sancti Israelis spreverunt*,

dupli-

duplicatio significatûs cum vocibus diversis. כאכל totum kametzatum; etiam Caph: Jonatan *& cremium flammae* vertit *& sicut manipulus in flamma*. In Deras „ לכן כאכל קש לשון אש, numquid est stipula „ quae devoret ignem? stipula haec est Esavus, quia omni tempore, „ quo remittunt Israelitae manus suas a praeceptis, dominatur in ipsis „ Israelitis, qui sunt ignis, Esavus, qui est stipula, dictum enim est „ *Et erit domus Jaacobi ignis, & domus Josephi flamma, & domus Esavi in stipulam*, *Obad. v.* 18. „

V. 25. *Quapropter . . . . & contremuerunt montes*: metaphoricè, proinde ac si contremiscant montes, & commoveatur terra prae multitudine angustiarum eorum. כסוחה juxta formam illius *& abortiens non est inter eas*. *Cant.* 4. *v.* 2. & significat *succisum*, sic illud *non succides*, *Lev.* 25. *v.* 4. Chaldaicè vertitur לא תכסח. *non aversus est furor ejus*, eo quòd ipsi non sint conversi in poenitentia.

V. 26. *Et elevabit signum*: quasi Deus elevet eis signum, & quasi sibilet eis, ut veniant in terram Israelis ad vastandam eam: sensus est, quòd suscitabit spiritum eorum. *cito leviter*, duplicatio ad roborandam velocitatem: hìc intelligitur Rex Assyriae, qui veniet cum celeritate & levitate, tanquam levis pedibus, qui graditur celeriter, Jonatan קל vertit *sicut nubes veloces*.

V. 27. *Non erit lassus*: versus hic est per modum hyperboles: prae magnitudine desiderii ac celeritatis eorum in eundo non defatigabuntur, neque lassabuntur ex itinere, neque impinget unus ex illis in via, quasi dicat, quòd non offendet pes ejus ad lapidem in itinere non obstanti celeritate ipsorum in eundo; item non dormitabit neque dormiet interdiu, ac etiam noctu non dormiet unus ex eis, idque stabilitatis gratiâ, quia necesse est solvere cingulum, & dissolvere corrigiam calcamentorum suorum, sed indutus & cum calceamentis in pedibus suis dormiet id, quod dormiet noctu; totum verò id est per modum hyperboles. נתק significat solutionem ligaturae calcei.

V. 28. *Cujus sagittae*: pariter instrumenta belli omnia parata ad pugnandum, etenim sagittae ejus acutae & acuminatae, item arcus ejus tensi, adeo ut opus non habeant eos tendere, quum voluerint pugnare, ne retardentur in pugna; item ungulae equorum ejus tanquam rupes, h. e. lapis praevalidus reputabuntur, quia non dolebunt ex itinere, neque opus habebunt injicere eis ferramenta; item rotae plaustri velociter ibunt instar turbinis, qui est pulvis vel stipula in gyrum acta a vento: totum verò id est per modum hyperboles.

V. 29. *Rugitus ei*: ושאג ita scriptum est, sed legitur ישאג, significatio verò una & eadem est. *& prebendet praedam*, etenim non est rugitus ac fremitus ejus frustra, sed quum ceperit praedam, ut dictum est *Numquid rugiet leo in silva, quando praeda non fuerit ei? Hamos*. 3. *v.* 4. ita hostis hic, videlicet Rex Assyriae, capiet praedam, neque erit qui eripiat de manu ejus, siquidem in adventu suo subjecit universam terram Israelis, ac etiam omnes civitates Jehudae

 muni-

munitas. יפליט capiet residuum, nempe terram Jehudae, omnia enim jam subegerat praeter Jerosolymam.

V. 30. *Et fremet . . . . juxta fremitum maris*, scilicet juxta fremitum fluctuum maris. *& aspiciet ad terram*, ex conjugatione verbi daghesciati juxta analogiam אבר & שבר; ait, aspiciet Israel ad terram, quum venerit super ipsum hostis repente, nimirum aspiciet, num veniat sibi auxiliator, verùm non erit, neque videbit nisi tenebras. Quid autem sunt istae tenebrae? tenebrae angustiae, i. e. tenebrae hostis venientis super ipsum, & quamvis in voce *tenebrae* subsistat sensus, tamen significatus conjunctus est cum *angustiae*. *& lux obtenebrabitur in Coelis ejus*, scilicet & lux solis obtenebrabitur Israeli in Coelis, quasi dicat, obscurabuntur ei Coeli desuper prae magnitudine tribulationis: Coeli autem vocantur hic עריפים i. e. stillationes, eo quòd profundant pluviam, ut ait *Coeli ejus stillabunt rorem. Deut.* 33. *v.* 28. ubi יערפו significat *stillabunt*, & ita *stillet ut pluvia doctrina mea, fluat &c. Deut.* 32. *v.* 2. Sunt etiam qui interpretantur בעריפיה *in destructionibus ejus*, veluti *destruet aras eorum*. *Hos.* 10. *v.* 2. quae est significatio destructionis. Alii verò interpretantur צר & אור Solem & Lunam.

JESAIAE CAP. VI.

1. IN anno, quo mortuus est rex Ozias, vidi Dominum sedentem super thronum excelsum & elevatum: & fimbriae ejus implebant Templum. 2. Seraphim stabant juxta eum, sex alae sex alae unicuique: duabus tegebat faciem suam, & duabus operiebat pedes suos, & duabus volitabat. 3. Et clamabat alter ad alterum & dicebat, Sanctus Sanctus Sanctus Dominus exercituum: plena est universa terra Gloria ejus. 4. Et commotae sunt testudines postium a voce clamantis: & domus repleta est fumo. 5. Et dixi, vae mihi, quoniam excisus sum, quia vir pollutus labiis ego, & in medio populi polluti labiis habito: namque regem Dominum exercituum viderunt oculi mei. 6. Et volavit ad me unus ex Seraphim, & in manu ejus carbo: cum forcipibus sumpsit ab

ab Altare. 7. Et admovit ad os meum, & dixit, ecce tetigit hic labia tua: & recedet iniquitas tua, & peccatum tuum expiabitur. 8. Et audivi vocem Domini dicentis, quem mittam, & quis ibit nobis? & respondi, ecce ego mitte me. 9. Et dixit, abi, & dices populo huic: audite audiendo, & ne intelligatis, & videte videndo ac ne cognoscatis. 10. Impingua cor populi hujus, & aures ejus aggrava, & oculos ejus obline: ne forte videat cum oculis suis, & cum auribus suis audiat, & corde suo intelligat, & convertatur ac sanitas obveniat ei. 11. Et dixi, usquequo Domine? & respondit, donec desolentur Civitates absque habitatore, ac domus absque homine, & terra desoletur vastatione. 12. Et longè amandabit Dominus hominem: & multa derelictio in medio terrae. 13. Et adhuc in ea decas, & revertetur ac erit ad consumendum: sicut quercus & sicut ulmus, quarum in projectione statumen in illis, semen sanctitatis statumen ejus.

COMMENTARIUS.

V. 1. IN *anno quo mortuus est Rex Ozias:* vertit Jonatan *In anno quo percussus est lepra Rex Ozias*, idque evenit quando ingressus est ad suffumigandam suffumigationem in Templo, & lepra orta est in fronte ejus 2. *Par.* 26. *v.* 19. Licet etiam interpretari propriè de morte, sed juxta interpretationem hanc non esset hoc principium Prophetiae ejus; ideo verò recenset annum, quo vidit hanc visionem, quia quando mortuus est, male agebant populus, ut scriptum est in principio regni Jothami 2. *Par.* 27. *v.* 22. Ait *& vidi Dominum*, nimirum vidit per visionem Prophetiae gloriam Domini, nam per Dominum intelligitur gloria Domini, ut vertit Jonatan *gloriam Domini*, & ita dictum fuit de gloria *Et descendit Dominus super montem Sinai*, *Exod.* 19. *v.* 20. ubi pariter vertit Onkelosius *Et revelata est gloria Domini*, sic etiam ait Ezechiel *super similitudinem throni similitudo tanquam aspectus hominis super eum desuper*. *Ezech.* 1. *v.* 26 idque est quod ait *& vidi Dominum sedentem super thronum excelsum & elevatum*, ubi רם & נשא dicitur de throno, quod totum est similitudo in visione prophetiae. Magistri nostri opposuerunt binos versus & dixerunt, scriptum est *quia non videbit me homo, & vivet*. *Exod.* 33. *v.* 20. & e contra scriptum est *& vidi Dominum*; non est

contrarietas, hic in ſpeculo lucenti, illic in ſpeculo non lucenti: dixerunt igitur Magiſtri noſtri b. m. „ quidquid vidit Ezechiel, vidit & „ Jeſaias: Ezechiel comparari poteſt homini rurali, qui videat regem, „ Jeſaias homini urbano, qui videat regem, nimirum Ezechiel narrat „ particularia rerum, quia erat novitas magna apud ipſum, aut apud „ homines generationis ipſius, verùm Jeſajas non narrat niſi univer- „ ſaliter (i. e. ſummatim) quia erat cultior Ezechiele, neque erat vi- „ ſio illa adeo nova apud ipſum, aut filii generationis ipſius fuerunt „ cultiores filiis generationis Ezechielis: praeterea Jeſaias facit men- „ tionem τῶν Seraphim, & non facit mentionem animalium „ *& fimbriae ejus*, pronomen refertur ad gloriam, ut vertit etiam Jonatan *& ſplendore gloriae ejus repletum eſt Templum*, vel pronomen pertinet ad thronum; ſimbriae verò ſunt pars inferior veſtimenti, vel id quod eſt praeter illud; in hujuſmodi verò ſimilitudine Templum repraeſentat thronum gloriae. *replebant templum*, מלאים pro ממלאים, veluti *& gloria Domini replevit Tabernaculum. Exod.* 40. *v.* 35. Templum eſt domus Sanctuarii, vel per Templum intelliguntur Coeli, veluti *Dominus in Templo ſanctitatis ſuae, Dominus in Coelis ſolium ejus, Pſ.* 11. *v.* 4.

V. 2. *Seraphim* ממעל לו, ſcilicet juxta eum, veluti *Et juxta eum Tribus Menaſſis, Num.* 2. *v.* 20. *& immolabis prope illud, Exod.* 20. *v.* 24. Jonatan ממעל vertit *in excelſo*, לו ut לפניו *coram eo*, & שרפים עומדים vertit *Miniſtri ſancti*, ſcilicet עוכדים reddit *ſancti*, volens per עומדים ſignificare *ſtabiles*, hi enim ſunt Angeli ſancti, qui perſiſtunt in aeternum. *ſex alae unicuique*, non recenſet numerum τῶν Seraphim, ſed tantum narrat ſe vidiſſe eſſe unicuique ex Seraphim ſex alas, ac etiam Ezechiel vidit unicuique ex animalibus eſſe quatuor alas, & id, quia cuilibet motioni ex eis erant quatuor cauſſae, ut declaratur in libro ſapientis magni Magiſtri noſtri Moſis, cujus memoria ſit in benedictione. Alae verò ſunt cauſſa motionis celerrimae omnium motionum, i. e. volatus, & Jeſaias commemorat fuiſſe unicuique ex Seraphim ſex alas; ideo verò indicat revelatum, ſcilicet exteriora, quia cum duabus tegebat faciem ſuam, duabus operiebat pedes ſuos, & duabus volabat, & ecce declarat in libro ſuo rationem abſconſionis, & rationem cur eſſent duae. Magiſtri noſtri, quorum memoria ſit in benedictione dixerunt „ hìc, quia „ domus Sanctuarii ſtabat, iſtic, quia domus Sanctuarii non amplius „ ſtabat, ſi ita dicere fas eſt, deminutae fuerunt alae animalium „ Ego autem miror, cur Magiſter conjunxerit quatuor pro motione, quandoquidem non erant in animalibus niſi duae ad volandum, & duae ad tegenda corpora ſua, ut ait *& duabus tegebant corpora ſua. Ezech.* 1. *v.* 11. duabus verò, quae erant disjunctae ſuperius, fiebat volatus, idque eſt quod ait *disjunctae ſuperius cit. loc.* i. e. disjunctae a corpore, & expanſae ad volandum, quia reliquae duae erant conjun-

ctae

ctae corpori, ut tegerent corpora sua. Sed nobis videtur secundum id, quod dicimus ex verbis Doctoris, rationem, cur quatuor & sex essent, eam esse, quòd absconsio in Seraphim esset in facie ac in pedibus, idque per similitudinem, absconsio verò in animalibus esset in corpore tantum, non in pedibus neque in facie ipsorum, quod est arcanum notum considerantibus. Jonatan vertit *duabus tegebant faciem suam ne viderent, & duabus tegebant corpora sua ne viderentur, & duabus ministrabant*, qui quidem optimam fecit expositionem considerantibus. Omnes verò hujuscemodi visiones fuere per visionem prophetiae & per assequutionem intellectus, non autem per assequutionem extra intellectum, siquidem non sunt Angelis, quos vocat Seraphim, neque facies neque pedes neque alae juxta sententiam sapientium philosophorum, qualis etiam est opinio Sapientis magni supra memorati: in verbis quoque Magistrorum nostrorum b. m. sunt verba convenientia, quae docent hanc sententiam. Vocat autem eos *Seraphim*, quia vidit illos per visionem prophetiae juxta similitudinem ignis ardentis, idque ad patefaciendam pravitatem generationis illius, quae digna erat omnimoda consumptione.

V. 3. *Et clamabat alter ad alterum & dicebat*: audivi quòd Saraph clamabat ad Saraph, & ad invicem loquebantur per modum exhortationis, vocabatque alter alterum Sanctum Sanctum, quemadmodum quis appellat socium suum, talem talem, & dicebant, sanctificemus Deum simul, & dicamus *Sanctus Dominus exercituum*, ipse enim est Dominus exercituum superiorum & inferiorum. *plena est universa terra gloriâ ejus*, quia ipse creavit omnia, & super omnia glorificant eum entia praedita intellectu. Possumus etiam exponere tres istas voces de Deo, nimirum quòd dicat ter *Sanctus* respectu trium Mundorum, qui sunt Mundus excelsus, i. e. Mundus Angelorum & Spirituum, Mundus astronomicus, i. e. Mundus orbium Coelestium & stellarum, & Mundus hic, i. e. Mundus infimus; res verò praestantior in mundo hoc est homo. Ait igitur, quòd ipse est Sanctus exaltatus & elevatus a tribus Mundis, quòdque in duobus superioribus Mundis sanctificant & exaltant eum in laudatione sua, quod item facit homo in mundo inferiori. Jonatan vertit *Sanctus in Coelis altitudinis, super quam est domus Majestatis ejus, Sanctus super terram opus potentiae ejus, sanctus in saeculum & in secula seculorum*, nimirum comprehendit superiores ut unum, sed postea facit mentionem terrae, quae est mundus infimus; dum verò dicit *Sanctus in saeculum & in saecula saeculorum* vult dicere, in longitudine temporis ita fuit, & ita erit in saeculum & in aeternum: sic illud *Dominus regnabit in saeculum & in perpetuum*. *Exod.* 15. *v.* 18. vertit Onkelosus *Dominus regnum ejus permanet in saeculum & in saecula saeculorum*. Sapiens verò Cozri ita scribit „ *Sanctus* est „ Epitheton, quia ipse est sanctificatus & elevatus prae eo quòd ipsi „ conveniat attributum aliquod ex attributis creaturarum, quibus tamen „ attributis si appelletur, id fit metaphoricè, & idcirco audivit Je-

ja-

„ fuis *Sanctus Sanctus Sanctus* absque fine; ratio autem, cur ipse san-
„ ctificatus sit ac elevatus, ea est, ne pertingat eum quidquam im-
„ puritatis populorum, quos inter habitare fecit Majestatem suam, ideo-
„ que vidit eum super thronum altum & excelsum. „

V. 4. *Et commotae sunt testudines postium*: scriptum est in Seder Olam „ Amosus prophetavit ante terraemotum, quia dictum est *duobus* „ *annis ante terraemotum*. *Amos*. 1. *v*. 1. Jesaias verò prophetavit in „ diebus terraemotus, & hoc est quod ait *Et commotae sunt testudines* „ *postium a voce clamantis* „ In Deras „ praeterea dicit, quòd illo „ ipso die, quo ingressus est Ozias in Templum ad suffumigandum, ac- „ cidit terraemotus „ Verum quidem est, quòd terraemotus evenerit in diebus Oziae, ut scriptum est in prophetia Zachariae *Et fugietis quemadmodum fugistis propter terraemotum in diebus Oziae regis Jehudae Zach*. 14. *v*. 5. at versus hic non loquitur de re ista, quum fuerit per visionem prophetiae, ut eruitur ex contexu. Ait igitur vocem, quam audierat per visionem prophetiae, & qua clamabit alter ad alterum *Sanctus Sanctus*, eam ipsam vocem adeo magnam fuisse, ut commoti fuerint ac tremuerint postes liminum ex ea, itemque vidisse Domum plenam fumo, i. e. domum Sanctuarii, nimirum vidisse per visionem prophetiae esse plenam fumo, quemadmodum vidit Abrahamus Pater noster, super quem sit pax, per visionem prophetiae, dictum enim est *& ecce furnus fumi, & lampas ignis*, *Genes*. 15. *v*. 17. Jonatan vertit *Et commota sunt superliminaria cardinum Templi a voce loquentis, & domus Sanctuarii repleta est caligine*. ספים sunt postes portae, אמות verò testudines, quae sunt super postes intrinsecus & extrinsecus, quae sunt factae ut species convexitatis; dum vero conjungit testudines cum postibus, vult innuere, quòd testudines moverunt se unà cum postibus. Et sunt qui exponunt אמות juxta illud *cubiti longitudo*, *Gen*. 6. *v*. 15. quasi dicat, postes moverunt se de loco tuo cubitis duobus aut tribus, quemadmodum fuerunt. *& domus repleta est fumo*, haec est metaphora aestus irae contra Israelitas, veluti *tunc fumabit furor Domini*, *Deut*. 29. *v*. 20.

V. 5. *Et dixi, vae mihi quoniam excisus sum*: postquam audivit vocem magnam, viditque domum plenam fumo, timuit ne moreretur, existimabat enim nequaquam fas esse intueri in Majestatem, sed abscondendam fuisse faciem suam, ut dictum est de Mose *Et abscondit Moses faciem tuam, quia timuit aspicere ad Deum*, *Exod*. 3 *v*. 6. idque est quod dicit *namque regem Dominum exercituum viderunt oculi mei*, quandoquidem vidi Majestatem, moriar, ut ait Manochus *moriendo moriemur, quia Deum vidimus*. *Jud* 13. *v*. 22. Hìc autem rex significat gloriam regis, & ita vertit Jonatan *quoniam gloriam Majestatis Regis saeculorum, Dominum exercituum viderunt oculi mei*, נדמיתי significat *excisus sum*, juxta illud *excisus est Rex Israelis*. *Hos*. 10. *v*. 15. Jonatan vertit *Vae mihi quoniam peccavi*,

quo-

quoniam vir peccator sum ad arguendum, & in medio populi polluti peccatis habito. Dominus pater meus, cujus memoria sit in benedictione, interpretatur נדמיתי *tacui*, & טמא שפתים prius interpretatur *clausum labiis*, juxta illud *clausi sumus in oculis vestris*. *Job*. 18. *v*. 3. *& ne claudatis in illis*. *Lev*. 11. *v*. 43. vult dicere, se existimavisse in semetipso iniquitatem, eo quòd non sanctificavisset Deum unà cum turmis τῶν Seraphim, quum non data sit ipsi facultas loquendi, donec admovit Angelus carbonem ad os ejus. Mihi autem videtur ideo meminisse impuritatem labiorum, non impuritatem corporis, quia postquam audivit Propheta verba τῶν Seraphim sanctificantium Deum, ait, illis licet videre Gloriam, & sanctificare Deum, quia sunt puri, & eorum verba pariter pura sunt, & eis fas est intueri cum intellectu suo in Majestatem, & sanctificare Deum cum verbis suis, ast ego, qui sum impurus, quum omne corpus sit caro immunda, & labia mea pariter impura sunt ad commemorandam in ore meo sanctitatem Dei, quando me dispono coram eis, multoque magis dum habito in medio populi polluti labiis, ut dictum est de eis *& omne os loquitur stultitiam*: *Jes*. 9. *v*. 16. quomodo dignus sum universa hac gloria? idcirco vereor ne moriar propter visionem hanc, quam vidi, & vox haec propter me facta sit ad consumendum & perdendum me de Mundo, quia respexi Gloriam, quum sim caro & sanguis impurus.

V. 6. *Et volavit*: hìc Ain legitur cum Kametz-chatuph, istic verò *defatigatus est David*. 2. *Sam*. 21. *v*. 15. Ain legitur cum Patach, quia significatio diversa est, nimirum defatigationis, hìc verò volatûs, utrique tamen radix una est. Ait, postquam confusus fui a visione ac voce, & existimavi me moriturum, volavit ad me unus ex Seraphim, in cujus manu erat רצפה h. e. carbo ignis, quem ego vidi ipsum sumpsisse ab Altare cum forcipibus, ut admoveret illum ad os meum. Ita scribit Dominus Pater meus b. m. „ quandoquidem ipse „ erat Saraph, quare sumpsit illum cum forcipibus? fecit sic, ne ureret „ Prophetam, si tangeret os ejus cum manu sua „ Jonatan interpretatur hunc versum parabolicè *Et volavit ad me unus ex Ministris, in cujus ore erat verbum, quod acceperat a conspectu Majestatis ejus super Thronum gloriae in Coelis excelsis ex Altare*.

V. 7. *Et admovit ad os meum*: admovit carbonem super os meum, ut auferret iniquitatem cum plagis ignis illius, & inde ac in posterum esset mihi potestas loquendi. Jonatan interpretatur parabolicè *Et disposuit in ore meo, & ait, ecce posui verba prophetiae meae in ore tuo, & recedent delicta tua, & peccata tua expiabuntur*. In Deras „ iniquitas „ ea est, quòd contumeliâ affecerit Israelem dicens *& in medio populi* „ *polluti labiis*. „

V. 8. *Et audivi vocem Domini*: ex hoc versu dixerunt, istud esse initium prophetiae suae, sed jam explicavimus significationem in praefatione libri. *nobis* i. e. pro nobis; dicit autem *nobis* in numero plurali proinde

de ac si loquatur cum Seraphim, consiliumque ineat cum illis de hac re,, & ita *Age descendamus Genes.* 11. v. 7. In Deras „ *quem mittam*, misi „ Micheam, & percusserunt eum super maxillam, idque est quod ait „ *in virga percutient super maxillam Judicem Israelis*, *Mich.* 4 v. 14. „ Misi Amosum, & vocaverunt eum blaesum, dixit enim populus, non „ erat Sancto illi benedicto alius, super quem faceret habitare Majestatem „ tem suam nisi super istum balbum, qui est mutilius linguâ? Dixit „ Rab. Phinchasus, quare vocatum est nomen ejus Amosus? quia erat „ oneratus in lingua sua. *& dixi, ecce ego mitte me*, dixit ei Sanctus „ ille benedictus, o Jesaia, filii mei molesti & rebelles sunt, suscipisne „ super te ut contemnaris? ipse annuit, propterea dixit *Corpus meum* „ *dedi percutientibus*, *Jes.* 50. v. 6. „

V. 9. *Et dixit*: sunt qui explicant שמעו & וראו per modum Imperativum juxta simplicem sensum, & ita השמן v. *seq.* Hoc autem est judicium & sententia a Deo benedicto, quando peccatotor multiplicat peccare, Sanctus ille benedictus prohibet ab eo vias salutis, donec sumat mulctam ab eo, & ita dictum est de Pharaone *Et roboravit Dominus cor Pharaonis*, *Exod.* 9. v. 12. item de Sichone *indurare fecit Dominus Deus tuus spiritum ejus, & roboravit cor ejus*, *Deut.* 2. v. 30. pariter de filiis Eli *& non audiebant vocem patris sui, quia volebat Deus occidere eos*. 1. *Sam.* 2. v. 25. Licet etiam explicare שמעו & וראו Imperativum pro Etau (i. e. pro Futuro) perinde ac si dixisset, audietis & videbitis, nimirum vos auditis auribus vestris verba Prophetarum corripientium vos, verùm non intelligitis, item videtis mirabilia Creatoris, sed non cognoscitis, quasi dicat, non apponitis cor, neque respicitis ad me, sed pinguefacitis in intentione cor vestrum, & aggravatis aures vestras, & oblinitis oculos vestros, ne audiatis, neque videatis, neque intelligatis, neque sciatis vosmet nolle conversionem neque sanitatem, h. e. veniam post poenitentiam. Eodem modo interpretatur Jonatan *qui auditis audiendo & non intelligitis, videtis videndo & non cognoscitis*.

V. 10. *Impingua*: istud השמן explicavimus duobus modis. השע juxta significationem, qua dictum est *quia oblinivit ne videant oculi eorum*. *Jes.* 44. v. 18. sic illud *& oblinet domum istam*. *Lev.* 14. v. 42. Chaldaicè redditur וישיע ית ביתא, proinde ac si obliniant oculos ne videant. *& corde suo intelligat*, pro *& cum corde suo*. *& sanitas obveniat ei*, h. e. sanitas animae, quae est condonatio peccatorum, ut scriptum est *sana animam meam, quia peccavi tibi*. *Ps.* 41. v. 5.

V. 11. *Et dixi, usquequo*: secundum interpretationem priorem sensus est, usquequo prohibebis ab eis conversionem? jam vapulati sunt ob iniquitatem suam, & acceperunt mulctam peccati sui, accepturine sunt adhuc mulctam? & respondit, donec vastentur civitates absque habitatore. Secundum verò interpretationem posteriorem sensus est;

uique

usquequo indurabunt cor suum, & nolent audire reprehensiones? respondit, novi quod non convertentur, donec desolentur civitates. אשר אם hic significat idem ac כי, veluti *& quando offeres sacrificium primitiarum, Lev.* 2. *v.* 14. quod est pro וכי, & ita *quando erit Jobel filiis Israelis Num.* 36. *v.* 4. pro וכי, & similia hisce, quae scripsimus in Libro Miclol in parte de Grammatica; & hic quoque juxta illa, proinde ac si dixisset עד כי: ait אשר, simulque ait אם, quia duplicat significationem cum vocibus diversis juxta morem Linguae ad augendum significatum. שאו praeteritum loco futuri: forsan ita desolabuntur civitates, ut tamen superfuturi sint pauciculi habitatores, immo nonnullae domus in civitate, in quibus reperiatur aliquis; ait, ne hoc quidem erit, sed omnes omnino domus erunt desolatae absque ullo homine, ac terra etiam desolabitur desolatione, adeo ut non sit qui transeat per eam, juxta illud *& terra non desolabitur. Genes.* 47. *v.* 19.

V. 12. *Et longe amandabit Dominus:* fortasse dices, migrabunt in locum vicinum, & postea redibunt in terram suam; non ita, verum longe amandabit eos in extremitates terrae, ut decem Tribus, quae deportatae fuerunt in Chalach & Chabor 2. *Reg.* 18. *v.* 11. Jehuda & Binjaminus in Babylonem, & ita dixit in prophetia Amosi *Et demigrare faciam vos trans Damascum. Amos.* 5. *v.* 27. quasi dicat, ne putetis vos migraturos in locum proximum terrae vestrae, sicuti est Damascus, sed in multò remotiorem Damasco. Dum verò dicit *hominem*, non loquitur de specie universa, veluti *delebo hominem, Genes.* 1. *v.* 7. verùm de Israelitis, sicuti *& cadet cadaver hominis Jer.* 9. *v.* 22. העזובה est nomen substantivum juxta formam מלוכה, ac si dicat, derelictio, qua derelinquetur terra ab eis, multa erit, h. e. per multum temporis.

V. 13. *Et adhuc in ea decas* (a): עשיריה est nomen juxta formam תחתיה, cujus significatio est, quod adhuc regnabunt in terra decem reges a tempore prophetiae hujus, quae dicta fuit in anno, quo mortuus est rex Ozias; decem verò reges sunt hi Jothamus, Achazus, Ezechias, Menasses, Amon, Josias, Jehoachazus, Jehojacinus, Jehojakimus, & Tzidkias, & postea revertetur terra, eritque in consumptionem, quia consumetur tota, eo quod migrabunt universi, & devastabitur Jerosolyma. לבער significatio consumptionis, veluti *& consumes malum Deut.* 13. *v* 5. *quamadmodum consumit quispiam stercus* 1. *Reg.* 14. *v.* 10. *sicut quercus & sicut ulmus, quarum in projectione statumen in eis*, consumptio verò eorum erit ut consumptio quercus & ulmi, quae projiciunt folia sua tempore hyemis, & videntur siccae; hic verò est sensus vocis istius בשלכת, etiam quum deciderint ab eis folia, tamen מצבת בם h. e. subsistentia in illis, quia

H rema-

(a) Italicè *una diecina*.

remanet humor in illis, licet videantur aridae, & in diebus mensis Nisan revertuntur ac germinant folia; sic *semen sanctitatis statumen ejus*, quamvis enim migraturi sint universi, ne existimetis tamen, quòd omnino defuturi sint in exilio, neque reversuri sint in terram suam, quia adhuc florescent ac germinabunt: & ita etiam Jonatan interpretatur hunc versum *sicut terebintus & sicut quercus, quae, postquam defluxerunt folia sua, videntur quasi aridae, sed adhuc retinent humorem, ut ex eis substentetur semen: sic transmigrationes Israelis congregabuntur & convertentur in terram suam, quia semen sanctum est plantatio eorum*, ubi מצבת interpretatur *plantatio*, & sane verbum *plantavit* Chaldaicè redditur ונצב. suffixum ה in מצבתה refertur ad terram, quemadmodum ait *& revertetur & erit ad consumendum*. Jonatan *Et adhuc in ea decas* interpretatur *Et relinquetur in ea unus ex decem*. Sunt etiam qui interpretantur בשלכת de nomine Portae, quae erat in domo Sanctuarii, & cujus mentio habetur in verbis Dierum *cum porta Sciallecheth*, 1. *Par.* 26. *v.* 16. ubi erant plantatae quercus & ulmi, a quibus desumpsit hanc similitudinem. (*a*)

JESAIAE CAP. VII.

1. ET fuit in diebus Achazi filii Jothami filii Oziae
regis Jehudae, ascendit Retzinus rex Aramiae, &
Phekachus filius Remaliae rex Israelis, Jerosolymam ad
bellum contra eam: & non potuit oppugnare eam. 2.
Et nunciatum fuit domui Davidis dicendo, requievit Ara-
mia cum Ephraimo: & commotum est cor ejus & cor
populi sui, ut commoventur arbores silvae a facie venti.
3. Et dixit Dominus ad Jesaiam, exi modò obviam Acha-
zo tu & Scear=Jasciub filius tuus, ad extremitatem a-
quaeductus piscinae superioris, ad viam agri fullonis 4.
Et dices ad eum, quietus esto ac tranquillus, ne timeas,
& cor tuum ne mollescat a duabus caudis titionum fu-
migantium istorum, in aestu furoris Retzini & Aramiae,
& filii Remaliae. 5. Propterea quod consuluit contra te
Aramia malum: Ephraimus & filius Remaliae dicendo.
6. Ascen-

(*a*) Porta haec sic appellabatur, quòd per illam projicerentur sordes, a verbo השליך *projecit*.

6. Ascendamus in Jehudam, & taedio afficiamus eam, & rumpamus eam ad nos: & constituamus regem in medio ejus filium Tobal. 7. Ita dixit Dominus Deus: non subsistet, neque erit. 8. Quoniam caput Aramiae Damascus, & caput Damasci Retzinus: & adhuc sexaginta & quinque anni, rumpetur *Aramia & Ephraimus* a populo, i. e. *ne sit populus*. 9. Et caput Ephraimi Someron, & caput Someronis filius Remaliae: si non creditis, *id fit* quia non estis fideles *firmi stabiles*. 10. Et addidit Dominus loqui ad Achazum dicendo. 11. Pete tibi signum a Domino Deo tuo: profunda petere, aut extolle superiùs. 12. Et respondit Achazus: non petam, neque tentabo Dominum. 13. Et dixit, audite modò domus Davidis: numquid parum *est* vobis defatigare viros, quòd defatigatis etiam Deum meum? 14. Quare dabit Dominus ipse vobis signum: ecce adolescentula *virgo* praegnans & pariens filium, & vocabis nomen ejus Immanuel. 15. Butyrum & mel comedet *ex scientia sua*, ut sciat rejicere malum, & eligere bonum. 16. Quia antequam sciat puer rejicere malum & eligere bonum, derelinquetur terra, quam tu fastidis a facie duorum regum ejus. 17. Adducet Dominus super te & super populum tuum & super domum patris tui dies, qui non venerunt a die quo recessit Ephraimus a Jehuda, regem Assyriae. 18. Et erit in die illa, sibilabit Dominus ad muscam, quae in extremitate rivorum Aegypti, & ad apem, quae in terra Asyriae. 19. Et venient & requiescent omnes illae in torrentibus desolationum, & in dentibus petrarum: & in omnibus virgultis, & in omnibus humilibus arboribus. 20. In die illa radet Dominus cum novacula mercede conducta in transitibus fluminis *in locis quae sunt trans flumen* in rege Asyriae caput ac pilos pedum: & etiam barba deficiet. 21. Et erit in die illa, enutriet quisque vitulam bovis & duas oves. 22. Et erit prae copia faciendi lactis, comedet butyrum: quia butyrum & lac manducabit omnis superstes in medio ter-

rae. 23. Et erit in die illa, erit omnis locus, ubi sunt mille vites mille argenteis, in senticetum & in dumetum erit. 24. Cum sagittis & cum arcu ingredietur illuc: quia senticetum ac dumetum erit universa terra. 25. Et omnes montes, qui cum sarculo sarriuntur, neque penetrat illuc timor santis ac dumi, erit *erunt* in immissionem bovis, & in conculcationem agni.

COMMENTARIUS.

V. 1. Et *fuit in diebus Achazi:* dicit *filii Jothami filii Oziae*, quia fuerunt ambo justi, licet ipse postea evaserit impius, & peccare fecerit Jehudaeos, quocirca mulctavit eos Deus, tradiditque in manu Regis Aramiae & in manu Regis Israelis; etenim rex Aramiae deportavit ex eis captivitatem multam, & rex Israelis interfecit in Jehuda centum viginti milla in uno die, & nunc ascenderunt ambo ad oppugnandum eam, videl. Jerosolymam, sed non potuit, scilicet Retzinus, qui erat caput belli, secumque adduxit Phekachum, ex eo enim, quod dicit *ascendit Retzinus*, apparet eum fuisse caput. Ait *& non potuit*, non propter potentiam Jehudaeorum & Jerosolymitanorum, quandoquidem isti verebantur ne subjicerent Jerosolymam, dicitur enim *& commotum est cor ejus, & cor populi sui*, verum non potuit, quia noluit Deus tradere Jerosolymam in manu inimici, eo quod adhuc merita durarent pro eis, ut ait in diebus Ezechiae *propter me & propter Davidem servum meum*. 2. *Reg.* 19 *v.* 34 *&* 20. *v.* 6. & quidem usque ad tempus, quod modo venit, & quo devastavit eam per manus Nebucadnetzaris. In Deras „ *Et fuit in diebus Achazi filii Jothami filii Oziae*, quid sibi vult Scriptura in ge„ nealogia istius? dixerunt Angeli ministerii coram Sancto illo bene„ dicto, vae huic, quia rex hic est impius, respondit eis Sanctus ille „ benedictus, filius est Jothami filii Oziae patrum ipsius, qui fuerunt „ justi, idcirco non est possibile extendere manum in eum, & hoc est „ quod scriptum est *& non potuit oppugnare eam*, nimirum propter „ merita Patrum „

V. 2. *Et nunciatum fuit domui Davidis:* ait *domui Davidis*, quia nisi fuisset David, jam defecisset regnum a semine ipsius propter iniquitatem eorum, praesertim verò propter iniquitatem regis hujus, qui fuit impius. *requievit Aramia cum Ephraimo*, על hic significat *cum*, veluti *Et venerunt viri cum mulieribus*: *Exod.* 35. *v.* 22. Nunciatum fuit regi requievisse Aramaeum cum exercitu Ephraimitico: ait *requievit*, quasi dicat, venerunt usque prope Jerosolymam, & fixerunt tentoria sua & quieverunt ibi ad obsidendam

Jero-

Jerosolymam & ad oppugnandum eam. Dicit נחה in genere foemineo innuens aciem seu congregationem Aramaeorum, veluti ותהי ארם 2. *Sam.* 8. *v.* 6. ותהי ישראל 2. *Sam.* 24. *v.* 9. *& commotum est cor ejus*, timuit valde, quia jam aliàs debilitatus fuerat coram ipsis, sic enim scriptum est in Regibus 2. *Reg.* 16. *v.* 5. *& seq* וינע ex Kal, & patchatur Nun propter Ain. Ait *arbores silvae*, quia omnes illae moventur propter ventum, & una agitat alteram, quam tangit propter agitationem, ideoque motio haec major est motione arboris unius propter ventum; sic universi illi timebant, & unus faciebat timere alterum. Est Deras „ fragor arborum sterilitatis auditur magis „ quàm fragor arborum fructuum, & ideo ait *arbores silvae*. „

V. 3. *Et dixit* ..... *& Scear = Jasciub*: duo filii fuerunt Jesaiae, quorum uni nomen erat Scear = Jasciub, i. e. residuum revertetur, in signum quòd reliquiae Jehudae adhuc revertentur post exilium, sed non ita decem Tribus, quae non redierunt post septuaginta annos, neque usque adhuc reversae sunt, quamvis futurum sit ut revertantur, praeterea quia non acceleraverunt migrare Jehudaei, ut decem Tribus. Alterius filii nomen appellavit Maher = Scialal Chasc = Baz, vide. Festinando = spolium Acceleravit = praedam, in signum decem Tribubus Israeliticis, quae acceleraturae erant migrationem suam ante Tribum Jehudae. Mens verò Jonatanis est, quòd Scear = Jasciub non sit filius Jesaiae, sed quòd significet homines probos, qui fuerunt discipuli Jesaiae; vertit enim *& residui discipuli tui, qui non peccaverunt, & conversi sunt a peccato. aquaeductus piscinae*, aquaeductus est fossa aquarum tracta seu derivata ex piscina; piscina verò haec facta erat constructione petrarum, ut aquae pluviae congregarentur in ea. Ait *superioris*, quia duae piscinae erant ibi, quarum ista erat superior. *agri fullonis*, quia lavabant ibi vestimenta, ideo vocatus est ager fullonis: Jonatan vertit *agri extensionis fullonum*, quia lavabant vestimenta, ideo appellatus est ager ille nomine aquaeductus, & quia extendebant vestes ad solem in isto agro.

V. 4. *Et dices, quietus esto*: haec tantum vox השמר habet accentem in ultima, ideo explicavimus eam in significatione alia, scilicet in significatione faecium, quasi dicat, sede super faeces tuas in quiete, sicut vinum requiescit super faeces suas: Jonatan vertit per significationem cautionis, h. e. *cave*, & ita interpretatur Rabbinus noster Saadias „ ca- „ ve ne facias bellum, & quiesce tibi, ne timeas „ והשקט est verbum intransitivum, aut transitivum, cujus significatio est, fac quiescere cor tuum. *a duabus caudis titionum*, titio est lignum, quo agitant ignem: in verbis Magistrorum nostrorum b. m. „ ad tollendum rutabulum seu titionem de inter ligna „ Iste verò non est factus ut comburatur, sed crematur ex sese paulatim, dum jugiter agitant cum eo ignem; quum autem ita combustus est, ut ex eo perparum supersit, neque possit amplius in manu teneri, ideoque non possit agitari cum

eo

eo ignis, projiciunt illum in latus aliquod, & est fumus, & appellatur cauda titionis. Aestus verò furoris comparatur fumo, juxta illud *fumabit furor Domini, Deut.* 29. *v.* 20. *usquequo fumasti Ps.* 80. *v.* 5. sicut autem caudae titionis non est vis ad accendendum aliquid, sed est tantummodo fumus, & dolore aliquantisper afficit morantes in domo, donec consumetur fumus, sic isti duo reges venerunt in aestu furoris sui, sed non est vis in eis ad accendendum & ad consumendum, ac pauco temporis consumetur fumus eorum, & revertentur deficientque. *& filii Remaliae* subintelligitur *& Ephraimi*, quemadmodum ait *Retzini & Aramiae*, abbreviat enim Scriptura verba sua, & innititur intelligenti, quia dum commemorat regem, subintelligit etiam populum; sic ait in vers. seq.

V. 5. *Propterea &c.*, commemorat enim Aramiam, & non memorat regem,

V. 6. *Ascendamus in Jehudam*: scilicet contra eam, quae est caput Jehudae, nimirum Jerosolymam. *& taedio afficiamus eam*, h. e. faciamus contra eam obsidionem, donec taedio afficiantur propter nos, & aperiant nobis. *& rumpamus eam ad nos*, i. e. abscindamus muros ejus, & ingrediamur in eam, & sit in potestate nostra, & constituamus regem in medio ejus ad arbitrium nostrum, & aliquem ex nostratibus. Ecquis erit hic? filius Tobal, qui erat vir de filiis Ephraimi, quem meditabantur constituere regem in Jerosolyma. Hoc erat consilium eorum, verùm non subsistet, neque erit: Jonatan *& rumpamus eam ad nos* vertit *& jungamus & apponamus eos nobiscum*, & *filium Tobal* reddit *qui placeat nobis*, nimirum ex dictione טבאל fecit vocem notativam (a) טוב אלינו *bonum ad nos*. Sunt qui ex voce טבאל faciunt רמלא per Alphabetum Albàm, & Ramla dicitur de filio Remaliae. (b)

V. 7. *Ita dicit*, non subsistet consilium eorum, neque erit.

V. 8. *Quoniam caput;* non erunt isti caput & rex in Jerosolyma, ut cogitaverunt, quia Damascus est caput regni Aramaei, & caput Damasci est Retzinus, & non erit caput Jerosolymae. Praeterea dico eis, quod *adbuc sexaginta quinque anni, rumpetur Ephraimus a populo,* i. e.

(a) Usurpant Rabbini hanc vocem נוטריקון, quando vocis alicujus significativae singulae litterae denotant singulas alias dictiones, sive quando certa aliqua vox est symbolum & mnemosynon tot aliarum dictionum, quot in se continet litteras. Vide *Buxtorf. in derivatis ex rad.* נטר, *& in Abbreviaturis*.

(b) Alphabetum *Albàm* tale est: diviso toto Alphabeto in duas partes aequales, sic ut litterae ab א usque ad כ inclusivè constituant primam partem, tum litterae unius partis invicem commutantur cum litteris alterius partis juxta ordinem, quo prostant in utraque parte; exemplo sit allata vox טבאל, ex qua per hujusmodi Alphabetum fit רמלא. Dicitur autem אלבם *Albàm* ex primis & secundis litteris utriusque partis simul conjunctis.

i. e. frangetur unà cum Ephrimo, quasi dicat, Retzinus & Aramia rumpetur unà cum Ephraimo, ne sit hic cum isto; deest autem τῷ אפרים Vau servile, sicuti *Sol Luna Chab.* 3. *v.* 11. & alia multa. Sensus est, rumpetur Retzinus commemoratus (quia de eo & de Aramia loquitur dicens, quòd ipse frangetur) & Ephraimus pariter, ne sint populus, ac ne in Aramia quidem erit caput Retzinus, itemque Aramia non erit Civitas, quae possit bellum suscipere, & facere quidquam ex sese; & ita Someron, quae hodie est caput Ephraimi, & caput Someronis, i. e. filius Remaliae, non erit tale in longitudinem temporis, quia rumpentur Aramia & Ephraimus ne sint populus, de quibus ait *auferet opes Damasci, & spolium Someronis coram rege Assyriae. Jes.* 8. *v.* 4. & alibi dicit *& residuo Aramiae: sicuti gloria filiorum Israelis erunt; Jes.* 17. *v.* 3. Computatio verò sexaginta quinque annorum non incipit a prophetia hac, in hac enim sectione nascitur filius, qui appellatus est Immanuel, de quo dicit *antequàm sciat puer vocitare pater mi, & mater mea, tollet opes Damasci, & Spolium Someronis coram rege Assyriae. Jes.* 8. *v* 4. item habetur in Regibus *& ascendit rex Assyriae in Damascum, & cepit illam, deportavitque eam in Kir, Retzinum verò interfecit.* 2. *Reg.* 16. *v.* 19 verùm illud *& adhuc sexaginta quinque anni* intelligendum est de completione sexaginta quinque annorum a prophetia Amosi, qui prophetavit contra Damascum dicens *Et conteram vectem Damasci &c.... & migrabunt populus Aramiae in Kir, ait Dominus. Amos.* 1 *v.* 5. itemque prophetavit migrationem Israelis. Prophetia verò Amosi fuit juxta computum in anno decimo septimo Jeroboami filii Joasi regis Israelis, nam Jeroboamus regnavit quadraginta & unum annos, Menachemus decem, & ecce sunt quinquaginta & unus, Phekachjas filius Menachemi duos, & ecce sunt quinquaginta tres. Phekachus viginti, & ecce sunt septuaginta tres, Holeas filius Elae novem, quo tempore migraverunt Israelitae, & ecce sunt octoginta duo; deme ab his decem & septem, restant sexaginta quinque anni per exactam computationem, sed non computavimus sex menses Zachariae, & unum mensem dierum Sellumi.

V. 9. *Et caput Ephraimi*: explicavi. *si non credititis, quia non estis fideles*, ait Propheta, si non creditis verbis meis hisce, quare est id? quia non estis firmi ac stabiles in fide Dei. תאמנו habet significatum firmitudinis & perseverantiae, veluti *aquae ejus fideles. Jes.* 33. *v.* 16.

V. 10. *Et addidit Dominus loqui ad Achazum*: per Jesaiam.

V. 11. *Pete tibi signum*: sciebat eum non crediturum in verbis Dei, ipse enim prodiderat sese non credere, quando misit nuncios ad regem Assyriae, dixitque ei *ascende & salva me de manu regis Aramiae, & de manu regis Israelis, qui consurrexerunt adversus me.* 2. *Reg.* 16. *v.* 7. etenim si credidisset in verbis Dei, nequaqnam fecisset haec, neque misisset legatos ad eum cum muneribus, verum quia non confidebat in Verbis Dei, qui jubebat ipsum fiduciam ponere in

re in illis, misit munus ad regem Asfyriae, ut auxiliaretur sibi ab eis. *a Domino Deo tuo*, dicit ei *Deo tuo*, quamvis non crederet in illum: ait, ipse est Deus tuus, & judex seu vindex tuus de manu regum istorum, idcirco esto firmus in illo, quia ipse est Deus, scilicet Dominus, provisor, & judex seu vindex. *profunda petere*, profunda petere quodnam signum vis ut det tibi. שאלה est Infinitivus juxta formam Imperativi istius *Domine audi*, *Domine parce*. *Dan.* 9. *v.* 19. Profunda & extolle, h. e. si volueris signum in Coelis aut in terra, & ita vertit Jonatan *pete ut fiant tibi signa super terram, aut appareant tibi in Coelis*. Dicit *signum* de re, quae facta fuit in terra, quia per miraculum fuit signum illud, quod datum fuit ei in terra, futuram scientiam & cognitionem puero.

V. 12. *Et respondit Achazus, non petam, neque tentabo*: totum id fuit ob parvitatem fidei, quamvis enim respondisset per sermonem fidei, se non tentaturum Deum, tamen Propheta cognoscebat cor ejus, quòd non respondebat nisi ex paucitate fidei, quasi dixisset, non sum curiosus tentandi eum in hoc, ideo respondit ei Propheta *quia defatigatis etiam Deum meum*.

V. 13. *Et dixit*..... *domus Davidis*: ad ignominiam illius non vocat eum nomine ipsius, veluti *audi modo fili Achitobi*. 1. *Sam.* 22. *v.* 12. memorat verò Davidem, & non ejus Patrem, quia propter Davidem fuit ei regnum, & propter eumdem facit cum ipso Deus prodigia, sic *Et dixit Moses ad Korachum, audite modo filii Levi*. *Num.* 16. *v.* 8. *viros* Paraphrastes Chaldaeus vertit *prophetas*, & ita *Deum meum* vertit *verba Dei mei*, quasi dicat, vos non creditis in illis, immo existimatis in corde vestro ipsum defatigari & debilitari, ut valeat confirmare verba sua: defatigatio verò & lassitudo in verbis est, aut in operantibus (*a*).

V. 14. *Quare*. ipse dabit vobis signum ex semetipso, licèt vos nolitis illud, ipse inquam dabit illud vobis, ut credatis in eum etiam inviti. *ecce adolescentula praegnans*, עלמה non est virgo, sed puella, ut נערה, sive virgo sit sive maritata, veluti *& viam viri in adolescentula*. *Prov.* 30. *v.* 19. ubi עלמה dicitur de maritata; sic masculus parvus in annis appellatur עלם, veluti *cujus filius est hic puer?* 1. *Sam.* 17. *v.* 56. haec item erat parva in annis, idcirco appellata est adolescentula. Puella verò haec erat uxor Prophetae, vel uxor Achazi, quod probabilius videtur, si enim fuisset uxor Prophetae, appellavisset eam prophetissam, quemadmodum ait *Et accessi ad prophetissam*, *Jes.* 8. *v.* 3. Prae-

(*a*) Verba hujus versus ego sic παραφραστικῶς interpretor *parumne vobis est fatigare homines, videlicet Prophetas, cum incredulitate vestra, adeo ut ab admonitione ac praedicatione desistere cogantur, quòd etiam Deum meum fatigare conemini?* Praeclare etiam Vulgatus *numquid parum vobis est molestos esse hominibus, quia molesti estis & Deo meo?* scilicet injuriosi, ut explicat Grotius.

praetereaque dixit *plenitudo terrae tuae Immanuel*. *Jes.* 8. *v.* 8. *& vocabis*, alloquitur matrem, mos enim erat, ut matres imponerent nomen filiis suis: dicit autem *& vocabis* veluti modo Imperativo, quia Propheta praeceperat, ut appellaret nomen illius sic, quia a die, quo natus fuerit, erit vobis pax, eritque Deus vobiscum, idcirco vocabit nomen ejus Immanuel; sed quodnam est signum?

V. 15. *Butyrum & mel comedet*: scilicet a die, quo natus fuerit, comedet ex scientia tua butyrum & mel, & quamcumque rem dulcem admovebunt ad faciem ejus, ipse aperiet os suum, ut recipiat eam, sin vero admovebunt ad faciem ejus cibum malum, respuet eum, & claudet os suum ad illum, ac nolet eum, idque est *rejicere malum & eligere bonum*, nimirum eliget cibum bonum, quemadmodum ait *Butyrum & mel comedet ex scientia sua*, ubi vox לדעתו adnectitur dictionibus praecedentibus & subsequentibus. Hunc verò filium non possumus dicere esse Ezechiam, etenim quando regnavit Achazus, Ezechias filius ejus erat novem annorum, & haec prophetia dicta fuit Achazo in diebus regni ipsius. Adolescentula pariter ne ea quidem est mater Ezechiae, quia non erat puella, quando dicta fuit prophetia haec. Jonatan hunc versum *Butyrum & mel &c.* ita reddit *Pinguedinem & mel comedet, donec sciat rejicere malum, & assumere bonum*. Quomodo verò respondendum sit dissentientibus (Christianis) in hac parascia declaratum est in Libro Foederis, quem composuit dominus Pater meus, cujus memoria sit in benedictione: in responsione igitur dissentientibus explicatio hujus parasciae talis est „ Quia verebatur Achazus, ne isti duo reges caperent Jerosolymam, ideo dedit ei signum non capturos eam; quòd si signum esset res, quemadmodum ipsi dicunt, quodnam signum foret hoc pro Achazo, res mirum, quae extitit post quadringentos & plures annos? quomodo confirmaretur cor ejus per hanc rem, quae non fuit in diebus ipsius? „ reliqua responsa disposita sunt ibi in Libro Foederis.

QUum in hisce duobus vers. 14. & 15. unum ex maximis Fidei nostrae fundamentis contineatur, operae pretium est clariori modo adversus inanes Hebraeorum Commentarios ostendere, non posse hunc locum literaliter & mysticè intelligi nisi de Messia, qua in re hactenus a nemine, quod sciam, plenè satisfactum est, quod pace doctorum hominum dictum velim. Paucis me expediam: ac primò concedamus Hebraeis nomen למה *Almah* aetatem foeminae, h. e. adolescentiam, non verò statum significare, tamen ne sic quidem subsistet eorum interpretatio, quòd haec Adolescentula sit uxor Achazi. & puer Immanuel sit ejusdem regis filius; etenim quando regnare coepit Achazus, ejus filius Ezechias nonum aetatis annum agebat, ut R. Salomon computat, & Kimchius noster adstipulatur, quapropter neque Ezechias fuit Immanuel, neque ejus mater Adolescentula, quandoquidem jam senescere incoeperat, ut ipsimet Jehudaei fatentur. Ac ne illud quidem dicere fas est puerum hunc Immanuelem fuisse filium Jesaiae, aut alterius privati, etenim ex confessione ipsius Kimchii obstant verba, quae *cap. seq. v.* 8. leguntur, *& erunt extensiones alarum ejus plenitudo lati-*

tudinis terrae tuae, e *Immanuel*, quae quidem indicant regalem dignitatem. Ergo quum neque Achazi filius fuerit iste puer, quia tunc ejus uxor non erat amplius adolescentula, neque alicujus privati, quia obstant allata verba, necessariò fatendum est, non liberationem regni a timore regum Syriae & Israelis, sed illius durationem per hunc puerum innui secundum Jacobi vaticinium *Genes.* 49. *v.* 10. ideoque non aliam hic admitti posse interpretationem, quàm quae habetur apud Evangelistas, videlicet nomen *Immanuel* Christum Servatorem nostrum significare verum Deum & Hominem, prout vox ipsa sonat, h. e. *Nobiscum = Deus*. Divinam verò Humanamque Naturam hic denotari, nullum dubitandi locum relinquunt ista *Butyrum & mel comedet; ex scientia sua rejiciendo malum & eligendo bonum*, ita enim contendo posteriorem hujus versiculi partem esse reddendam. Si enim verba illa *Butyrum & mel comedet* juxta simpliciorem sensum omni remoto mysterio sumantur, non possunt non videri prorsus futilia, tantoque Propheta indigna. Quid enim sibi vult dum ait, puerum hunc butyrum & mel manducaturum? quid novi? nonne & caeteri pueri faciunt id? itaque verbis istis *Butyrum & mel comedet* Natura Humana denotatur, nam Christus ut homo cibis utetur; illis verò *ex scientia sua rejiciendo malum & eligendo bonum* Natura Divina innuitur, siquidem ut Deus non indigebit doctrina hominum, quum ipse sit infinita sapientia. Quòd si hujusmodi expositionem hinc removeas, & Hebraeos audias, pro אות *Oth* h. e. signo prodigioso, quale hic promittitur, ineptam narratiunculam habebis non sine risu excipiendam. Dixi autem signum prodigiosum, etsi nomen אות denotet signum tam nudum quàm prodigiosum; quum enim Achazi arbitrio remisisset Deus quodnam signum edi vellet, utique ab illius voluntate, non ab ordine naturae pendebat; quare vox אות hoc loco non signum quoddam naturale, sed omnes naturae vires excedens denotare debet, & idcirco ea, in quibus signum illud consistit, necessariò miraculum sapiunt. Neque obstat quod legitur in vers. seq. 16 *Quia antequam sciat puer rejicere malum & eligere bonum, derelinquetur terra, quam tu fastidis a facie duorum regum ejus*, id quod evenit anno tertio circiter ab edita prophetia, quare non videtur sermonem hic esse de Messia nostro, qui plura post saecula comparuit Etenim Propheta istic loquitur non de eodem puero Immanuele, verùm de filio proprio, de quo sermo fit *cap. seq vers.* 3. & re quidem vera hic idem innuitur quod *d. cap. seq. vers.* 4. direptio scilicet Someronis & Damasci, quapropter vero simile non est in signum unius ejusdemque rei binos pueros esse editos, sed unum quidem h. e. Immanuelem ad denotandam durationem regni Davidici seu Jehudaici, alterum verò h. e. Jesaiae filium ad significandam liberationem a timore regum illorum. Hujus verò distinctionis certi erimus si animadvertamus, quòd de Immanuele ait *ex scientia sua rejiciendo malum & eligendo bonum*, quae sanè verba innatam puero non acquisitam denotant sapientiam; de altero verò ait *Quia antequam sciat puer rejicere malum & eligere bonum &c.*, qua loquendi ratione innuitur scientia aetatis ope per experientiam vel disciplinam acquisita, neque longè ab his abludere videntur ea, quae Auctor noster scribit *in d. vers. seq.* 16.

At clarior mentis Prophetae dilucidatio rem satius patefaciet. Audito Rex hostium adventu, tanto perculsus est timore, ut pro certo habuerit excidium periclitantis Imperii, quapropter Jesaias, ita jubente Deo, confirmaturus eum adivit, & quo firmiorem in spe faceret, praecepit ei ut signum aliquod in terra, vel etiam in Coelo peteret. Achazus Dei auxilio minimè

fi-

ßdens, specioso praetextu se nolle tentare Dominum, petere signum recusavit, quam ob rem iratus Propheta dedit etiam invito, mansurum videlicet Jehudae regnum usque dum Virgo conciperet ac pareret filium Deum simul & Hominem. At hujusmodi prodigium plura post saecula extiturum non videbatur posse tollere anxietatem, qua omnes afficiebantur, praesertim minus pii, idcirco statim subjunxit Propheta, antequam puer ex se nasciturus sciret rejicere malum & eligere bonum, defuturum utrumque regem, Someronis scilicet & Aramiae *vers. seq.* 16. quod re ipsa evenit post tres annos. Hoc idem, si bene animadvertamus, indicat & Kimchius noster, qui ad versiculum 14. hujus capitis negat Adolescentulam esse Jesaiae uxorem, & consequenter negat Immanuelem esse filium illius; deinde ad versiculum 4. capitis sequentis scribit tempus, de quo ibi agitur, idem esse ac tempus, de quo in vers. 16. capitis hujus; atqui puer, de quo in dicto vers. 4. sermo fit, erat Jesaiae filius, ergo puer, de quo in vers. seq. 16. hujus capitis loquitur Propheta, idem est ac ille.

Nunc pro Christiani dogmatis confirmatione inquirere libet in grammaticalem significantiam vocis עלמה *Almàh*. Nomen hoc, ut cuilibet hebraizanti constat, derivatur ex radice עלם *alàm*, quae apud Hebraeos *latère* significat; cujus denominationis ratio ab omnibus unanimiter allata ea est, quòd Hebraei & reliqui Orientis populi apprimè caverent, ne lascivis adolescentum oculis objicerentur virgines, ideoque diligenter eas domi custodiebant, qua de re vide *Huet. Demonstr. Evang. Prop. IX. cap. 9.* Ego verò, si ex dicta significatione petenda est denominationis ratio, non de domestica latitatione intelligendum puto, verùm de occultatione illarum corporis partium, in quibus veluti propria sede virginitas & pudicitia consistunt, quales sunt vultus, ubera, maximè verò pudenda, nimirum puto vocem עלמה habere hic significatum τῷ גלוי *ghillùi* contrarium, scilicet revelationi pudendorum, quam in personis Oholae & Oholibae his verbis exprobrat Ezechiel *ibi compressa* vel *contrectata fuerunt ubera earum, & ibi subegerunt mammas virginitatis earum. cap.* 23 *v.* 3. ubi per *mammas* intellige cum Grotio crepidines fontis muliebris; sic Ovidius praecepta de amore tradere incipiens ait *lib.* 1. *Art. Amat. v.* 31. *&* 32.

Este procul vittae tenues, insigne pudoris;
Quaeque tegis medios, instita longa, pedes.

Ratio sic opinandi est, quòd Scriptura ipsa testetur Virgines etiam prodiisse foras, veluti de Rebecca *Genes.* 24. *v.* 43. ac de Maria sorore Mosis *Exod.* 2. *v.* 8. Vide omnino quae habentur in Chaldaea Threnorum Paraphrasi ad illud *Virgines ejus moestae, cap.* 1. *v.* 4. Neque me ex hac mea opinione recedere suadet illorum responsio, qui dicunt non esse hujusmodi latitationem rigorosè accipiendam, quasi domi manerent veluti quodam carcere inclusae, sed quòd nisi justissima de causa domus claustris non egrederentur; id enim non patitur vis verbi עלם *alàm*, utpote quod omnimodam latitationem significat: quod autem bis aut etiam semel conspectum est, nequaquam dici potest *latère*. Exemplis & auctoritate res clarius patefiet: dum ait Jobus Dei sapientiam adeo reconditam esse, ut non solùm homines lateat, sed etiam Angelos, utitur verbo isto *cap.* 28. *v.* 21. ubi pro re nostra considerandum est, quòd de Angelis adhibet verbum נסתרה, de hominibus verò, qui minus intelligentia pollent, adhibet verbum נעלמה. Haec eadem significationis vis observatur etiam in derivatis; sic adolescentiae peccata, quae nobis sunt prorsus incognita & occulta, in *Ps.* 90.

90. *v.* 8. dicuntur עלומים *alumim*: item tempus homini absconditum tam finitum quàm infinitum, sive praeteritum sive futurum, dicitur עולם *olàm*. Hinc igitur apparet dictum verbum עלם *alàm* omnimodam latitationem significare: & re quidem vera talem ac tantam illarum partium occultationem praeter naturae legem suadebat etiam rigorosum illud virginitatis pudicitiaeque examen, quod in puellis peragebatur occasione nuptiarum. Vide Edmundum Castellum in Lexico eptaglotto in voce בתולים *betbulìm* inter derivata ex radice בתל *batbàl*.

Haec de significatione vocis עלמה *almah* ex Hebraeo, quibus tamen ego non valde acquiesco, quia sic difficultatibus & objectionibus obnoxiae manerent plures Bibliorum voces. Mea igitur sententia est nomen Hebraeum עלמה *almah* idem esse ac Arabicum غلمة, quod significat *puellam libidinosam*, ex radice غلم *exagitari libidine, eâque veluti furibundum esse*. Hujusmodi verò significatum obtinuisse verbum עלם *alàm* etiam apud Hebraeos probatur ex illo Jobi *cap.* 20. *v.* 11. *Ossa ejus repleta sunt luxuriis ejus*, ubi Tzopharus tacitè exprobrat Jobo nimium & immoderatum coitum, ex quo ait causata fuisse ulcera quibus vir pius conficiebatur: item ex illo Cantici *cap.* 1. *v.* 3. *idcirco virgines dilexerunt te*, ubi עלמות significat *virgines*, quia constat *ex cap.* 6. *v.* 8 ejusdem Cantici Salomonem praeter uxores & concubinas stipatum fuisse innumeris virginum turmis *Sexaginta sunt reginae, & octoginta concubinae, virginum verò non est numerus*, ubi certa numeratio ponitur pro incerta. plures enim habuit, videlicet septingentas uxores, & trecentas concubinas 1. *Reg.* 11. *v.* 3. nisi dicamus Salomonem composuisse carmen istud prioribus regni sui annis, quum nondum tot haberet. Denique probatur ex voce עלם *elem* h. e. *adolescens*, & ex voce עלומים *alumìm* i. e. *adolescentiae*, quarum denominatio derivari non potest ex significatione latitationis, siquidem ea Scripturae loca, in quibus illa vox *elem* occurrit, videlicet 1. *Sam XVII. v.* 56. *& XX. v.* 22. contrarium luculenter ostendunt, sed optimè ac perbellè deducitur ex Arabico Idiomate. Noli autem, amice Lector, existimare, me in hac derivatione id velle, quòd omnis adolescens & adolescentula vexetur libidine, absit, verùm pro certo statuo hanc denominationem inde profluxisse, quia in aetatis vigore debacchari solet libido, ut a contrario sensu luculentissimè ostendit Plinius *lib.* 7. *Epist.* 26. *Nuper me cujusdam amici languor admonuit optimos esse nos, dum infirmi sumus. Quem enim infirmum aut avaritia aut libido sollicitat? non amoribus servit &c.* Postquam autem semel rebus indita sunt nomina aliquâ ex causâ petita, ea semper retinentur, neque solliciti sunt homines inquirendi, an ipsa singulis vel individuis conveniant, praecipuè quum agatur de rebus generalibus. Sic etiam apud Graecos vir in aetatis vigore constitutus dicitur ἀιζηὸς, ab ἀεὶ *semper*, & ζέω *ferveo*, apud Latinos *juvenis*, a *juvo*, quae vox propriè significat vegetum firmumque & aetatis beneficio ad juvandum aptum: at quis asseret juvenes semper esse tales, semper juvare, nullosque reperiri graciles & exiles, ac reipublicae noxios?

Hisce praenotatis, ad Hebraeos me rursus converto: si vox עלמה *almah* juxta priorem sensum idem valet ac *latens quoad pudenda*, vel *celans pudenda*, nulli ea revelans, quomodo nomen istud tribui potest adolescentulae,

lae, quae sui copiam viro fecerit, ideoque necessariò pudenda retexerit? Si verò juxta posteriorem sensum ex Arabico deductum significat *puellam exagitatam libidine*, quomodo convenire potest adolescentulae viro junctae, ideoque cupiditatem explere ac furorem libidinis sedare valenti? Illud etiam addo, si nomen masculeum עלם *elem* significat adolescentem nondum conjugatum, etiam foemineum עלמה *almah*, quod ex illo derivatur, profectò significare debet adolescentulam adhuc matrimonii vinculo solutam.

Istud verò nomen עלמה *almah*, vel ejus plurale עלמות *alamoth* extat in sequentibus Scripturae locis *Genes.* 24. *v.* 43. *Exod.* 2. *v.* 8. *Ps.* 68. *v.* 26. *Prov.* 30. *v.* 19. *Cant.* 1. *v.* 3. *&* 6. *v.* 8. *Jesa.* 7. *v.* 14. in quibus omnibus interpretantur Hebraei per *virginem* seu *virgines*, exceptis duobus Proverbiorum & Jesaiae. De loco Jesaiae satis superque dictum est, nunc ad trutinam revocandus est alter Proverbiorum, qui talis est *d. cap.* 30. *v.* 18. 19. *&* 20. *Tria abscondita sunt a me, & quatuor non novi: Viam aquilae in Coelis, viam colubri super petram, viam navis in corde maris, & viam viri in virgine. Sic via mulieris adulterantis, comedit & tersit os suum, & dixit, non operata sum iniquitatem.* ubi verbis illis *comedit & tersit &c.* per ε μιδολογίαν exprimuntur res impurissimae. Hinc igitur etsi ptimo intuitu videatur innui adolescentula maritata, ideoque validum eruatur argumentum pro Rabbinorum sententia, tamen, si mentem Salomonis penitus introspiciamus, in alia omnia discedemus. Ait Propheta inspectionem criminis in muliere adulterante aequè difficilem esse ac agnoscere vestigium volatûs aquilae in aëre, transitûs colubri super petram, meatûs navis in mari, coitûs viri in virgine; quòd si pro *in virgine* interpretemur *in adolescentula* eaque maritata, quis non videt unum & idem tunc esse similitudinem & assimilatum? nihil enim quoad actum differunt adulterium & legitimus coitus. Hic igitur locus propter comparationem cum muliere adultera accipiendus est cum nonnullis ex Nostratibus de virgine corrupta, adhuc tamen virginitatem profitente, quae, omissa pudendorum inspectione, nullo modo dignosci potest corruptane sit an verò intacta, nec aliam obtrudere licet expositionem sarcta tecta similitudine. Exemplum Heronis optimè facit pro hac interpretatione: illa etiam post furtivum Leandri congressum, quo noctu fruebatur, pro virgine intacta se venditabat, ac pro tali parentes caeterique omnes habebant, qui, omissa pudendorum inspectione, dignoscere non valebant ab exteriori viam Leandri in ea, & idcirco dicitur a Musaeo Παρθένος ἠματίη, νυχίη γυνή *Virgo diurna, nocturna mulier*. Neque obtrudant Hebraei hanc vocis *almah* significationem etiam in Jesaiae locum; si enim id fiat, quomodo defendi poterit signum prodigiosum seu miraculum, quod hìc vates promittit? Quisnam dummodo mentis sit compos agnoscet miraculum in conceptu & partu virginis corruptae vel adolescentulae maritatae? Ridiculum sanè est quod scribit Kimchius noster, signum in eo consistere, quòd puer butyrum & mel comedet: cuinam afferet admirationem infans dulcia recipiens & amara exspuens? nonne id observatur in omnibus nullo excepto? Igitur sive grammaticalem hujus vocis *almah* derivationem, sive contextus illos, in quibus occurrit, attentè perpendamus, numquam in significatione adolescentulae maritatae inveniemus esse adhibitam. Hisce addendum, quòd etiam Punicâ linguâ, quae de Hebraeorum fontibus manavit, virgo teste Hieronymo dicitur *almah*.

Quòd autem Messias ex virgine sine patre carnaliter generante nasciturus esset, veterum etiam Rabbinorum testimoniis palam evincitur, quae quum

ab aliis

ab aliis sexcentis collecta sint, piget transscribere. Vide quae ex Hadriano Fino in Flagello Jehudaeorum affert Christianus Schoettgenius in Horis Hebraicis & Talmudicis *Tom. II. lib. 3. pag. 421. & seqq.*

V. 16. *Quia antequam:* ita explicat dominus Pater meus, b. m. „ Dicit ei, quòd antequam perveniat hoc signum ad eos, deficient isti „ duo reges, idque est quod ait *derelinquetur terra*, quasi dicat, re- „ linquetur ab eis, quia deficient; sed erat possibile, quod postea re- „ verterentur & caperent eam, ideo dedit ei hoc signum, quòd quum „ vidisset signum in puero, confideret cor ejus in Deo, quòd sicuti „ signum hoc, quod dedit ei, verificatum est, ita subsistet verbum „ ejus, quòd non capient Jerosolymam, neque subsistet consilium „ eorum, neque erit. Quod autem dicit *a facie regum ejus*, „ quum non fuerint reges terrae illius, h. e. Jerosolymae, sed reges „ Damasci & Someronis, ita intelligendum est, a facie duorum re- „ gum illorum, qui existimabant se futuros reges illius „ Licet etiam interpretari versum hunc in significatione alia, nimirum quòd *rejicere malum* in hoc versu intelligendum non sit ut in praecedenti, sed *rejicere malum & eligere bonum* hic intelligendum sit ut in caeteris pueris, qui crescunt, & in quos ingreditur scientia electionis seu liberi arbitrii a tempore, quo incipiunt loqui, dicit enim quòd antequam incipiat hic puer loqui, quòd fit in tempore electionis boni, & quando rejicere valet malum ut caeteri pueri, idque circa tertium aetatis annum, aut ante, derelinquetur terra Someronis & Damasci, eritque desolata, quam tu modò fastidis propter duos reges ejus Retzinum & Phekachum; & ut credas id, dedit tibi Deus hoc signum ex nunc, quòd statim ac natus fuerit puer, eliget cibum bonum, ac respuet malum ex scientia sua, ut explicavimus.

V. 17. *Adducet Dominus super te*: ab hisce duobus regibus ne timeas, verum adhuc adducet Dominus super te & super populum tuum & super domum Patris tui dies, qui non venerunt &c. scilicet dies calamitatis, qui non venerunt a tempore, quo divisum fuit regnum; tunc enim coeperunt mala venire super Israelem, sed non fuerunt in universis diebus, qui praeterierunt, dies mali ut dies hi. Ecquis erit faciens malum grande hoc? Deus, qui adducet super te regem Assyriae; ait *super te*, quia contra eum ascendit Tiglat=Pilneser rex Assyriae, & angustiavit eum, ut scriptum est in verbis dierum 2. *Par.* 28. *v.* 20. Insuper ait *& super domum Patris tui*, ubi intelligit Ezechiam ejus filium, contra quem ascendit Sancheribus rex Assyriae super omnes civitates Jehudae munitas, & cepit eas 2. *Reg.* 18. *v.* 13. neque relicta est civitas ulla in universa terra Jehudae, quam non subegerit praeter Jerosolymam. Dicit autem *super domum patris tui*, & non dicit *super domum filii tui*, habita ratione Ezechiae, qui fuit justus, Achazus verò fuit impius.

V. 18. *Et erit in die illa, sibilabit:* quodammodo sibilabit eis ut ve-

veniant, i. e. excitabit spiritum eorum, sic ait superius *& sibilabit ei ab extremo terrae*: *Jes.* 5. *v.* 26. meminit verò muscarum (*a*) & apum (*b*), quia congregantur in multitudinem in momento, & ideo comparat exercitum Aegypti & exercitum Assyriae muscis & apibus, quia congregantur velociter veniuntque cito, ut ait superius *& ecce cito leviter venient Jes.* 5. *v.* 26. sic dictum est metaphoricè *Circumdederunt me sicut apes*, *Ps.* 118. *v* 12. i. e. sicuti faciunt apes: Jonatan vertit *clamabit Dominus ad populum accinctum exercitibus fortium, qui multi sunt sicut muscae, & adducet eos de finibus terrae Aegypti*; *& exercitus fortes, qui fortes sunt sicut apes, & adducet eos de finibus terrae Assyriae*. Ait *in extremitate rivorum Aegypti*, quia principes, qui sunt in Aegypto, venient cum rege Assyriae, quando ascendet super terram Israelis. Meminit autem rivorum, quia cultores terrae disponunt rivos in omni loco ad irrigandam terram; & innuit quòd etiam cultores terrae deserent culturam suam, ut veniant prae magnitudine desiderii sui ad vastandam terram Israelis.

V. 19. *Et venient, & requiescent omnes illae*: ait *& requiescent omnes illae*, quia apes requiescunt super floribus: insuper ait *in torrentibus desolationum, & in dentibus petrarum*, i. e. in civitatibus, quae sunt in vallibus, & in civitatibus munitis, quae sunt in petris. הבתות significat desolationes, veluti *& ponam eam desolationem*, *Jes.* 5. *v.* 6. Daghesc in Thau est mutatio quiescentis. נקיקי הסלעים significet dentes petrarum. *& in omnibus virgultis, & in omnibus humilibus arboribus*, hae sunt arbores minutae, veluti *Pro virgulto ascendet abies, pro paliuro ascendet myrtus*. *Jes.* 55. *v.* 13. & sunt parabola pagorum. Jonatan ובכל הנהלולים interpretatur *& in omnibus domibus laudis*.

V. 20. *In die illa*: id accidit in caede, quae facta fuit in Castris Regis Assyriae, quando venit contra Jerosolymam, postquam subegit universam terram Israelis, & exiit Angelus Domini, & percussit castra Assyriae 2. *Reg.* 19. *v.* 35. Comparat autem caedem novaculae, quia novacula perimit omnino pilos, tanta fuit caedes in illis eorumque magnatibus, ut scriptum est *Et succidit omnem fortem & nobilem & principem in Castris regis Assyriae* 2. *Par.* 32. *v.* 21. *in transitibus fluminis*, i. e. in exercitu qui venit de locis, qui sunt trans flumen, videlicet in rege Assyriae, qui venit cum exercitibus suis ad Jerosolymam. Quod autem dicit *radet in eis caput* h. e. pilos capitis, veluti *& radet caput suum*. *Num.* 6. *v.* 9. est parabola capitum exercituum ejus. *& pilos pedum*, i. e. pilos partis pudendae, qua periphrasi significatur vulgus. *& etiam barba deficiet*, barba est cognominatio regis, idcirco dixit *& etiam*, quia non est mos radendi barbam, & ideo

(*a*) *Musca* dicitur זבוב ab *incertis sedibus*, nam זבב Arabibus est *incertis sedibus divagari*.

(*b*) *Apis* dicitur דברה a continuo susurro, quasi loquutione, vel a mirabili ductu vel ordine sui operis & incessus.

& ideo qui radit caput suum, non radit etiam barbam suam, sed pili pedum mos est Mundi ut radantur. Dicit autem de barba *deficiet*, quum non fuerit in universalitate τῶ *radet* (i. e. rasionis,) quia rex Assyriae non obiit in Castris, sed mortuus est in terra sua post reditum, filii enim ejus percusserunt eum gladio. תספה est verbum intransitivum, & Thau refertur ad barbam, quia est generis foeminini, veluti *& omnis barba rasa*. *Jes.* 15. *v.* 2. licèt inveniatur etiam in genere masculino. Jonatan *caput* vertit *regem*, & *barbam* reddit *& etiam principes*, & *pilos pedum* interpretatur, ut explicavimus. Ait *mercede conducta*, quia novacula, quam quis mercede conducit, est bona & acuta; alii verò שכירה interpretantur *magna*, veluti *etiam magni ejus in medio ejus Jerem.* 46. *v.* 21:

V. 21. *Et erit in die illa enutriet quisque:* etiam id in diebus Ezechie; ait quod erit pax & benedictio in terra, quodque prae multitudine benedictionis enutriet quisque vitulam bovis & duas oves, & sufficientia erit ei in illis, perinde ac si essent ei greges ex iisdem in tempore alio, quia tempus benedictionis erit in diebus illis.

V. 22. *Et erit prae copia faciendi lactis:* prae affluentia lactis, quam facient, comedent butyrum, quia lacti inest serum, quod est essentia ipsius lactis, & quando quis bibet lac, bibet etiam illud mixtum in diebus illis; prae copia vero, quae erit eis lactis, facient ex eo butyrum, neque solliciti erunt de sero, sed profundent illud, neque comedent ex lacte nisi butyrum, quod proment ex illo: pariter mel erit eis multum valde, ut dictum est de terra *fluentem lacte & melle: Exod.* 3. *v.* 8. *omnis superstes*, quia in diebus Ezechiae migraverunt plerique Israelitarum; superstitibus igitur ait futuram satietatem magnam in diebus Ezechiae.

V. 23. *Et erit:* versus hic est veluti inversio seu transpositio, ejusque sensus bene consideranti talis est, omnis locus, qui modo est in senticetum & vepretum, eoquòd non possint illum colere propter bellum &c. perinde ac si dixisset, qui modò est in senticetum & in vepretum, &c. & ita passim: iste igitur locus, ait Propheta, quòd erit cultus in die illa, adeo ut mille vites in illo aequent mille nummos argenteos, quia erit fructus benedictus, proferens multum, & fructus bonus erit.

V. 24. *Cum sagittis ingredietur illuc:* nunc ingreditur illuc quicumque vult ingredi cum sagittis & arcu propter bella, idcirco modo est universa terra senticetum & vepretum, quia non colitur propter bellum, & ascendit sentis & vepres.

V. 25. *Et omnes montes:* scilicet montes in terra habitata, quia culti fuerunt etiam montes in diebus Ezechiae, non penetrabit illuc timor sentis & vepres, uti nunc est, quia sarrientur sarculo, neque timebunt ne ascendat in eis sentis & vepres, sed erunt in immissionem bovis, & in conculcationem agni, i. e. pascentur in illis pecora, neque solliciti erunt prae abundantia proventus, juxta illud *qui mittitis*

titis pedes bovis & asini. *Jes.* 32. *v.* 20. Sarculus est nomen instrumenti, quo effodiunt. *sarrientur* i. e. effodientur. (*a*)

JESAIAE CAP. VIII.

1. ET dixit Dominus ad me, sume tibi volumen magnum: & scribe in illo cum stylo hominis, Lemaher=Scialal Chasc=Baz, h. e. *ad festinandum spolium acceleravit praedam*. 2. Et contestabor *contestatus sum* mihi testes fideles: Uriam Sacerdotem & Zachariam filium Jeberechiae. 3. Et accessi ad Prophetissam, & concepit & peperit filium: & dixit Dominus ad me, voca nomen ejus Maher=Scialal Chasc=Baz, i. e. *festinando spolium accelera-vit=praedam*. 4. Quia antequam sciat puer vocitare pater mi, & mater mea: auferet opes Damasci & spolium Someronis, coram rege Assyriae. 5. Et addidit Dominus loqui ad me adhuc dicendo. 6. Propterea quòd sprevit populus hic aquas Scillochi euntes leniter: & gaudium *ejus* cum Retzino & filio Remaliae. 7. Ideo ecce Dominus ascendere faciet super eos aquas fluminis vehementes & multas, regem Asyriae & universam gloriam ejus: & ascendet super universos alveos ejus, & ibit super omnes ripas ejus. 8. Et permeabit in Jehuda inundabit ac transibit, usque ad collum perveniet: & erit *erunt* extensiones alarum ejus plenitudo latitudinis terrae tuae *o* Immanuel. 9. Conterimini populi & confringimini, & auribus percipite omnes longinquitates terrae: accingite vosmet & confringimini, accingite vos & confringimini. 10. Consulite consilium, & irritabitur: loquimini verbum & non subsistet, quia Nobiscum=Deus. 11. Etenim sic ait Dominus ad me in fortitudine pro-

K phe-

(*a*) Interpretatio, quam a vers. 21. usque ad finem hujus capitis affert de terra Israelis, falsa est, immo contraria menti Prophetae, idcirco adi nostrates.

pheriae: & corripuit me ab eundo in via populi hujus dicendo. 12. Non dicetis conjurationem quidquid dicit populus hic conjurationem: & timorem ejus non timebitis neque formidabitis. 13. Dominum exercituum ipsum sanctificabitis: & ipse est timor vester, & ipse est pavor vester. 14. Et erit in asylum *sanctuarium*, & in lapidem offensionis & in petram scandali duabus domibus Israelis, in laqueum & in tendiculam habitanti Jerosolymam. 15. Et impingent in ea multi: & cadent & frangentur, & irretientur & capientur. 16. Ligare *liga* contestationem: obsignare *obsigna* legem *doctrinam* cum doctis meis. 17. Et praestolabor Dominum abscondentem faciem suam a domo Jaacobi: & expectabo eum. 18. Ecce ego & pueri, quos dedit mihi Dominus in signa & in ostenta in Israele: a Domino exercituum habitanti in monte Tzionis. 19 Et quum dixerint ad vos, quaerite ad pythones & ad ariolos pipientes & mussitantes, *respondebitis*: nonne populus *quisque* ad Deos suos quaerit? adhuc vivi ad mortuos? 20. Per legem & per testimonium, si non dicent juxta verbum hoc, cui non est aurora. 21. Et transibit per eam durus & famelicus: & erit quando esuriet, & irascetur & maledicet regi suo & diis suis, & respiciet superiùs. 22. Et ad terram aspiciet: & ecce angustia & obtenebratio, obscuratus arctatione, & *ad* caliginem impulsus.

COMMENTARIUS.

V. 1. ET *dixit Dominus ad me, sume tibi volumen*, i. e. chartam, Jonatan vertit *tabulam*: dum verò dicit *magnum*, & non praecepit ut scriberet in illo nisi quatuor voces, fortasse fuerunt verba multa, sed eorum sensus erat hic *ad festinandum spolium acceleravit praedam*, vel non fuerunt quidem nisi quatuor istae voces, sed volumen erat magnum, ut daret similitudinem terrae Israelis, h. e. quemadmodum volumen erat grande, ac scriptum in eo parum, sic erat terra Israelis late patens, sed habitatores ejus pauci, postquam ductae sunt in captivitatem decem Tribus, & devastata est major pars ejus.

ejus. *cum stylo hominis*, quia fuit id in visione prophetiae, ideo dixit ei, ut scriberet id cum stylo hominis, ne putaret id, quod praecepit ei ut scriberet, esse pro visione tantùm prophetiae, sed ut faceret id realiter, quum transisset prophetia ab eo, scriberet id stylo hominis, quia illud ipsum, quod scribitur cum stylo hominis in visione prophetiae, non est in stylo hominis, quia non est revera opus, veluti quòd incesserit Jesaias nudus & discalceatus *Jes.* 20. *v.* 2. quodque ceperit Hoseas mulierem fornicariam *Hos.* 1. *v.* 2. & transire fecerit Ezechiel novaculam super caput suum & super barbam suam *Ezech.* 5. *v.* 1. omnia haec fuerunt in visione prophetiae, idcirco dixit ei *& scribe in illo cum stylo hominis, ad festinandum spolium acceleravit praedam:* voces verò hae sunt duplicatio significatus cum dictionibus diversis; duplicatio autem inservit ad augendam significationem, & ad festinandam eam. Jonatan *cum stylo hominis* verit *scripturam claram*.

V. 2. *Et contestabor mihi:* haec sunt verba Prophetae, & quamvis non faciat mentionem scripturae voluminis, palam tamen est scripsisse in illo, quemadmodum praeceperat ei Deus, aliaque fecisse in eo, & quamquam non videamus quòd jusserit Deus hoc, tamen contestatus est de eo testes, quasi dicat, fecit subscribere in eo testes, ut esset prophetia haec subscripta & subsignata, eo quod prope erat ut existeret. Urias prophetavit in diebus Jehojakimi *Jer.* 26. *v.* 20. *& seqq.* Zacharias verò in anno secundo Darii *Zach.* 1. *v.* 1. quamvis enim ambo fuerint in diebus Jesaiae, mens tamen est Rabbinorum nostrorum b. m. quod non in eodem tempore fuerint, dixerunt enim „ Ecquid „ sibi vult Urias prope Zachariam? non aliud nisi quod Urias pro„ phetavit ultionem *Tzion ut ager arabitur*, *Jer.* 26. *v.* 18. Zacha„ rias verò prophetavit consolationes *adhuc habitabunt senes & anus* „ *&c. Zach.* 8. *v.* 4. prophetia Uriae est testimonium prophetiae Za„ chariae, quemadmodum subsitit prophetia Uriae, ita subsistet pro„ phetia Zachariae „ Itaque juxta mentem eorum verba ista *Et contestabor mihi* sunt Dei benedicti, ut interpretatur etiam Jonatan *Et contestare coram me testibus fidelibus maledictiones, quas dixi me inducturum in prophetia Uriae Sacerdotis: ecce venerunt. Et etiam omnes consolationes, quas dixi me adducturum in prophetia Zachariae filii Berechiae, ego adducturus sum.*

V. 3. *Et accessi ad Prophetissam:* haec est ipsius uxor, quam vocat Prophetissam, eoquòd esset uxor Prophetae. Duas verò res contestatus est in negotio hoc, scripturam voluminis, & filium natum Jesaiae Prophetae. *Maher=Scialal Chasc=Baz*, non appellatum est nomen pueri cum quatuor hisce vocibus, verum dicit quòd vocabunt nomen ejus vel *Maher=Scialal*, vel *Chasc=Baz*, quia istae duae conjunctiones idem significant, modo appellabunt eum *Maher=Scialal*, modò vocabunt eum *Chasc=Baz*.

V. 4. *Quia antequam:* hoc tempus unum & idem est cum illo, de

quo dictum superius *antequam sciat puer rejicere malum, & eligere bonum, Jes. 7. v. 16.* quia tunc puer incipit loqui; principium verò sermonis ejus est, quando vocat patrem & matrem suam, quia in hoc verbo assuefaciunt eum ab initio. *auferet opes Damasci*, auferet ablator divitias Damasci, & spolium Someronis coram rege Assyriae. *auferet*, deest agens, veluti *& nunciavit Jaacobo, Genes. 48. v. 2.* scilicet nuncians, item *& dixit Josepho, Genes. 40. v. 16.* scilicet dicens, & multa similia hisce.

V. 5. *Et addidit Dominus*: ait *Et addidit*, quia in hac re commemoraverat etiam se ipsum, (videl. interposuerat verba etiam sua, ut illa vers. 3.) & idcirco dicit *adhuc*.

V. 6. *Propterea quòd*: quia erant in Jehuda & in Jerosolyma multi, qui desiderabant regnum Phekachi filii Remaliae, & spernebant regnum Domus Davidis, eoquòd esset potentia regni Ephraimitici fortis & valida, regni verò domus Davidicae debilis in diebus Achazi. Unà verò cum filio Remaliae meminit etiam Retzini, quia simul ambo pugnaverunt adversus Jehudam. Comparat autem regnum domus Davidicae aquis Scillochi euntibus leniter, quod est flumen parvum, cujus aquae fluunt placide, ita regno domus Davidicae non erant vires, quibus nocere posset hostibus suis Retzino ac filio Remaliae. *& gaudium (ejus) cum Retzino*, gauderent & laetarentur cum eis, si essent reges in Jerosolyma. ומשוש est nomen substantivum conjunctum particulae את, & ita *locus* (illius, qui) *ignorat Deum. Job. 18. v. 21.*

V. 7. ולכן Vau non est ad additionem argumenti, quandoquidem est principium verborum, sed ratio illius, quod dixerat, propterea quod fecerunt ita & ita, fiet eis sic & sic, juxta illud *extulit Abrahamus oculos suos, Gen. 22. v. 4.* & alia multa. Ait Propheta, sic loquutus est ad me Dominus, propterea quod laetatum est cor eorum cum pugnantibus adversus regnum domus Davidicae, ideo cadent ipsi in manum duriorum illis, h. e exercituum Assyriorum, quos comparat aquis fluminis vehementibus ac multis; sicut enim istae praevalent in terra, & inundant quacumque transeunt, ita rex Assyriae & exercitus ejus ingens subegit universam terram Jehudae praeter Jerosolymam. *& universam gloriam ejus*, i. e. exercitum ejus magnum, per quem glorificatus est super omnes populos, quos subjecit potestati suae. *& ascendet super universos alveos ejus*, quamvis alvei sint profundi, tamen dicit *& ascendet* respectu terrae Israeliticae, quae est eminentior omnibus terris, volens dicere, quod universa terra implebitur illis, ut alvei implentur aquis, & adhuc prae multitudine ibunt super omnes ripas alveorum, i. e. labia profunditatum superius, quae sunt eminentiora profunditate; ripae verò sunt parabola civitatum omnium Jehudae munitarum.

V. 8. *Et permeabit*, in Targum *& transibit. usque ad collum perveniet*,

niet, comparat Jerosolymam capiti corporis, nam sicuti quum aquae perveniunt ad collum hominis, tunc prope est ut mergatur in illis, quippe si praevaleant adhuc paululum, trascendent caput ejus, ac submergetur in illis, ita Rex Assyriae postquam pervenit Jerosolymam usque, fuit instar aquarum, quae perveniant usque ad collum, fuitque Jerosolyma prope ut subjiceretur, nisi fuissent misericordiae Domini, sic Jonatan *usque ad collum perveniet* vertit *usque ad Jerosolymam veniet*. *& erunt extensiones alarum ejus*, Daghesc in מטות est propter deficientiam Nun, i. e. pro מנטות ex נטה, vult dicere, extensio exercituum ejus & dilatatio eorumdem implebit latitudinem universae terrae Jehudae: dicit *Immanuel*, qui est filius natus Achazo, in signum quòd non subjicietur, quasi dicat, per te, o Immanuel, qui es in Jerosolima, cognoscent secum esse Deum, quia liberabitur (Jerosolyma) de manu regis Assyriae, reliqua verò terra tua erit plena illis. In Deras „ quota est acies alarum galli respectu „ alarum totarum? sexagesima pars: ita sexagesima pars exercituum Sentheribi implevit latitudinem terrae Jehudae. „

V. 9. רעו significatio contritionis, veluti *conteres eos in virga ferrea*; *Ps* 2. *v*. 9. ait igitur veluti coram populis congregatis cum rege Assyriae, conterite, verum postea eritis contriti. וחתו Verbum intransitivum, i. e. conterimini. *& auribus percipite omnes longinquitates terrae*, omnes populi, qui venistis de longinquitatibus terrae, auribus percipite hanc prophetiam, quod in principio contereretis, verum postea conteremini. מרחקי Mem est cum Saegol. *accingite vos*, accingite vos initio, roborate vosmet ad bellum, sed postea conteremini; repetio verò est ad roborandum significatum. Jonatan interpretatur רעו ex significatione illius *Socium tuum, & socium patris tui Prov*. 27. *v*. 10. videlicet *Consociamini populi & conterimini*.

V. 10. *Consulite*: quid proderit vobis consilium vestrum contra Jerosolymam, quandoquidem irritum fiet, & verbum vestrum contra eam non stabit? & quare? quia Nobiscum = Deus. In voce עצו Sejurek stat pro Cholem, quia venit interdum Cholem in Quiescentibus פ, veluti *accedite huc*, *Jehos*. 3. *v*. 9. in Deficientibus פ.

V. 11. *Etenim sic ait Dominus*: ratio illius, quod dixerat, quod non subsistet consilium eorum adversus Jerosolymam; ita enim dixit ad me in fortitudine prophetiae, quod ipse erit timor vester, quia dabit vobis robur & fortitudinem credentibus in ipsum, & sanctificantibus nomen ipsius, diriget etiam me ne ambulem in via populi hujus rejicientis regnum domus Davidicae ob timorem regum istorum. בחזקת היד significat in fortitudine prophetiae, veluti *& prophetia Domini fuit super me fortis Ezech*. 3. *v*. 14. fortitudo verò in prophetia est, quando ostendit in visione prophetiae visionem terri-

terribilem & mirabilem, vel quando dicit verba vice post vicem, vel in repetitione ejusdem rei cum vocibus diversis, quia totum hoc est ad roborandum argumentum. ויסרני Tzere sub Resc stat pro Patach magno, (i. e. pro Kametz propter Accentum) quia tempus proprie exigit Patach, veluti *& ipse maledixit mihi* 1. *Reg.* 2. *v.* 8. *dicendo*, ipse corripuit me ne ambularem nisi in via Domini, & ut indicerem etiam aliis, & ut corriperem ac monerem eos, ne ambulent in viis populi rebellantis: dicit autem illis

V. 12. לא תאמרון non cogitabitis neque voletis id, ut conspiretis & rebelletis contra regnum domus Davidicae; & secundum hanc significationem *num interficere me cogitas? Exod.* 2. *v.* 14. *& cogitavit percutere Davidem*. 2. *Sam.* 21. *v.* 16. vel sensus est, non dicetis invicem. *& timorem ejus non timebitis*, id, quod ipsi timent, scilicet Retzinum & Phekachum, vos non timebitis neque metuetis: non dabitis illis in corde & in ore vestro pavorem ac potentiam, quemadmodum facit populus hic, quia non est illis potestas super vos, nisi velit Deus. Sunt qui interpretantur prophetiam hanc de diebus Ezechiae, quia tunc metuebant a rege Assyriae, dicuntque Sebnam ejusque comitatum clam fecisse pacem cum rege Assyriae; & ita interpretati sunt Rabbini nostri, quorum memoria sit in benedictione.

V. 13. *Dominum exercituum*: ipse est Dominus exercituum superiorum & inferiorum, ejusque in manu sunt omnia; quòd si timueritis ac metueritis eum, ipse eripiet vos de exercitibus inferioribus pugnantibus contra vos. *& ipse est timor vester*, quem tantùm timebitis. *& ipse est pavor vester*, & ipse dabit vobis pavorem & vires, neque poterunt hostes vestri nocere vobis.

V. 14. *Et erit in Asylum*: asylum est arx & locus refugii, quo se quis recipiat, veluti *quia Asylum regis est*. *Amos.* 7. *v* 13. *& ingredietur in Asylum suum*. *Jes.* 16. *v.* 12. Ait quòd Sanctus ille benedictus erit alteri duarum domorum Israelis in Asylum, scilicet sperantibus in eum, ac volentibus regnum domus Davidicae, alteri verò in lapidem offensionis & in petram scandali. *in laqueum & tendiculam habitanti Jerosolymam*, i. e. alteri ex duabus domibus habitanti in Jerosolyma, nimirum renuentibus regnum domus Davidis, & eligentibus regnum filii Remaliae. Si verò loquitur de diebus Ezechiae, intelligendum de Sebna ejusque comitatu: Jonatan *habitanti Jerosolymam* vertit *bis qui divisi sunt de domo Jehudae, & habitantibus in Jerosolyma*.

V. 15. *Et impingent in ea*: in lapidem offensionis & in petram scandali, quorum meminit, offendent plurimi, i. e. rebelles, qui existimant se posse eripi per rebellionem suam, sed cadent in medium laquei, & capientur.

V. 16. *Ligare contestationem*: צור est juxta formam סוב cum integritate sua, i. e. cum Vau, cujus significatio est significatio ligaturae, veluti *& fuerunt ligatae*. 2. *Sam.* 20. *v.* 3. *& scissos & ligatos*

Jehos.

Jehos. 9. *v.* 4. vox autem haec צור est Infinitivus, sicuti & חתום, & sunt verba Prophetae dicentis, non est mei nisi ligare & obsignare Legem בלמודי, h. e. cum doctis meis, ne videant eam alii praeterquam discipuli, alii enim nolunt neque videre neque audire verba Legis: quod quum ita sit, bonum est, ut liget eam homo, neque fiat mentio nisi cum discipulis, quandoquidem alii, si mentionem faciam apud eos, aut ostendam illis verba Legis, non faciunt eam, ideoque mulcta eorum duplicanda esset post monitionem. למודי est nomen Toar seu adjectivum discipulorum, & ita *universos filios tuos doctos Domini*, *Jes.* 54. *v.* 13. *doctus desertum Jer.* 2. *v.* 24. Sunt qui sentiunt, quòd haec sint verba Dei, & צור atque חתום sit modus Imperativus, ut interpretatur etiam Jonatan, qui sumpsit צור pro נצור *Propheta serva testimonium, ne testificeris eis, quia non obediunt: signa & absconde Legem, quia nolunt discere eam.*

V. 17. *Et praestolabor:* secundum interpretationem nostram versus hic ligatus est cum praecedenti, at secundum interpretationem alteram haec quidem sunt verba Prophetae, praecedentia verò sunt verba Dei, & ita interpretatur Jonatan *Dixit Propheta: Pro hoc oravi coram Domino, qui dixit se subductnrum Majestatem suam de domo Jaacobi, & deprecatus sum in conspectu ejus.* Ait *Et praestolabor Dominum*, i. e. per omne tempus ego praestolor Dominum, etiam in tempore quo abscondit faciem suam a domo Jaacobi. *& expectabo eum*, repetitio ejusdem rei cum vocabulis diversis. וחכיתי cum Chirik sub secunda radicali, & קויתי cum Tzere.

V. 18 *Ecce ego:* opera quae feci in signum, veluti scriptura voluminis, & appellatio nominum puerorum Scear = Jasciub, & Maher = Scialal Chasc = Baz, sunt a Domino exercituum, non feci quidquam ex me, sed omnia dicta sunt mihi a Deo exercituum, qui habitat in monte Tzionis, & ipse salvam faciet eam de manu regis Aramiae & de manu regis Assyriae. Hujusmodi verba dicebat Propheta discipulis suis sedentibus coram ipso, quibus pariter dicebat

V. 19. *Et quum dixerint ad vos:* quum dixerit vobis populus iste, quaerite ad Pythones & Ariolos, quemadmodum & nos facimus, nonne videtis eos pipire & mussitare? si ita se res habet, decet ab eis quaerere, & credere in eos: vos respondebitis illis, nonne quisque populus quaerit ad Deos suos, etiam ii qui quaerunt a Diis aliis? (praeter Deum verum) quilibet populus quaerit a Diis suis, nonnulli faciunt Divinitatem Solem, alii Lunam, alii denique caeteras Stellas, quae omnia viva sunt, ac inest virtus, licèt tamen nefas sit quaerere ab iisdem, quia vis venit eis a Deo benedicto, qui est dominus universorum, & a quo decet quaerere; sed illud, quod dicitis nobis, ut quaeramus a Pytonibus & ab Ariolis, est negotium, quod ratio non fert, quia ipsi sunt mortui, quomodo igitur quaeremus nos adhuc vi-

vi a

vi a mortuis, quandoquidem mortui nihil sciunt? Pipitus verò fit ut decipiantur illi, qui se occupant in eis: Jonatan vertit *Et quum dixerint vobis populi, in quorum medio vos habitatis: quaerite a Pythonibus & a Divinis, qui garriunt & gemunt; nonne haec via est populorum colentium Idola? unusquisque populus ab Idolo suo requirit, vivi a mortuis.*

V. 20. *Per Legem & per testimonium:* juramentum more hominis dicentis, per Legem erit ita & ita; pariter *si non* est juramentum, veluti *si non posui & tacere feci. Ps.* 131. *v.* 2. & similia hisce. Dicent igitur haec (quae scilicet ait superius *Et quum dixerint ad vos v.* 19.) ac sciatis in veritate, quòd ita vos alloquentur in verbo hoc, quod dixi, cui non est aurora, videlicet lux, quasi dicat, non est ei quidquam rationis, & verbum tenebrosum ac caliginosum est istud. Jonatan vertit *sic respondebitis illis, legi, quae data est nobis in testimonium, obtemperamus. Nisi transmigraveritis inter populos, & dixerint vobis juxta verbum hoc: jam non erit ei qui mane consurgat, & requirat illud,* quasi dicat, Pythoni & Ariolo non est qui sedulò pervestiget faciem ipsius, & quaerat eum, quum nefas sit id agere. In Deras „ *cui* „ *non est aurora*, super se non facit nasci auroram, quamvis enim „ sint ei oculi, tamen non videt, quomodo igitur nasci faciet super „ alios? „ In Deras praeterea „ Dixit Rab. Simon, Beera pater Ho„ seae filii Beerae prophetavit duos hosce versus *Et quum dixerint,* „ & *Per Legem*, verùm quum satis non essent ad formandum librum, „ ideo consuti fuerunt in Jesaia: prophetavit etiam de migratione de„ cem Tribuum, quando deportavit rex Assyriae Reubenitas & Gadi„ tas; qui verò deportavit, fuit Thiglath=Pileser. „

V. 21. *Et transibit per eam:* i. e. per terram, quasi dicat, is, qui transibit per eam, durus & famelicus erit, quia non inveniet in terra quid comedat. נקשה significat durum die suo, veluti *si non flevi super durum die: Job.* 30. *v.* 25. *& erit quando esuriet*, quando nimirum nesciet quid faciat, neque sciet consilium animae suae, i. e. sibimetipso. *quando esuriet, & irascetur ac maledicet regi suo*, eo quòd non sit ei vis servandi ipsum, fames enim venit propter bellum hostium. *& diis suis*, i. e. idolis suis, quae colebat, & postquam viderit non esse sibi auxilium ab hoc aut ab isto, respiciet sursum, & convertetur ad Deum benedictum, ut auxilietur sibi: Jonatan vertit *Et transibit corruens in terra, & erit tribulatio ac fames. Et erit quando viderit famem & afflictionem, & maledicet & contemnet nomen Sacerdotis seu sacrificuli sui* (alii pro פת כומריה legunt פת כמריה). *& idoli sui: & respiciet supra ut quaerat salutem, postquam signata est sententia, & non poterit* (obtinere.) פת כומריה significatio cultus exteri, (h. e. nomen Idoli) & ita *tabernaculum idoli vestri, Amos.* 5. *v.* 26. *& jurantes per idolum suum. Tzeph.* 1. *v.* 5.

V. 22. *Et ad terram*: juxta Targum *Auxilium ab habitatoribus terrae requiret*: versus hic duplicatus est in significatione cum vocabulis

bulis diversis, etenim angustia & obtenebratio idem sunt ac arctatio & caligo. מעוף significat obscuritatem, juxta illud *terram obscuritatis maximae, sicut caligo. Job.* 10. *v.* 22. utrique enim radix eadem est; Jonatan verò interpretatur in significatione lassitudinis *& lassitudo tribulationis*. ואפלה pro ולאפלה, quasi dicat, videbit semetipsum impulsum ad tenebras & ad caliginem: Jonatan interpretatur מנדח ut nomen substantivum, quasi dixisset, caligo & impulsio ad lapsum, seu lapsus, reddit enim *& tenebrae & dispersio*.

JESAIAE CAP. IX.

1. QUia non obscuratum ei, cui angustiatum juxta tempus primum *ab eo*, *qui* alleviavit terram Zebulun & terram Naphthali, & posteriori *ab eo*, *qui* aggravavit viam maris trans Jordanem Ghelil gentium. 2.
Populus ambulantes in tenebrositate viderunt lucem magnam: habitantibus in terra umbrae mortis lux splenduit super eis. 3.
Multiplicasti gentem, ei magnificasti laetitiam: gavisi sunt coram te juxta laetitiam in messe, quemadmodum exultaverunt *exultant victores* dum dividerent *dividunt* spolium. 4.
Namque jugum oneris ejus, & virgam humeri ejus, sceptrum exigentis in eo *arctantis eum*, confregisti juxta diem Midjanis. 5.
Quia omnis conflictus confligentis cum commotione, & vestimentum involutum in sanguinibus: & erit in combustionem, cibus ignis.
6. Etenim puer natus est nobis, filius datus est nobis, & erit principatus super humerum ejus: & vocabit *vocabitur* nomen ejus Admirabilis Consiliarius Deus fortis Pater aeternitatis Principem *princeps* pacis. 7.
Amplitudini principatus & paci non erit finis, super thronum Davidis & super regnum ejus, ad firmandum illud & ad fulciendum illud in judicio & in justitia: ex nunc & usque in saeculum, zelus Domini exercituum faciet hunc. 8.
Verbum misit Dominus in Jaacobum: & cecidit in Israe-

L lem.

lem. 9. Et scient populus universus ipse, Ephraimus & habitator Someronis: in superbia & in magnitudine cordis dicendo *dicentes*. 10. Lateres ceciderunt, & caeso lapide aedificabimus: sycomori succisi sunt, & cedros substituemus. 11. Et extollet Dominus hostes Retzini super ipsum: & inimicos ejus confundet. 12. Aramia ab Oriente, & Palesthina ab Occidente, & devoraverunt Israelem cum toto ore: in toto hoc non aversus est furor ejus, sed adhuc manus ejus extenta. 13. Et populus non conversus est ad percutientem ipsum: & Dominum exercituum non quaesierunt. 14. Et abscidit Dominus ab Israele caput & caudam, ramum & juncum die uno. 15. Senex & elatus facie est caput: propheta verò docens *indicans* mendacium est cauda. 16. Et fuerunt dirigentes *beatificantes* populum istum seducentes: & beatificati *directi* ejus absorpti. 17. Quapropter in juvenibus ejus non laetabitur Dominus, & pupillorum ejus & viduarum ejus non miserebitur, quia omnis ipse hypocrita & malignus, & omne os loquens stultitiam: in toto hoc non aversus est furor ejus, sed adhuc manus ejus extenta. 18 Quia succensa est tanquam ignis improbitas, veprem ac dumum vorabit *voravit*: & flagravit in perplexitatibus silvae, & extulerunt se elatione fumi. 19. In excandescentia Domini exercituum obscurata est terra: & fuit populus sicut esca ignis, quisque fratri suo non parcent. 20. Et scidit ad dexteram & esurivit, & comedit ad sinistram, & non saturati sunt: unusquisque carnem brachii sui comedent. 21. Menasses Ephraimum Ephraimus Menassem, simul ipsi contra Jehudam: in toto hoc non aversus est furor ejus, sed adhuc manus ejus extenta.

COM-

COMMENTARIUS.

V. 1. *Quia non obscuratum*: non existimavit Israel se ipsum in tenebris, scilicet in angustia & in afflictione, quae venit in terram initio, quasi dicat, adhuc non sentit in se, quum deportati sint Zebulun & Naphthali. מועף est participium passivum ex Hiphil ex Quiescentibus ע, & significat obscuritatem, veluti *terram obscuritatis maximae*, *Jōb.* 10. *v.* 22. מוצק pariter est participium passivum, quod item significat afflictionem. לה i. e. terrae. *alleviavit*, scilicet qui deportavit eos, nimirum Tiglat = Pileser, qui captivos fecit Reubenitas cum dimidio Tribus Menassis, & Zebulun & Naphtali. Migratio Reubenitarum & Gaditarum scripta est in Libro Verborum dierum 1. *Par.* 5. *v.* 26. migratio verò Naphtalitarum in Libro Regum 2. *Reg.* 15. *v.* 29. Zebulun autem erat penes Naphtali. *& posteriori aggravavit*, qui deportavit eos, i. e. Sancheribus, aggravavit super eos, captivas enim duxit reliquas Tribus. Dicit autem *viam maris trans Jordanem Ghelil gentium*, eo quòd relicta fuit Jerosolyma, quae non fuit subjecta, ea verò est in medio terrae Israelis. Recenset hìc loca, quae sunt in termino terrae Israelis; mare autem & Jordanis erant ex terminis terrae Israelis, quia terra Jehudae non subjecta fuit nisi in diebus Ezechiae, quae quidem subjectio non duravit nisi momentum, reversus enim est rex, postquam percussus est exercitus ejus, quando venit contra Jerosolymam. In Midrasc „ כעת הראשון non ut priores, qui alleviaverunt a se jugum Legis, sed posteriores aggravarunt super se jugum Legis, & digni fuerunt, ut fieret eis prodigium, quum permearent mare, & transirent Jordanem. Quid est גליל הגוים? ait Sanctus ille benedictus, si revertatur in se, bene quidem, si verò non, faciam eum stercus in gentibus. „

V. 2. *Populus ambulantes*: dicit modò, postquam aggravaverit Rex Assyriae veniendo contra Jerosolymam, Tribus Jehudae & Binjamini, quae ambulabant in tenebris, videbunt lucem magnam in caede exercitus Assyrii. Medietas altera hujus versus est repetitio ejusdem rei cum vocabulis diversis.

V. 3. *Multiplicasti gentem*: gentem Israelis multiplicasti habita comparatione cum hostibus ejus in caede exercitus Assyrii. *ei magnificasti laetitiam*, scilicet genti, cujus meminit. Scribitur autem לא cum Aleph, sed exponi debet pro לו *ei*, scilicet genti, cui quidem multiplicasti laetitiam, inimicis verò eorum non magnificasti, sed minuisti. *gavisi sunt coram te*, scilicet in domo Sanctuarii, quando dederunt laudationem, gratiarumque actionem, & gavisi sunt gaudio magno. *juxta laetitiam in messe*, sicut mos est mundi laetari in tempore messis:

sis: Thau stat loco He pro שִׂמְחַת, & ita *si dedero somnum oculis meis Ps.* 132. *v.* 4. *agmen video* 2. *Reg.* 9. *v.* 17. & similia. *quemadmodum exultaverunt dum dividerent spolium*, quemadmodum gavisi sunt in tempore, quo diviserunt castra Assyria, sic gavisi sunt gaudio magno postea, quando venerunt ad domum Domini ad agendas gratias, & ad laudandum ab prodigium tantum, quod fecit ipsis Deus. Licet etiam interpretari, sicut exultant homines in dividendo spolio, ita gavisi sunt ipsi in conspectu tuo, juxta illud *Gaudens ego super eloquium tuum, sicut inveniens spolium multum*. *Ps* 119. *v.* 162. sed quia etiam ipsi diviserunt castra Assyria, ideo non debemus recurrere ad similitudinem aliam, sed explicatio prior est recta.

V. 4. *Namque jugum:* Rex Assyriae erat jugum oneris Israelis, & baculus humeri ejus, scilicet erat onus super eum, eratque virga exactoris in Israele, sed tu contrivisti virgam eam, sicut contrivisti Midjanitas in bello Gidonis, ut dictum est in Psalmo *Fac eis sicut Midjani: Ps.* 83. *v.* 10. illo enim die factum est prodigium magnum & salus magna, siquidem Gidon cum tercentis viris percussit totum exercitum Midjaniticum, qui erat multo major quoad multitudinem, & illis ac eorum camelis non erat numerus *Jud VII.*

V. 5. *Quia omnis conflictus confligentis cum commotione:* quia non erit hoc bellum sicut caetera bella, omnia enim caetera bella pugnat pugnator cum commotione equorum, sicut dictum est de hoc *Cum commotione & concussione absorbet terram Job.* 39. *v.* 24. pariter cum concussione hastae, sicut dictum est de ea *concussionem hastae. Job.* 41. *v.* 21. Item in caeteris bellis vestimentum involvitur in sanguinibus, quia sese percutiunt invicem percussione gladii, ideoque vestimentum involvitur sanguinibus, sed in isto non erit neque gladius, neque concussio, neque sanguines, sed erunt in combustionem esca ignis, percussit enim eos Angelus noctu, & combusti fuerunt. Est autem circa hoc dissentio in verbis Magistrorum nostrorum, quorum memoria sit in benedictione, nonnulli dicunt combustam fuisse animam, corpus verò substitisse, alii verò dicunt etiam corpus combustum fuisse, sed non vestimenta eorum. In סאון סואן Num est radicale, & juxta propriam significationem significat bellum, nec alibi reperimus: סאון est Toar, & סואן est participium, quasi dicat, quia omnis faciens bellum pugnat cum commotione; vel potius סאון est nomen substantivum significans bellum, quia omne bellum pugnat homo cum commotione.

V. 6. *Etenim puer natus est nobis:* ait hoc de Ezechia, in diebus enim regni ejus evenit salus haec Israeli, caeso Assyriorum exercitu, quasi dicat, id erit ob merita pueri, qui natus est nobis. *filius datus est nobis*, repetitio ejusdem rei cum vocabulis diversis. *& erit principatus super humerum ejus*, cur dixit *humerum ejus* de principatu, quum non fiat mentio humeri nisi de servitute? veluti *& inclinavit humerum*

suum

suum ad portandum. Genes. 49. v. 15. *& virgam humeri ejus*, b. cap. v. 3. al. 4. *recedet onus ejus ab humero tuo*, Jes. 10. v. 27. quia Achazus erat servus (i. e. Tributarius) regi Assyriae, eratque onus ejus super humerum ipsius, ideo ait quòd non erit super humerum pueri hujus servitus, sed principatus. *& vocabit (a) nomen ejus*, scilicet Sanctus ille benedictus, qui est admiramilis Consiliarius, & Deus fortis, Pater aeternitatis, appellabit nomen pueri hujus Principem pacis, propterea quod principatus erit ei, neque serviet regi alteri, ut dictum est *& rebellavit contra regem Assyriae, & non servivit ei*, 2. Reg. 18. v. 7. *pacis*, quia pax erit Israeli in diebus ejus. Tribuit autem hujusmodi epitheta Deo benedicto habita ratione rerum, quae evenerunt Ezechiae: dicit *admirabilis* ob rem mirabilem, quando reversus est sol retrorsum 2. Reg. 20. v. 11. *Consiliarius*, quia consilium Domini substitit, consilium verò Sancheribi irritum factum est: *Deus fortis*, quia licèt venerit Sancheribus cum exercitu maguo & forti, tamen praevaluit ei, & in momento parvo percussit exercitum ejus: *Pater aeternitatis*, quia persistit in saeculum, & est pater temporis, quod ipse creavit, & in manu ejus est addere & detrahere, & augere tempus vitae Ezechiae quindecim annis 2. Reg. 20. v. 6.

V. 7. *Amplitudini principatus*: לםרבה Mem clausum est in scripto, sed legitur ut cum Mem aperto; e contrario in Ezra הם scilicet *qui sunt diruti* Nech. 2. v. 13. Mem apertum est in fine dictionis. Est autem circa id mystica interpretatio „ Quando claudentur „ muri Jerosolymae, qui sunt rupti toto tempore exilii: quippe salutis „ tempore claudentur rupturae, & tunc aperietur principatus, qui mo- „ do clausus est usque ad Regem Messiam „ לםרבה est nomen substan-

(a) Nonnulli ex nostratibus perperam opinantur in verbo ויקרא malitiosè ab Hebraeis mutata esse puncta vocalia, videlicet ex passivo conversum esse in activum, siquidem etiam Aquila & Theodotio verterunt καὶ ἐκάλεσε *& vocavit*, unde apparet lectum semper esse activè, numquam passivè. Id autem nequaquam juvat Hebraeorum expositionem, neque Christianorum sensum evertit, etenim tertiae verborum activorum personae passivè & impersonaliter saepe accipiuntur. veluti Genes. 16. v. 14. ubi hoc ipsum verbum קרא passivam obtinet significationem; si enim activam haberet, scribendum esset קראה, quum textus ibi loquatur de Agar: si verò retinenda est activa significatio, subintelligere possumus participium ex eodem verbo deductum, videlicet *& vocabit vocans &c.*, quae supplendi ratio frequens est in Rabbinorum commentariis. Quòd autem de Messia loquatur hic Propheta, eidemque tribuenda sint supradicta nomina palam evincit Paraphrastes Chaldaeus, qui sic vertit *& vocabitur nomen ejus a facie admirabilis consilii vir permanens in saecula, Messias, cujus pax multiplicabitur super nos in diebus ejus*. Hinc igitur vides praefatum verbum ויקרא licet in forma activa sumptum fuisse antiquitus in significatione passiva.

stantivum conjunctum, ideoque punctatum est cum Tzere: ait, magnitudini principatus & paci, quae erunt super thronum Davidis, & super regnum ejus, non erit finis; quae est repetitio ejusdem rei cum vocabulis diversis. *& ad fulciendum illud*, ne vacillet regnum & principatus ejus ex nunc & usque in saeculum, cui licèt sit cessatio in diebus praesentis exilii, rursus tamen revertetur ad pristinum statum suum. Dicit autem *in judicio & in justitia*, quia in his firmabitur solium, & subsistet regnum. *zelus Domini exercituum faciet hunc*, scilicet hunc principatum, qui erit modò Domui Davidis unà cum salute magna, quia zelabit Dominus exercituum in verba puerorum regis Assyriae, qui probris affecerunt, & blasphemaverunt Dominum benedictum 2. *Reg.* 18. *v.* 30. *& seqq.*

V. 8. *Verbum misit*: malum hoc, quod venit super Jaacobum, nimirum quòd dominati sint eis eorum hostes, a Deo fuit, ne dicerent esse per casum, sed in mulctam iniquitatum suarum venisse sibi, quum ante adventum ipsius mali Prophetas suos miserit dicentes, sic & sic veniet eis nisi convertantur, & sicuti misit verbum in eos, ita cecidit in ipsos, & ita cadet, donec migrent de terra sua, quemadmodum dixerunt illis Prophetae ex ore ipsius.

V. 9. *Et scient*: tunc sciet populus hic me veritatem dixisse illis, qui principio ultionis venientis super ipsos dicebant, lateres ceciderunt, & nos quadrato lapide aedificabimus, neque recogitabant in corde suo propter iniquitatem suam evenisse sibi malum, verùm dicebant, modò venit malum, adhuc postea veniet nobis bonum dupliciter; sed quum ceciderit super eos verbum Domini, consumentur & migrabunt de terra sua, & tunc scient verba, quae proferebant in superbia & in magnitudine cordis, vanam consolationem afferre, quia tum deficiet superbia eorum & magnitudo cordis eorum.

V. 10. *Lateres ceciderunt*: metaphoricè juxta Targum *Capita migraverunt, sed meliores eis substituemus: substantiae direptae sunt, sed pulchriora his acquiremus.*

V. 11. *Et extollet hostes Retzini*: scilicet regem Assyriae & exercitum ejus, qui cepit Damascum, & interfecit Retzinum: dicit autem id, quia Ephraimus erat cum eo in foedere, & utrique pugnaverunt adversus Jehudam. Ait igitur, quòd non proderit alter alteri, quia Deus extollet & roborabit inimicos Retzini adversus eumdem. *& inimicos ejus confundet*, confundet populum ejus in terra ipsius, quando venient ad capiendam eam.

V. 12. *Aramia ab Oriente*: quia antequam regnaret Phekachus filius Remaliae, acriter pugnaverat Aramia contra Israelitas, ut dictum est *& posuerat eos veluti pulverem ad triturandum*. 2. *Reg.* 13. *v.* 7. Aramia verò erat ab Oriente terrae Israelis, Palestina ab Occidente, atque isti & illi pugnaverunt adversus eos, ac devoraverunt eos toto ore. *in toto hoc non aversus est furor ejus*, quasi dicat, non conversi sunt, ut convertatur Deus ab aestu furoris sui, sed adhuc manus Dei

ex-

extenta est contra eos ad consumendum ipsos, quandoquidem conversi non sunt, sicut indixerat.

V. 13. *Et populus non conversus est ad percutientem ipsum:* non intellexerunt Deum esse percutientem ipsosmet ob iniquitates suas, neque conversi sunt ad eum, neque quaesierunt eum.

V. 14. *Et abscidit....ramum & juncum:* scilicet fortes & debiles. כפה est ramus arboris, veluti *& ramus non viruit. Job.* 15. *v.* 32. אגמון autem est juncus crescens in aquis. *die uno*, hic est dies ille, quo deportatae fuerunt Tribus.

V. 15. *Senex.... est cauda:* quia prophetae mendaces erant ex minimis plebis, & ad inveniendam gratiam in oculis magnatum prophetabant eis prosperitatem, & jubebant eos sperare in mendacium, ut praeberent ipsis panem & vinum, sicuti scriptum est *prophetabo tibi pro vino & sicera, & hic erit vates populo isti. Mich.* 2. *v.* 11.

V. 16. *Et fuerunt:* illi, qui debebant dirigere ac deducere eos per viam rectam, ipsi seducebant eos, ac in oculis suis beatos praedicabant, idcirco beatificati ejus absorpti, videl. qui praedicabantur beati in oculis illorum, quando docebant eos viam pravam, fuerunt deglutiti, ac perditi in consilio ipsorum pravo.

V. 17. *Quapropter.... non laetabitur*, contra illud *Et exultabo in Jerosolyma, & gaudebo in populo meo. Jes.* 65. *v.* 19. etenim quando tenet homo viam malam, & propter hoc ei malevertit, tunc Deus quodammodo doiet, veluti *& doluit in corde suo Genes.* 6. *v.* 6. quando verò tenet homo viam bonam, & propterea benevertit ei, tum Deus quodammodo gaudet, ut dictum est *& gaudebo in populo meo. Jes.* 65. *v.* 19. pariter *gaudebit Dominus in operibus ejus. Ps.* 104. *v.* 31. Dicit autem *in juvenibus ejus*, quia ipsi utplurimum scrutantur post oculos suos, idcirco non eripiet eos vis & robur ipsorum a malo venienti super eos, quapropter non gaudebit Dominus in eis, eoquod non faciant voluntatem ipsius, *& pupillorum ejus & viduarum ejus non miserebitur*, ne pupillorum quidem & viduarum, quae personae dignae sunt venia & misericordia, non miserebitur Deus. *quia omnis ipse hypocrita & malignus*, tam magni quam parvi, tam fortes quam debiles; in toto hoc quòd veniat eis malum magnum, non conversi sunt, ideo non conversus est ne furor quidem ejus ab eis, sed adhuc manus ejus extenta est super eos ad nocendum eis etiam in exilio.

V. 18. *Quia succensa est tanquam ignis improbitas:* improbitas, quam fecerunt, exarsit in eis tanquam ignis: solet autem ignis ardère primùm in spinis & in lignis minutis, quemadmodum dictum est *& inveneris spinas Exod.* 22. *v.* 6. ac postea in lignis majoribus, sic improbitas, quae devorabit eos, incipiet in parvis, utpote sunt spinae, ac deinde ardebit in perplexitatibus silvae, scilicet in magnatibus. ויתאבכו juxta locum suum significat *& extulerunt se elatione su-*

fumi, ubi deest Caph similitudinis, videl. instar elationis fumi, & ita *cor laetum benefaciet medicina*, pro *ut medicina*. *Prov.* 17. *v.* 22. Propterea quod comparavit impietatem eorum igni ardenti, idcirco ait, quòd efferunt se, quasi dicat, impietas eorum extulit se instar elationis fumi, nimirum sic divulgati sunt in operibus suis malis, ut universae gentes cognoverint eos, est enim qui videt fumum, sed non videt ignem, ita cognoverunt absentes opera ipsorum mala.

V. 19. *In excandescentia*.... *obscurata est terra:* significatio vocis נעתם petenda est ex Lingua Arabica, Jonatan vertit *adusta est terra:* hìc nomen ארץ effertur in genere masculino, veluti *Abunde produxerat terra eorum ranas*: *Ps.* 105. *v.* 30. *sicut esca ignis*, sicut res devorata in igne, quia lignum, quod devorat ignis, incendit lignum alterum, ita populus iste alter alteri non parcet: non sufficit eis malum, quod faciunt eis hostes, quia etiam ipsimet sibi malefaciunt invicem.

V. 20. *Et scidit:* populus hic circuit omnia latera sua, & diripit hinc & hinc quemlibet e sociis suis, & tamen est famelicus, quia non sufficiunt ei direpta. ויגזור *& diripuit*, qui enim rapit, abscindit rem e loco suo, & ita dicit postea

V. 21. *Menasses Ephraimum:* meminit istorum, quia regnum erat apud Ephrainum; Menasses autem & Ephraimus erant fratres, sed tamen se mutuò diripiebant, & postea simul erant adversus Jehudam. *in toto hoc*, non obstante universo hoc malo, quod venit super eos, non conversi sunt ab operibus suis malis, ut etiam Dominus convertatur ab aestu furoris sui.

JESAIAE CAP. X.

1. VAE scribentibus decreta iniquitatis: & facientibus scribere, *qui* perversitatem faciunt scribere. 2. Ad faciendum declinare a judicio tenues, & ad rapiendum caussam pauperum populi mei: ut sint viduae spolium ipsorum, & pupillos diripiant. 3. Ecquid facietis in die visitationis, & in *die* desolationis, *quae* e longinquitate veniet? ad quem fugietis pro auxilio, & ubi relinquetis gloriam vestram? 4. Absque me corruit subter vinctum, & subter interfectos cadent: in toto hoc non aversus est furor ejus, sed adhuc manus ejus extenta. 5. O Assur virga

ga furoris mei: & baculus ipſe eſt in loco *manu* eorum indignationis meae. 6. In gentem impuram *profanam hypocritam* mittam eum, & ſuper populum excandeſcentiae meae mandabo ei: ad ſpoliandum ſpolium, & ad praedandum praedam, & ad ponendum eum conculcationem ſicut lutum platearum. 7. Sed ipſe non ita exiſtimat, & cor ejus non ita putat, verùm ad perdendum in corde ſuo, & ad excidendum gentes, non parum. 8. Siquidem dicit: nonne Principes mei ſimul Reges? 9. Nonne ſicut Carchemìs Calno? nonne ſicut Arphad Chamat? nonne ſicut Damaſcus Someron? 10. Quemadmodum invenit manus mea regna Idoli: & Sculptilia eorum prae Jeroſolyma & prae Somerone. 11. Nonne quemadmodum feci Someroni & Idolis ejus, ita faciam Jeroſolymae, & Simulacris ejus? 12. Et erit, quum perfecerit Dominus omne opus ſuum in monte Tzionis & in Jeroſolyma, viſitabo ſuper fructum magnitudinis cordis regis Aſſyriae, & ſuper gloriam altitudinis oculorum ejus. 13. Nam dixit, in robore manus meae feci, & in ſapientia mea, quia prudens *intelligens* fui: & removebo terminos populorum, ac theſauros eorum diripui, & dejiciam *in* forti ſedentes. 14. Et invenit veluti nidum manus mea facultates populorum, & ut colliguntur ova derelicta, omnem terram ego congregavi: & non fuit movens ſeſe alâ *agitans alam*, & aperiens os & pipiens. 15. Numquid gloriabitur ſecuris contra incidentem cum ipſa? numquid magnificabit ſe ſerra contra agitantem ipſam? quaſi agitet virga elevantes ipſam, quaſi elevare baculum non *ſit elevare* lignum. 16. Quocirca immittet Dominator Dominus exercituum in pinguedines ejus maciem: & ſubter gloriam ejus accendetur incendium quaſi incendium ignis. 17. Et erit Lux Iſraelis in ignem, & Sanctus ejus in flammam: & ardebit & devorabit veprem ejus & ſentim ejus in die uno. 18 Et gloriam ſilvae ejus & Carmeli ejus, ab anima & uſque ad carnem conſumet: & erit ſicut diſſolvitur ſi-

gnifer. 19. Et residuum arboris *arborum* silvae ejus numerus erunt: & puer scribet eas. 20. Et erit in die illa, non adjiciet ultra residuum Israelis, & evasio *reliquiae* domus Jaacobi, inniti super percutientem se: verùm innitetur super Dominum Sanctum Israelis in veritate. 21. Residuum convertetur, residuum Jaacobi, ad Deum fortem. 22. Quia si fuerit populus tuus Israel veluti arena maris, residuum convertetur in eo: consumptio decisa inundans *in* justitia. 23. Consumptionem enim, & quidem decisam, Dominus Deus exercituum faciet in medio universae terrae. 24. Quare sic ait Dominus Deus exercituum, ne timeas popule mi, habitator Tzionis, ab Assur: cum virga percutiet te, & baculum suum elevabit super te in via Aegypti. 25. Namque adhuc parum paululum: & consumetur ira, & furor meus ad consumptionem eorum. 26. Et excitabit contra eum Dominus exercituum flagellum juxta plagam Midjanis in Petra Orebi: & *juxta* virgam suam secus mare, & elevabit eam in via Aegypti. 27. Et erit in die illa, recedet onus ejus ab humero tuo, & jugum ejus a collo tuo: & corrumpetur jugum a facie olei. 28. Venit ad Ajath, transivit in Migron: in Micmas deposuit instrumenta sua. 29. Transierunt vadum, *in* Gebaa diversorio pernoctarunt: contremuit Rama, Gibaa Saulis fugit. 30. Hinni voce tua Bat-Gallìm: fac attendere *audire* Laisam, pauperculam Anatoth. 31. Vagata est Madmena: habitatores Gebìm congregaverunt se *ad fugam*. 32. Adhuc dies in Nob ad standum: agitabit manum suam Mons filiae Tzionis, collis Jerosolymae. 33. Ecce Dominator Dominus exercituum deramans ramum cum manu forti: & excelsae staturâ succisae, & sublimes humiliabuntur. 34. Et excidet perplexitates silvae cum ferro: & Libanus in forti cadet.

COM-

COMMENTARIUS.

V. 1. VAe *scribentibus :* modò loquitur adversus judices & scribas ipsorum : judices pervertebant judicium, & praecipiebant scribis suis, ut adhuc scriberent judicium, quod jam deciderant, ut esset ipsis subsistentia. Dicit *scribentibus* de scribis, & *facientibus scribere* de judicibus, isti enim faciebant scribere. כתבו est transitivum in tertium, siquidem illi imperabant scribis, ut scriberent, scribae verò scribebant, & in acta referebant decreta iniquitatis, judices autem jubebant eos scribere ipsam perversitatem & iniquitatem.

V. 2. *Ad faciendum declinare* : quando divites & magnates ad eos veniunt juris experiundi gratia adversus pauperem, aut viduam & pupillum, qui sunt debiles, si pro debilibus stet jus, ut plerumque fit, tamen propter ipsorum debilitatem, & adversariorum potentiam judices pervertunt judicium, tribuuntque diviti, & glorificant faciem ejus in judicio, ideoque perinde est ac si judices spolient ac diripiant pauperes pupillos & viduas.

V. 3. *Ecquid facietis in die visitationis?* scilicet in die, quo visitabit Deus iniquitates vestras. *e longinquitate*, hic est rex Assyriae, qui venit de terra longinqua ad terram Israelis ad vastandam eam. על hic significat *ad*, veluti *in Ramam ad domum suam* 1. *Sam.* 1. *v.* 11. & similia hisce. *& ubi relinquetis gloriam vestram*, quoniam migrabitis e gloria vestra.

V. 4 *Absque me corruit* : Jod in voce בלתי est pronomen, veluti *& salvator non est absque me*. *Hos.* 13. *v.* 4. Ait, propterea quod populus hic est absque me, videl. non est mecum, quum non audiat me, idcirco corruit subter vinctum, quasi dicat, in locum vinctorum corruit, ut sit cum eis, & in locum interfectorum etiam ipsi cadent interfecti, quasi dicat, quidam captivi, alii interfecti, non supererit ne unus quidem ex eis in terra sua, quia omnes migrabunt, aut interficientur. Quidam Glossatores explicant בלתי opinantes Jod non esse pronomen: alii interpretantur ita, non servabitur nisi. is, qui incurvabit & celabit sese inter vinctos, aut in loco occisorum, ne existiment ipsum vivum. Dominus autem Pater meus, cujus memoria sit in benedictione, ita interpretatur „ Quia non incurvaverunt se „ Deo, vincientur & interficientur „ R. verò frater meus Rab Moses, cujus memoria sit in benedictione, ita explicat „ Praeter incur- „ vationem, quae ipsis est in terra sua, quia gentes prostrant eos, prae- „ ter hanc veniet eis major istâ, scilicet exilium, quo partim vincien- „ tur, partim interficientur. „

V. 5. *O Assur* : הוי est dictio vocationis, arcessit eum ut veniat contra terram Israelis ad spoliandum spolium: vocat eum virgam furo-

roris sui, & baculum indignationis suae, quia per eum castigat Israelitas. בידם significat *in loco eorum*, quasi dicat, in terram Israelis mittam hanc virgam. Alii explicant *in manu eorum*, scilicet exercitûs Assyrii, quasi dicat, baculum indignationis meae posui in manu illorum, quemadmodum postea explicat dicens

V. 6. *In gentem impuram:* versus hic duplicatus est in significatione cum dictionibus diversis. *& ad ponendum eum conculcationem*, omnes enim calcabunt & conculcabunt eos.

V. 7. *Sed ipse non ita existimat*: repetitio ejusdem rei cum dictionibus diversis: ait, Rex Assyriae non existimat se esse missum meum, & baculum indignationis meae, sed opinatur se in fortitudine manus suae facere id, quod facit, propter victoriam populorum, nescitque se esse missum meum, & me, quando velim, prohibiturum ne corrumpat, verùm ipse arbitratur se vastaturum universa, & etiam Jerosolymam. *non parum*, postquam corrupit omnia regna, & etiam majorem partem regni Israelitici, ait non superfuturum ne hoc parum quidem, i. e. Jerosolymam, quin subjiciat eam.

V. 8. *Siquidem dicit*: scilicet in corde suo, vel ad populum suum, quomodo stabit civitas aut regnum coram me? nonne unusquisque ex principibus meis reputatur tanquam rex, & unicuique ex eis est populus magnus & vires multae? vel per *Principes mei* intelligendi sunt reges, videl. reges populorum, quos ipse subegit.

V. 9. *Nonne sicut Carchemis*: hae sunt civitates ad flumen Euphratem ex regno Aramiae, quas subjecit rex Assyriae, ideo ait *Nonne sicut Carchemis*, quasi dicat, haec sicut ista, quia omnes fuerunt aequales coram me, & traditae sunt in manu mea, & ita Someron sicut illae. *Calno*, haec est Calno illa, cujus fit mentio in libro Amosi *cap.* 6: *v.* 2.

V. 10. *Quemadmodum .... regna Idoli*: *& Sculptilia eorum*: ac si dicat, etiamsi sint in ipsis Idola & Sculptilia, non fuit tamen in eis vis ad eripiendam terram suam de manu mea. *prae Jerosolyma & prae Somerone*, quae scilicet erant fortiora, quam in Jerosolyma & in Somerone, & tamen apprehendit eas manus mea, quantò magis igitur Someronem & Jerosolymam? id verò dixit antequam cepisset Someronem, postquam autem cepit Someronem, dixit

V. 11. *Nonne quemadmodum*: Idola & Simulacra sunt res eadem diversis cum dictionibus enunciata.

V. 12. *Et erit, quum perfecerit*: יבצע perfecerit, veluti *& manus ejus perficient. Zach.* 4. *v.* 9. *perfecit sermonem suum*. *Thr.* 2. *v.* 17. Ait, postquam perfecerit Dominus omnia opera sua in gentibus, & in Israele per manus regis Assyriae in morte Tzionis & in Jerosolyma, visitabit super eum iniquitates (existimavit enim se per potentiam suam fecisse, id quod fecit) in Jerosolyma; ibi enim interiit exercitus ejus, & ibi visitata est iniquitas ejus. Dicit autem *super fructum magni-*

gni-

gnitudinis cordis regis Assyriae, quia cogitatio ejus mala fecit fructus, jactabat enim se in ea apud homines, & dicebat *in robore manus meae feci, & in sapientia mea, quia prudens fui: vers. seq.* siquidem prosperè agebat in omnibus viis suis, idcirco existimabat ex sapientia sua pendere prosperitatem, idque est quod ait *super fructum*. Deinde repetit eamdem rem dicens *& super gloriam altitudinis oculorum ejus*, quia elatio cordis apparet praesertim in oculis, & ita dictum est *Et altitudo oculorum & latitudo cordis Prov. 21. v. 4.*

V. 13. *Nam dixit . . . . terminos populorum:* quia subjecerat universas terras, perinde est ac si removisset omnes terminos, cuilibet enim populo est terminus terrae suae juxta extensionem regni, quemadmodum dicitur, regnum talis populi hinc & usque illuc, sed postquam ipse subjecit omnia, redeunt universa regnum unum: quando igitur regna populorum non sunt amplius divisa, perinde est ac si remoti sint termini. *ac thesauros eorum diripui*, scriptum est עתידותיהם cum Jod, sed legitur עתודותיהם cum Vau, una tamen & eadem est significatio. שושתי cum duobus Scin, quorum tamen alterum legunt per Sin, quod stat pro Samech, ex illo *diripiebant areas*, 1. *Sam.* 23. *v.* 1. שושיתי autem est ex conjugatione simili quadratae. עתודותיהם significat thesauros eorum, quia opes occultantur in istis in futurum, si quando opus sit eis. Jonatan vertit *& civitates laudationum ipsorum diripui*. *& dejiciam forti sedentes*, Aleph in כאביר est addititium, vel est dictio composita ex vocibus כביר & אביר, quae ambae idem significant; compositio verò inservit ad magnitudinem, & sensus est, eos, qui sedebant in loco forti & valido, dejiciam in terram. In hoc versu ואסיר & ואוריד sunt Futura, quia Vau est cum Sceva, ושושיתי autem est Praeteritum, & ecce Praeteritum ac Futurum in eodem versu, & ratio est, quia subjecerat provincias, & adhuc subjecturus erat terras.

V. 14. *Et invenit veluti nidum manus mea:* i. e. sicuti nidum liberum & derelictum cuilibet transeunti, & ita scriptum est ad hoc propositum *sicut avis vagans nido emissa*. *Jes.* 16. *v.* 2. Ait, opes populorum invenit manus mea, quemadmodum quis invenit nidum, & capit illum, nec est qui prohibeat manum ejus, sic ego non inveni in omnibus populis qui staret contra me: & quemadmodum quis congregat ova, quibus non superstat mater, (quando enim avis superstat, agitat alas suas, & percutit in nido ad prohibendum ne capiantur, si modo possit) sic ego non inveni qui prohiberet me ab omnibus iis, quae cepi & congregavi, idque ne sermone quidem, quantò minus igitur opere? Quia verò comparat opes populorum nido & ovis derelictis, ideo assimilat populos avi, & idcirco ait *movens sese alâ, & aperiens os & pipiens*. Lamed in לחיל est sicut Lamed in illo *interfecerunt Abner* 2. *Sam.* 3. *v.* 30. נודד est participium transitivum, vel potius intransitivum sicut caetera, quibus copulatur, & est juxta

illud

illud *decidens foliis*, *Jes.* 1. *v.* 30. quando folia ejus decidunt, vocatur quercus decidens, scilicet ex parte foliorum ejus, quae decidunt, & ita *movens sese alâ*, scilicet ex parte alarum suarum, quae moventur.

V. 15. *Numquid gloriabitur*: ista regerit Propheta, praedicta verò sunt verba Regis Assyriae: haec autem est admiratio, quomodo gloriabitur securis contra incidentem cum ipsa? securis est rex Assyriae, & incidens cum ea est Deus benedictus; deinde repetit eamdem rem ad roborandum. משור *serra*, cujus radix est נשר, & Nun absorbetur in Daghesc Sin, atque hinc est illud *tegentes cum asseribus*, quod habetur in Misna. *quasi agitet virga*, item per hanc virgam intelligit regem Assyriae, quemadmodum dixerat *virga furoris mei*: *v.* 5. iste verò quocum se rem habere putat? non quidem cum baculo, sicut ipse est, sed cum eo, qui elevat ipsum ad percutiendos populos, qui est Deus benedictus. Dicit autem *elevantes ipsam* in numero plurali juxta illud *Dii sancti est Jehos.* 24. *v.* 19. deinde geminat sermonem cum dictionibus diversis, & ait *quasi elevare baculum*, ad roborandam significationem. *non lignum*, nonne baculus hic est lignum sicut caetera ligna? quasi dicat, non magnificabitur plus eo, quod modò est, immo ex nunc propter jactationem suam deficiet & consumetur.

V. 16. *Quocirca immittet Dominus*: propterea quod non credidit existere Excelsum, qui ipsum regit, verùm dixit se in potentia & sapientia sua fecisse id, quod fecit, idcirco ostendet ei Deus se esse Dominum, scilicet Dominum exercituum superiorum & inferiorum, ipse enim immittet in exercitus ejus caedam. Dicit autem *maciem*, h. e. mortem, juxta illud *& misit maciem in animam eorum*. *Ps.* 106. *v.* 15. praeterea quia dixerat *in pinguedines ejus*, ideo subdit *maciem*, per pinguedines autem intelliguntur magnates, qui sunt potentes ac pingues, veluti *& succidit omnem potentem exercitus & ducem & principem in castris regis Assyriae* 2. *Par.* 32. *v.* 21. & ita appellantur pingues & fortes cum vocabulo isto, dum dicitur *omnem pinguem & virum roboris*: *Jud.* 3. *v.* 29. pariter dictum est *& occidit pingues eorum, & electos Israelis incurvavit*. *Ps.* 78. *v.* 31. *& subter gloriam ejus*, scilicet & in loco gloriae ejus, quasi dicat, in loco, ubi gloriabatur exercitus ejus magnus & robustus, ibi accendetur incendium quasi incendium ignis, nimirum accendetur in eo plaga ardens, quae adurei eum adinstar exustionis ignis.

V. 17. *Et erit Lux Israelis*: scilicet Deus, qui est lux Israelitarum, quibus reluxit in obtenebratione, in qua fuerunt, quemadmodum ait supra *Populus ambulantes in tenebris viderunt lucem magnam*: *cap.* 9. *v.* 2. *al.* 1. & idcirco Deus benedictus tanquam lux, quae luceat simulque devoret, lucebit Israelitis, & devorabit exercitum Assyrium; deinde repetit eamdem rem ad roborandum significatum. Illud autem

ve-

veprem ejus & sentim ejus intelligendum est juxta Targum, nimirum quòd vocet principes magnos, qui erant in exercitu ejus, spinas, quia inter eos erat qui dolore afficiebat Mundum, sicut dolore afficit spina.

V. 18. *Et gloriam silvae ejus & Carmeli ejus:* silva est locus arborum grandiorum & cedrorum, Carmelus verò est locus cultus, in quo sunt agri & vineae. Comparat castra Assyria silvae & Carmelo, quia erant in illis reges & principes magni: pariter erat sufficientia omnibus indigentis eorum, divitiaeque multae ex spoliis Aegypti ac Aethiopiae: item erat in eis multitudo magna colentium terram praeter alios multos, at gloria universi exercitus prorsus interiit. Illud autem *ab anima & usque ad carnem consumet* ostendit corpus etiam concrematum fuisse. Est autem circa hoc dissentio in verbis Magistrorum nostrorum: dissentiunt in versu *& subter gloriam ejus v.* 16., sed non gloriam ejus propriè, sicuti est in Pherek Chelek, etenim versus hic opitulatur ei, qui dicit animam cum corpore crematam fuisse, versus verò ille *& surrexerunt mane, & ecce omnes illi cadavera mortuorum. 2. Reg.* 19. *v.* 33. opitulatur ei, qui dicit spiritum crematum fuisse, corpus autem substitisse, eo quod extarent eorum cadavera, qui mortui erant. Et quamvis ipsi non afferant nisi duos hosce versus, ostendunt tamen rationem uniuscujusque. Possumus autem conciliare duos hosce versus, si dicamus crematam fuisse partem corporis ipsorum, dicit enim inferius *Et erunt populi combustiones calcis: cap.* 33. *v.* 12. *& erit sicut dissolvitur signifer*, & erit exercitus ejus sicut exercitus ille, cujus dissolvitur vexillifer, tunc enim cadit exercitus totus. Jonatan vertit *& erit confractus & profugus*, scilicet confringentur & fugient, videlicet perpauci illi, qui supererunt, fugient.

V. 19. *Et residuum arboris silvae eius:* eoquod assimilaverat exercitum arboribus silvae, ait, residuae arbores silvae, quae non morientur, numerus erunt, scilicet paucae, veluti *ego viri numeri Genes.* 34. *v.* 30. *& puer scribet eas*, nonnulli Interpretes dicunt decem tantùm superfuisse, quia puer quando incipit scribere, dum discit artem scribendi, primùm scribit litteram Jod, quae est principium literae Aleph: sed rectius est explicare, quòd puer non defatigabitur in scribendis illis, quia erunt perpauci, ac puer poterit recensere & scribere eos.

V. 20. *Et erit in die illa ..... inniti super percutientem se:* sicut Achazus, qui innitebatur regi Assyriae, & hic percutiebat illum tributo, quod valde aggravavit super eum, aut percutiebat illum bello, nam postea petiit eum bello, & hinc cognoverunt non esse innitendum homini, quia opus habet ut alii serviant ipsi, ac praebeant tributum, quum verò non dederint, aut ipse noluerit illud, percutiet eos, belloque premet; sed justum est inniti Domino exercituum, qui non requirit ab homine quidquam, nisi ut innitatur sibi in veritate, & ipse liberabit eum ab omnibus angustiis ejus. Quia igitur Ezechias innixus est super Dominum, percussit regem Assyriae, qui antea percusserat ipsum, & innotuit omnibus Dominum esse Sanctum Israelis.

V. 21.

V. 21. *Residuum converteretur*: quia in diebus Ezechiae migraverant plerique Israelitarum, idcirco dicit *Residuum*, scilicet ii, qui supererunt ex Israelitis, convertentur. Deinde ulterius declarat dicens *residuum Jaacobi*; loquitur autem de illis, qui convertentur conversione perfecta ad Dominum, qui ostendit fortitudinem suam ut fortissimi hominum.

V. 22. *Quia si fuerit populus tuus*: Pronomen possessivum *tuus* refertur ad Ezechiam: ait, etiamsi fuerint multi sicut arena maris qui convertentur, vocabuntur *residuum*, quando enim abiit major pars, paucitas, quae superest, appellatur residuum; sic plerique Israelitarum deficient, ac transibit super eos consumptio decisa, quae inundabit eos in justitia, consumetque eos, qui sunt praevaricatores, superstites verò, qui erunt pauci, convertentur ad Deum. Dicit hoc de decem Tribubus, quae exularunt, & de residuis Jehudaeorum ac Binjamitarum, qui conversi sunt ad Deum in diebus Ezechiae, & Deus liberavit eos de manu regis Assyriae. כליון חרוץ consumptio decisa.

V. 23. *Consumptionem enim, & quidem decisam*: quemadmodum dixerat *consumptio decisa v. sup.* hic repetit *& quidem decisam* ad roborandum, quasi dicat, quòd consumptio haec est decisa. Ait igitur, consumptionem ego faciam, & hujusmodi consumptio jam decisa est.

V. 24 *Quare*: dicit *habitator Tzionis*, quia subjecerat rex Assyriae universam terram Jehudae, sicut scriptum est *& ascendit super omnes civitates Jehudae munitas, & cepit eas*. 2. *Reg*. 18. *v*. 13. neque relicta est nisi Jerosolyma. Nominat autem Tzionem, quia haec erat caput regni. *cum virga percutiet te*, non consumet te prorsus, sed more percutientis cum virga, qui quidem dolore afficit hominem percussum, sed non occidit eum, ita faciet rex Assyriae in Jehuda. *& baculum suum elevabit super te*, id intelligendum de tributo, quod imposuit habitatoribus Jerosolymae, videlicet trecenta talenta argenti, & triginta talenti auri 2. *Reg* 18. *v*. 14. *in via Aegypti*, scilicet eadem ratione eademque re, ut Aegyptii fecerunt in Israelitas, dictum enim est *Et posuerunt super eum principes tributorum, ut affligerent eum in oneribus suis*. *Exod*. 1. *v*. 11. nimirum afflixerunt eos tributis & servitute dura, sed non consumpserunt eos, ita fecit rex Assyriae Israelitis.

V. 25. *Namque adhuc parum paululum*: repetitio sit ad significandam parvitatem temporis: ait, superest adhuc parum temporis, ut perficiatur indignatio mea contra regem Assyriae, qui fuit usque modo virga furoris mei, & baculus indignationis meae ad percutiendos populos, nunc verò consumetur indignatio mea & furor meus contra eum, donec deficiat, idque est *& furor meus ad consumptionem*. תבליתם est juxta formam תכלית.

V 26. *Et excitabit contra eum*: flagellum est quid durius virgâ & baculo: ait, ille percussit te cum virga, at Sanctus ille benedictus percutiet eum cum flagello, eritque percussio, qua percutiet illum, si-

ſicut percuſſio Midjanis in Petra Orebi, ubi percuſſit exercitum Midjaniticum; & principes Midjanitas, qui fugerunt, perſequuti ſunt & interfecerunt, videlicet Orebum in Petra Orebi, & Zeebum in Petra Zeebii *Jud.* 7. *v.* 25. Meminit Petrae Orebi tantummodo, more recenſentis capita rerum, notum enim eſt hujuſmodi facinus, utpote quod ſcriptum eſt in libro Judicum *cap* 7. *in fin.* tali modo percuſſit exercitum regis Aſſyriae, regem verò, qui fugit, percuſſerunt filii ejus gladio 2. *Part.* 32. *v.* 21. *& juxta virgam ſuam ſecus mare*, baculo ſuo, quem elevabat ſuper te, erit finis, quemadmodum fuit finis baculo Pharaonis ad mare, ibi enim completa fuit indignatio Domini contra eum, & elevavit Sanctus ille benedictus virgam ſuam ſuper eum. *in via Aegypti*, ſcilicet eadem ratione, qua ſe geſſit in Aegyptios, quos ſubmerſit in mare, ita confecit exercitum Aſſyrium in Jeroſolyma. Caph vocis כמכת ſtat loco duorum (h. e. ſubintelligitur etiam in voce ומטהו) & vult dicere, quemadmodum fuit ad mare.

V. 27. *Et erit in die illa .... & corrumpetur jugum a facie olei:* ſcilicet jugum Sancheribi corrumpetur a facie olei Ezechiae, quod quidem eſt contrarium, ſiquidem oleum, quod eſt in collo bovis, corrumpitur a jugo, quod poſitum eſt ſuper eum jugiter, talis enim eſt conſuetudo Mundi, & ita fieri debebat, ut corrumperetur oleum Iſraelitarum propter jugum Sancheribi, quia illi erant pauci, Sancheribo verò erat populus multus; at Deus benedictus per miſericordias ſuas invertit rem, fuitque oleum durius jugo, & corruptum eſt jugum Sancheribi per oleum Iſraelis. Jonatan vertit *& frangentur populi a conſpectu Uncti*, ſcilicet Ezechiae, qui unctus eſt oleo unctionis; & quamvis revera non unctus fuerit, quia non ſolebant ungere regem filium regis, debebat tamen ungi, ſed opus non fuit. In Deras „ Pro„ pter oleum Ezechiae, quod ardere faciebat in domibus congregatio„ num ſuarum, & in domibus ſcholarum ſuarum. „

V. 28. *Venit ad Ajath:* modò narrat quando venit Sancheribus cum exercitu ſuo ad Jeroſolymam, & facit mentionem itinerum, quibus tranſiit per terram Binjamini & Jehudae, eratque in ſpe vaſtandi Jeroſolymam: pleraque verò nomina iſtarum civitatum non commemorantur in libro Jehoſuae, quia civitati uni erant duo nomina. *in Micmas depoſuit inſtrumenta ſua*, Lamed ſtat pro Beth, veluti *interfeci in praevaricatione mea*, *Geneſ.* 4. *v.* 23. & ita לחרב לפניכם, & ſimilia hiſce, ſicuti ſcripſimus in libro Miclol de miniſterio literarum: depoſuit in Micmas pleraque inſtrumenta bellica, quo citius perveniret Jeroſolymam, putabat enim in corde ſuo nequaquam opus eſſe multis inſtrumentis bellicis, eoquod in oculis ſuis exiſtimaretur facilis captu.

V. 29. *Tranſierunt vadum*: vertit Jonatan *vadum Jordanis*. *Gebaa diverſorio*, ait, poſtquam tranſierunt Jordanem, venerunt ad pernoctandum in Gebaa, quae eſt civitas Binjamitarum; quod quum vidiſ-

sent habitatores Ramae trepidaverunt. *contremuit Rama*, scilicet habitatores Ramae contremuerunt, & ita *Gibaa Saulis fugit*, scilicet habitatores Gibaae Saulis fugerunt, talis enim est mos Scripturae in locis quamplurimis. Gebaa verò & Gibaa sunt duae civitates in terra Binjamini, sicut scriptum est in libro Jehosuae. Probabile autem est, quòd Gibaa Saulis eadem fuerit ac Gibaa Binjamini, cujus mentio fit in libro Samuelis, & conjungat eam cum Saule, quia hic erat rex, ac de Tribu Binjamini, aut ipse aedificaverit ibi palatium ad inhabitandum, ex quo appellata est nomine illius, sic in libro Samuelis habetur *& Saul ascendit ad domum suam Gibaam Saulis*. 1. *Sam.* 15. *v.* 34. Probabile est etiam, quòd Gibaa Saulis diversa fuerit a Gibaa Binjamini, quodque Saul aedificaverit eam, & de ipsius nomine appellata sit.

V. 30. *Hinni voce tua*: eleva vocem tuam tanquam tuba, ut audiant viri Laisae & fugiant; etenim exercitus Assyrius occurrit primùm civitati, cui nomen erat Bat=Gallìm, postea Laisae.

V. 31. *Vagata est Madmena*; inter civitates Moabitarum invenimus civitatem, cui nomen Madmena, sed inter civitates Israelitarum non invenimus istud nomen, idque, ut scripsimus, quia interdum uni civitati sunt duo nomina; vero simile etiam est, quòd haec sit civitas commemorata inter urbes Jehudae *Et Tziklag & Madmanna & Sansanna*. *Jehos.* 15. *v.* 30. licet earum punctatio similis non sit, literae tamen similes sunt: pariter Gebìm est nomen civitatis. העיזו habet significationem congregationis, veluti *mitte congrega pecus tuum*, *Exod.* 9. *v.* 19.

V. 32. *Adhuc dies in Nob*: allegoricè, quia uno die perfecit omnia itinera superiùs memorata, arctavit enim sese, ut esset eo ipso die in Nob, unde conspicitur Jerosolyma, quam quum inde vidisset, agitavit manum suam super eam more hominis contemnentis aliquid, & dixit, nihili haec reputatur in oculis meis, quia plures civitates munitiores ista subegi. Dominus verò Pater meus, cujus memoria sit in benedictione, ita exponit hunc versum: Adhuc dies, & revertentur in Nob, ut ibi stent illi, qui inde fugerant a facie Sancheribi, *agitabit manum suam Mons filiae Tzionis*, ait metaphoricè, quod agitabit manum suam etiam Mons filiae Tzionis super exercitum Assyrium in caede ipsius, & ita *collis Jerosolymae*, quae est repetitio ejusdem rei cum vocabulis diversis; sensus autem hujus versus idem est, ac illius *contempsit te subsannavit te o Virgo Filia Tzionis, post te caput movit o Filia Jerosolymae* 2. *Reg.* 19. *v.* 21.

V. 33. *Ecce Dominator*: existimabat Sancheribus non esse supra se dominatorem, quemadmodum dixerat, *in robore manus meae feci & in sapientia mea, quia prudens fui*: *h. cap. v.* 13. idcirco dicit Propheta, ecce Dominator Dominus exercituum ipse est Dominus exercituum superiorum & inferiorum, & ipse prostrabit exercitum Regis Assyriae; quia verò assimilavit exercitum ejus silvae refertae arborum excelsarum, ideo dicit, quòd Dominus deramabit, i. e. abscindet ramos

mos. במערצה scil. cum manu forti abscindet & conteret eas. *& excelsae staturâ*, videl. arbores altae statura succidentur: haec autem est metaphora principum magnorum, qui erant cum eo.

V. 34. ונקף: ex conjugatione daghessata, & significat excisionem, juxta illud *agnos excident*. *Jes.* 29. *v.* 1. sic illud *& excides eum*: *Exod.* 13. *v.* 13. Chaldaicè vertitur ותנקפיה. *densitates*, metaphora principum magnorum, qui venerunt in consilio uno cum Sancheribo, & condensati sunt hic cum isto in consilio uno & in animo uno, quemadmodum arboris rami condensantur hic cum isto. *cum ferro*, sicut arboris rami succiduntur cum ferro, ita isti caedentur cum fortiori ipsis. *& Libanus*, hic complectitur omnes arbores cujusque silvae, sed facit mentionem Libani, quia est nomen silvae in terra Israelis, Scriptura verò in sermone solet pro exemplis uti rebus notis & obviis. *in forti*, hic est Angelus, qui percussit eos.

JESAIAE CAP. XI.

1. ET egredietur virga de trunco Issai: & surculus
de radicibus ejus fructificabit. 2. Et requiescet su-
per eum Spiritus Domini: spiritus sapientiae & intelligen-
tiae, spiritus consilii & fortitudinis, spiritus scientiae &
timoris Domini. 3. Et odorari ejus in timore Domini:
neque ad visionem oculorum suorum judicabit, neque ad
auditum aurium suarum arguet. 4. Et judicabit in justitia
tenues, & arguet in rectitudine propter humiles terrae:
& percutiet terram in virga oris sui, & in spiritu labio-
rum suorum interficiet impium. 5. Et erit justitia cingu-
lum lumborum ejus: & fides cinctura renum ejus. 6. Et
habitabit lupus cum agno, & pardus cum hoedo accuba-
bit: & vitulus & catulus leonis & bubalus *pingue* simul,
& puer parvus ducet eos. 7. Et juvenca & ursa pascen-
tur, simul accubabunt nati earum: & leo sicut bos co-
medet paleam. 8. Et delectabitur lactens super foramen
aspidis: & super foramen basilisci ablactatus manum suam
extendet. 9. Non malefacient, neque corrumpent in uni-
verso Monte Sanctitatis meae: quia plena erit terra scien-

N 2 tia

tiâ Domini, ſicut aquae mare operientes. 10. Et erit in die illa, radix Iſſai, quae ſtabit in vexillum populorum, illam omnes gentes quaerent: & erit requies ejus *in* gloria. 11. Et erit in die illa, adjiciet Dominus ſecunda vice manum ſuam ad poſſidendum reſiduum populi ſui, qui ſuperfuerit, ab Aſſyria & ab Aegypto & a Pathros & ab Aethiopia, & ab Elam & a Sinaar & a Chamath, & ab inſulis maris. 12. Et elevabit ſignum gentibus, & colliget expulſos Iſraelis: & diſperſos Jehudae congregabit a quatuor alis terrae. 13. Et recedet invidia Ephraimi, & hoſtes Jehudae excidentur: Ephraimus non invidebit Jehudae, & Jehudas non aget hoſtiliter in Ephraimum. 14. Et volabunt in humerum Philiſtaeorum ad Mare *Occidentem*, ſimul praedabuntur filios Orientis: Edom & Moab immiſſio manûs eorum, & filii Ammon obedientia eorum. 15. Et excidet *dividet* Dominus linguam maris Aegypti, & agitabit manum ſuam ſuper flumen in vehementia ſpiritus ſui: & percutiet illud in ſeptem flumina, & ambulare faciet cum calceamentis. 16. Et erit via ſtrata reſiduo populi ſui, qui relinquetur, ab Aſſur, quemadmodum fuit Iſraeli in die, quo aſcendit e terra Aegypti.

COMMENTARIUS.

V. 1. ET *egredietur virga:* conjungit paraſciam hanc, quae reſpicit dies futuros Meſſiae, cum fiducia, quae fuit in diebus Ezechiae. Ait, ne miremini ob miraculum tantum ſicut hoc, quod faciet in diebus Ezechiae in caede exercitus Aſſyrii in momento uno, faciet enim adhuc Iſraeli miraculum aliud majus iſto in diebus Meſſiae, quando congregabuntur exules Iſraelitarum, & qui faciet, erit ex genere regis Ezechiae: facit autem mentionem Iſſai, quia ex illo egreſſus eſt rex prior, h. e. David. חטר juxta Targum ſignificat virgam: dicit autem *de trunco*, & *de radicibus ejus*, eoquod arbor excisa renovat ac reproducit ramos teneros ex trunco ſuo & ex radicibus ſuis; truncus verò ſignificat id, quod ſupereſt ex arbore ſuper terram, cujus ex lateribus aſcendunt ſurculi, pariterque ex radicibus, quae ſunt ſub terra, regerminant ſurculi. Quia pluribus abhinc annis mi-

migraverunt Israelitae de terra sua, & cessavit regnum eorum, sunt veluti arbor truncata, cujus tamen supersunt adhuc truncus & radices, ideoque dicit esse adhuc spem, quòd repullulet truncus: ait igitur Propheta, quòd ex radicibus Issai ejusque trunco iterum egredietur virga & surculus, & rursus erit rex in Israele sicut in principio, immo major eo, quod olim fuit. Insuper ait

V. 2. *Et requiescet super eum Spiritus Domini*: quia a Domino erit totum hoc; primùm ait *Spiritus Domini*, ac deinde explicat dicens *spiritus sapientiae & intelligentiae, spiritus consilii & fortitudinis, spiritus scientiae & timoris Domini*: sapientia significat quidquid homo didicit ac scit, & praesto est in omni tempore (*a*): intelligentia significat illationem ejus, quod quis non dicit, ex eo quod jam didicit: consilium significat scientiam & assuefactionem in disciplinis, & in mutuis hominum officiis (*b*): nomina דעת & יראת ambo conjuncta sunt τῷ יהוה, vult dicere, quòd cognoscet Dominum, & timebit ab eo.

V. 3 *Et odorari ejus in timore Domini*: quia odoratus est sensus omnium levissimus, idcirco de re levissima, quae cadat sub sensum, dicit *odorari*, veluti *a longinquo olfaciet bellum*: *Job. 39. v. 26. quemadmodum rumpitur filum stuppae, quando olfacit illud ignis, Jud. 16. v. 9.* & ita hoc loco *Et odorari ejus in timore Domini*, quasi dicat, cum modico intellectûs agnoscet homines bonos & malos, neque opus habebit visione oculorum, vel auditione auris in judicandis & redarguendis hominibus, quia ex scientia & intelligentia sua cognoscet opera eorum cum modico intellectûs vel considerationis. Dominus verò Pater meus, cujus memoria sit in benedictione, interpretatur והריחו *& sermo ejus*, videl. sermo oris ejus, veluti *ad sermonem meum ad clamorem meum Thren. 3. v. 35.* & vult dicere, quòd sermo ejus erit semper de timore Domini.

V. 4. *Et judicabit in justitia*: meminit tenues & humiles terrae, licet ipse judicaturus sit omnes homines in justitia tenues & divites, verùm quia mos Mundi est honorem exhibere magnatibus ac divitibus, idcirco ait, quòd ipse non ita faciet, sed in justitia sumet judicium pauperum ex divitibus, & reprehendet potentes in rectitudine propter humiles terrae, ne diripiant neque opprimant illos, eoquod sint debiles & infirmi, Lamed in לענוי ארץ stat pro בעבור, ut Lamed in illo *dic propter me, frater meus est. Genes. 20. v. 13.* & alia. *& percutiet terram cum virga oris sui*, vult innuere impios terrae, quum enim meminisset humiles terrae, qui sunt contrarium illis, innuitur intelligenti,

(*a*) Nimirum quotiescumque aliqua de re interrogatur, paratus est ad respondendum.

(*b*) Denotat scilicet qualitates illius, qui bonis moribus imbutus est, & assuetus urbanitatis officiis, quae homines inter sese invicem exercent: vel etiam significat facultatem in dirigendis hominum animis, eorumque negotiis, quae inter eos sunt.

ti, & ita interpretatur etiam Jonatan *& percutiet peccatores terrae in verbo oris sui*, quod etiam finis versûs coarguit, dicit enim *interficiet impium*, immo etiamsi non suppleatur id, quod deesse videtur, utique sensus est, quòd percutiet filios terrae, quicumque dignus erit percussione, quandoquidem dixerat *& arguet in rectitudine propter humiles terrae*. Illud verò *in virga oris sui*, & *in spiritu labiorum suorum* significat, quòd maledicet eis, & morientur, quemadmodum scriptum est de justis *Et decernes sermonem, & firmus erit tibi*: *Job.* 22. *v.* 28. pariter dictum est de Samuele Propheta *omne quod loquetur veniendo veniet*: 1. *Sam.* 9. *v.* 6. & de Elisaeo Propheta *& maledixit eis in nomine Domini*: *& egressae sunt duae ursae de silva, & laceraverunt ex eis quadraginta & duos pueros*. 2. *Reg.* 2. *v.* 24.

V. 5. *Et erit justitia*: justitia & fides, quas tenebit, erunt ei robur, ne vacillent lumbi ejus: versus hic duplicatus est cum dictionibus diversis.

V. 6. *Et habitabit lupus*: sentiunt nonnulli, quòd in diebus Messiae mutabuntur quoad naturam ferae & animalia, & rursus evadet, qualis fuit in principio creationis, & in Arca Noachi; siquidem in principio creationis si leo manducavisset agnum, sanè corrupta fuisset creatio. Ecquid igitur comedebat leo, aut caetera animantia ex rapacibus comedentibus carnem? quod si comedisset carnem de reliquis bestiis & animalibus, tum cibo caruisset Mundus, omnia enim animalia creata fuerunt masculus & foemina, & non plura, neque expectaverunt manducare, quoadusque crevissent ac multiplicata fuissent animalia rapinae obnoxia, sed, ut pro certo habetur, manducaverunt herbam campi, donec creverunt & multiplicata sunt rapinae abnoxia, fuitque natura eorum ex eo tempore ac deinceps manducare carnem: pariter in Arca Noachi si rapacia manducavissent rapinae abnoxia, profectò ista defecissent ex mundo, siquidem bina ingressa sunt, & non plura, nisi dicamus septena illa, quae introduxit ex mundis, fuisse pro indigentia rapacium. Alii exponunt totum hoc metaphoricè, nimirum quod lupus pardus ursus & leo sint metaphora impiorum opprimentium ac diripientium, qui sunt debilibus, ut ferae rapaces animalibus rapinae obnoxiis; agnus verò onager vitulus & haedus sunt metaphora humilium terrae, dicit enim, quòd in diebus Messiae erit pax, neque mala inferent alter alteri. Verum ne haec quidem interpretatio recta est, dicitur enim inferius *Non malefacient neque corrumpent in universo Monte Sanctitatis meae*: *v.* 9. in diebus verò Messiae erit pax in universo Mundo, ut scriptum est *& contundent gladios suos in ligones, & hastas suas in falces, non elevabit gens contra gentem gladium, neque discent amplius bellum*. *Jes.* 2. *v.* 4. pariter dictum est *& excindetur arcus belli*, *Zach.* 9. *v.* 10. itemque de Messia *& loquetur pacem gentibus*: *d. v.* 10. Rectum igitur est, quòd natura ferarum non immutabitur, sed rapient & comedent carnem, ut modò faciunt, verùm confidere fecit Israelem, quòd ferae noxiae

non

non nocebunt in universa terra Israelis, idque est quod ait inferius *Non malefacient neque corrumpent in universo Monte Sanctitatis meae*: *v.* 9. ratio verò est *quia plena erit terra scientia Domini*, *d. v.* 9. dummodo tamen sint probi, & custodiant viam Domini, tunc non dominabitur eis fera noxia neque in pecoribus, neque in caeteris omnibus, quae sint illis, quemadmodum sperare fecit eos per Mosem Magistrum nostrum, super quem sit pax, *& cessare faciam feram malam de terra*, *Lev.* 26. *v.* 6. & etiamsi transierint per terram, non nocebunt.

V. 7. *Et juvenca & ursa pascentur* &c. similiter dictum est in Hosea Propheta *& percutiam eis faedus in die illa cum fera campi & cum volatile coeli &c. Hos.* 2. *v.* 18. *al.* 20. dum verò ait *& leo sicut bos comedet paleam*, perinde erit, ac si comedat paleam instar bovis, si non invenerit morticinum. Licet etiam explicare significatum metaphoricè, ut leo ursus & serpens sint metephora fidei pravae. Illud verò *juvenca & ursa pascentur* ita intelligendum est, quòd omnis occupatio & usus pecoris non erit nisi ad cultum Dei, nequaquam ad vanitates mundi, idque est, quod ait inferius *quia terra plena erit scientia Domini*, *v.* 9. מריא nonnulli dicunt esse speciem ex speciebus armentorum majorum; alii sentiunt saginata pecorum vocari מריאים, & ita interpretatur Jonatan. *Et juvenca & ursa*, דוב hic est generis foeminini, veluti *& egressae sunt duae ursae* 2. *Reg.* 2. *v.* 24. sic עז, עזים, רחלים, & ita *simul accubabunt nati earum*.

V. 8. *Et delectabitur*: מאורת idem est ac חור foramen, quod sic appellatur, quia ex illo ingreditur lux ad locum, ubi est serpens, & ita *foramina quae in montibus*, *Jud.* 6. *v.* 2. ubi vocem המנהרות exposuimus cavernas seu speluncas, quibus est foramen, ut ex illo ingrediatur lux, & ideo sic appellantur. Versus autem hic duplicatus est in significatione cum vocabulis diversis, ablactatus enim idem est ac lactens, nisi quòd ablactatus dicitur in tempore perfectae lactationis. Facit mentionem ablactati & lactentis propter serpentem, quia serpentes reperiuntur interdum in foraminibus domus, & parvuli extendunt manum ad pavimentum, & in foramina parietum. הדה idem est, ac ידה, videl. immittit manum suam, unde apparet, quòd serpentis inimicitia, quae in primordialibus Mundi diebus decreta est *Genes.* 3. *v.* 15. auferetur in diebus Messiae in universa terra Israelis, siquidem populo Israelitico in quocumque loco, ad quem ierit, non nocebit serpens neque ferae noxiae: Jonatan מאורת צפעוני vertit *visionem pupillae oculorum aspidis*, quando enim serpens stat in foramine suo, & locus est obscurus, tunc pupilla oculi ejus relucet, & puer videns fulgorem ab extra existimat esse lapidem lucidum aut crystallum, & idcirco extendit manum suam ad capiendam rem, qualem existimat, & tangit serpentem, qui tamen non nocet ei. Facit autem men-

mentionem aspidis & basilisci, quia sunt species serpentum pejores omnibus, sed tamen, licet tales sint, non nocebunt, quanto minus igitur caeteri serpentes?

V. 9. *Non malefacient:* universam terram Israelis appellat *Montem Sanctitatis meae*, quia elatior est omnibus terris: ratio verò, cur non malefacient, est, *quia plena erit terra scientia Domini*, terra scilicet Israelis, ut ait Jeremias Propheta *quia omnes illi cognoscent me a minimo eorum & usque ad maximum eorum &c., cap. 31. v. 34. sicut aquae mare operientes*, locus aquarum vocatur mare, quando scilicet aquae implent eum locum, & ita operiunt illum, ut non videatur fundum ejus.

V. 10. *Et erit radix Issai*: scilicet egrediens de radice Issai, quemadmodum ait superius *& surculus de radicibus ejus fructificabit. v. 1.* quia Issai fuit radix, & ita vertit Jonatan *filius filii Issai*. אשר עומד quae stabit in die illa, scilicet in die congregationis exulum, eritque omnibus populis tanquam vexillum in exercitu, ut ambulet post vexilliferum totus exercitus; ita quaerent omnes gentes Messiam, post quem ambulabunt faciendi gratia quidquid jubebit: quia verò omnes obedient ei, idcirco erit in gloria, quia non erit ei bellum, ideo erit in quiete & in gloria, siquidem universae gentes glorificabunt eum, & servient ei.

V. 11. *Et erit . . . secunda vice:* ait *secunda vice*, quia prima redemit eos de domo servorum, h. e. ab Aegypto, & in die congregationis exulum addet Dominus secunda vice manum suam ad redimendos eos ab omnibus gentibus, quas inter dispersi sunt. De migratione Babylonis non dictum est id, quia non exierunt nisi Jehuda & Binjaminus (*a*), qui erant in exilio Babylonis, neque congregatae sunt decem Tribus, idcirco de congregatione illa non possumus dicere *secunda vice*, siquidem de Aegypto exierunt universi Israelitae, ac ne unus quidem relictus est, nec dici potest secunda vicis, nisi assimiletur priori. Collectio igitur praesentis exilii erit secunda respectu Aegypti, quia egredientur omnes, idcirco ait *ab Assyria & ab Aegypto & a Pathros & ab Aethiopia, & ab Elam & a Sinaar & a Chamath, & ab insulis maris*. Dicit autem *residuum populi sui, qui superfuerit*, quia plurimi ex eis deficient in exilio. *& ab insulis maris*, scilicet eos, qui sunt in terris Edom & Ismaelis (Romanorum & Turcarum) quae sunt citra terram Israelis, & dicuntur insulae maris.

V. 12. *Et elevabit signum:* Deus benedictus extollet quodammodo vexillum populis, quo solliciti sint venire ad locum erecti vexilli, sic dimittent in die illa omnes populi Israelitas, quisque in terra sua, ut eant in gloria.

V. 13.

(*a*) Contra hunc Jehudaeorum errorem seu potius vafritiem jam sexcenti luculentissimis tam Rabbinorum quam Scripturae testimoniis ostenderunt non solùm Tribus Jehudae ac Binjamini regnante Cyro rediisse, sed etiam caeteras omnes. Vide *Parsut. lib. III. cap. 4.*

V. 13. *Et recedet*: quum congregati fuerint filii Israelis in terram suam, recedet de terra eorum invidia, quae inter eos fuerat tempore exilii, siquidem regnorum divisio facta fuit ex invidia in regnum domus Davidis. *& hostes Jehudae excidentur*, quia ab antiquitus inter Jehudaeos extiterunt hostes Ephraimo; per Ephraimum verò intelliguntur omnes Israelitae separatim a Jehudaeis, quum enim Israelitae inviderent regno domus Davidis, ob id inter Jehudaeos erant hostes ac inimici illis, & ita videmus, quòd impediverunt regnum septem annos, in quibus non regnavit David nisi in Jehuda, quare quum reversus esset David in regnum, postquam fugit a facie Absalomi, dictum est *cur furati sunt te fratres nostri &c.* 2. *Sam.* 19. *v.* 42. insuper dictum est *& durius fuit verbum viri Jehudae, quam verbum viri Israelis cit. loc. v.* 44. clanxit enim Saeba filius Bicri cum buccina, & omnes iverunt post eum praeter filios Jehudae, qui adhaeserunt regi suo 2. *Sam.* 20. *v.* 1. *&* 2. & ita perstiterunt, donec divisum fuit regnum regnante Roboamo, qui dixit *& ego addam super jugum vestrum*: 1. *Reg.* 12. *v.* 11. Dum ait *excidentur*, vult dicere, quòd non erunt amplius, veluti *& excidetur arcus belli*, *Zach.* 9. *v.* 10. Versus hic continet repetitionem ejusdem rei cum vocabulis diversis.

V. 14. ועפו: vagabuntur trans Palesthinam ad occasum terrae Israelis, & ita vertit Jonatan *ad percutiendos Philisthaeos, qui sunt in Occidente*: idem ועפו בכתף vertit *& conjungentur humero uno*, i. e. simul. Nos verò interpretamur ועפו per significationem volationis, quae est motio omnium citissima, quo volationis vocabulo utitur propter celeritatem motûs ipsorum ad locum Philisthaeorum percutiendi ac diripiendi eos gratiâ: alii explicant ועפו per significationem lassitudinis, quasi dicat, & lassabuntur a percutiendis humeris Philisthaeorum. Vox בכתף est conjuncta, videlicet in statu conjunctionis, & tamen hìc se habet juxta formam nominis separati sive absoluti, quia propriè in conjunctione deberet habere sex puncta. Scribit Ben Asser ita punctari, eo quod habeat accentum in ultima, ad roborandam pronunciationem literae Phe propter Phe subsequentis vocis פלשתים. *Edom & Moab*, quamvis hodierna die non dignoscantur inter sese nationes praeter Israelitas, qui distinguntur à gentibus per legem suam, neque permixti sunt cum illis, plerique verò populi permixti sint, id tamen non obstat, quia dum commemorat Edumaeos Moabitas & Ammonitas, vult innuere illorum terras, & hodiernos earum incolas, & ita intelligendum est id, quod habetur in prophetia Danielis futura *isti verò eripientur de manu ejus, Edom & Moab, & primitiae filiorum Ammon. cap.* 11. *v.* 41. *immissio manûs eorum*, quia immittent Israelitae manus suas ad omnia, quae voluerint. *obedientia eorum*, erunt enim obedientes in omnibus, quae praeceperint eis. Meminit autem istorum locorum, eo

quod proxima sint Israelitarum terrae, verùm omnes gentes erunt eodem modo sub potestate Israelis.

V. 15. והחרים significat excisionem, siquidem omne vocabulum derivatum ex verbo חרם significat excisionem & corruptionem, & ita hìc והחרים significat excisionem & divisionem, quae significatio adhibetur etiam de mare, dictum enim est *scindenti mare rubrum in divisiones: Ps.* 136. *v.* 13. *linguam maris Aegypti*, hoc est flumen Aegypti, quod vocatur Sichor; istud aresiet per voluntatem Dei, excitabit enim viam, qua transeant redempti. *& agitabit manum suam super flumen*, flumen istud est Euphrates, & ita vertit Jonatan *& elevabit plagam fortitudinis suae super Euphratem*: istud verò *& agitabit manum suam* significat, quòd inducet ventum vehementem, qui aresaciet illud, quemadmodum fecit in mare rubro, dum exibant de Aegypto, ut ait inferius *Et erit via strata residuo populi sui*, *v. seq. in vehementia oris sui*, scilicet in robore venti sui, quem adducet super flumen, & aresaciet illud. Vox בעים intelligenda est juxta sensum, quem exigit locus, quum alibi non inveniatur in Scriptura: Rabbi verò Frater meus Rab Moses explicat עים ex illo *in acervum agri Mich.* 1. *v.* 6. ubi vox עי idem significat ac גל, i. e. cumulum, acervum, nimirum interpretatur בעים pro בגלים, quasi dicat, in acervis seu fluctibus maris & fluminis agitabit manum suam & spiritum (ventum) suum ad sedandos & aresaciendos eos: Jonatan בעים רוחו vertit *in verbo Prophetarum suorum*. *& percutiet illud in septem flumina*, parcutiet Sanctus ille benedictus flumen Euphratem, & percutiet illud in vento adeo vehementi, ut convertatur in septem flumina, quo fit via inter flumen & flumen. *& ambulare faciet*, transeuntes per eas vias ambulare faciet cum calceamentis, quia erit via sicca, perinde ac si numquam ibi fuissent aquae, & transibunt per eas cum calceamentis in pedibus suis. והדריך est verbum transitivum: Deus enim erit, qui ambulare faciet, & transiens erit ambulans, dum verò ait *septem*, fortasse innuit, quòd erunt septem viae, & non plures, vel *septem* significat multitudinem, quasi dicat per vias multas, talis enim est consuetudo Scripturae, veluti *septies super peccatis vestris*. *Lev.* 26. *v.* 18. *septies cadet justus & resurget*: *Prov.* 24. *v.* 16.

V. 16. *Et erit*: in hoc flumine erit via strata reliquiis populi sui, quasi dicat, quòd erit via calcata, proinde ac si extitisset via tempore multo. Sensum vocis *residuo* jam superius explicavimus: dicit autem *ab Assur*, quia venientibus ab Assyria in terram Israelis est via recta, si transeant per flumen Euphratem. *quemadmodum fuit*, scilicet quemadmodum fuit via strata in mari rubro, ita erit via strata in flumine Euphrate.

JE-

JESAIAE CAP. XII.

1. ET dices in die illa, gratias agam tibi Domine, quòd iratus es mihi: avertetur furor tuus, & consolaberis me. 2. Ecce Deus salus mea, confidam & non pavebo: quia fortitudo mea & psalmodia *mea* Dominus Deus, & fuit mihi in salutem. 3. Et haurietis aquas in gaudio de fontibus salutis. 4. Et dicetis in die illa, confitemini Domino, clamate in nomine ejus, nota facite in populis opera ejus: commemorate quòd Excelsus est nomen ejus. 5. Psallite Domino, quoniam excellentiam fecit: nota est ipsa in universa terra. 6. Hinni, & cane habitatrix Tzionis: quia magnus in medio tui Sanctus Israelis.

COMMENTARIUS.

V. 1. ET *dices* כי אנפת בי, scilicet quòd iratus es mihi, & deportavisti me, nunc verò conversus est furor tuus, & consolatus es me, idcirco necesse est, ut gratias agam tibi, eo quod conversus sit furor tuus a me, nec dereliqueris me in exilio, ut eram dignus propter iniquitates meas.

V. 2. *Ecce Deus salus mea*: כי עזי Ain est cum Kametz = Chatuph. וזמרת pro וזמרתי, quia Resc est Kametzatum, si enim esset nomen conjunctum, subesset Patach, & ita *quòd tradiderit te Dominus bodie in manu*, pro *in manu mea*. 1. *Sam*. 24. *v*. 11.

V. 3. *Et haurietis aquas in gaudio*: parabolicè, instar haurientis aquas ex fonte, cujus non deficiant aquae, sed in omni tempore possit ex eo hauriri, eoquod sit fons perennis; sic non deficiet ab eis benedictio & salus, & erunt in gaudio omnibus diebus suis, Jonatan interpretatur versum hunc metaphoricè de apprehensione sapientiae, sapientia enim comparatur aquae, & qui docent eam, sunt veluti fons, discipuli verò sunt qui hauriunt: sic igitur vertit Jonatan *Et excipietis doctrinam novam in gaudio ab electis justorum*, ubi dicit *novam*, quia doctrina ea erit nova, tunc enim discent cognoscere Dominum, id quod non didicerat homo usque ad illum diem, ut ait superius *sicut aquae mare operientes*. *cap*. 11. *v*. 9.

V. 4. *Et dicetis*: invicem dicetis per modum exhortationis *clamate*

in nomine ejus, h. e. clamate ad populos in nomine ejus, veluti *& clamavit ibi Abrahamus in nomine Domini. Genes.* 13. *v.* 4. eademque est ratio vocum *nota facite*, & *commemorate*: vel *clamate in nomine ejus* significat, quando oratis ad eum, veluti *& ego clamabo in nomine Domini*, 1. *Reg.* 18. *v.* 24. & ita vertit Jonatan *orate in nomine ejus*.

V. 5. *Psallite Domino, quoniam excellentiam fecit*: eadem phrasis adhibita est post transitum maris rubri *quoniam excellendo excelluit*. *Exod.* 15. *v.* 1. excellentia haec nota erit in universa terra, quòd educet populum tenuem de medio populorum multorum ac fortium; pariter caedes Gogi & Magogi nota erit in universa terra, quorum omnium causa debetis psallere Domino.

V. 6. צהלי eleva vocem tuam in cantico & in laudatione Dei, quia Sanctus Israelis fuit magnus in medio tui, quasi dicat, magnum fuit nomen ejus in medio tui ob mirabilia, quae fecit, quemadmodum ait in prophetia de Gogo & Magogo in Ezechiele *& magnificabo me, & sanctificabo me &c. cap.* 38. *v.* 23.

JESAIAE CAP. XIII.

1. ONus *prophetia onerosa* Babylonis, quod vidit Jesaias filius Amotzi. 2. Super montem excelsum elevate signum, exaltate vocem ad eos: agitate manum, & ingrediantur portas Munificorum. 3. Ego praecepi praeparatis meis: etiam vocavi fortes meos ad iram meam, exultantes in elatione mea. 4. Vox tumultus in montibus *in* similitudinem populi multi: vox strepitus regnorum gentium congregatarum, Dominus exercituum numerans militiam belli. 5. Venientes de terra longinquitatis ab extremitate Coeli: Dominus & vasa indignationis suae ad corrumpendum universam terram. 6. Ululate, quia proximus dies Domini: tanquam vastatio ab omnipotente veniet. 7. Quapropter omnes manus remissae erunt: & omne cor hominis liquefiet. 8. Et confundentur, tormina & dolores apprehendent eos, veluti parturiens dolebunt: quisque ad socium suum stupebunt, facies flammarum facies eorum. 9. Ecce dies Domini venit,

nit, crudelis & excandescentia & aestus furoris: ad ponendum terram in destructionem, & peccatores ejus disperdet ex ea. 10. Quoniam stellae Coelorum, & satellites earum lucere non facient lumen suum: obscurabitur Sol in egressione sua, & Luna splendere non faciet lucem suam. 11. Et visitabo super Orbem malitiam, & super impios iniquitatem eorum: & faciam cessare superbiam superborum, & elationem formidabilium *tyrannorum* humiliabo. 12. Pretiosum habebo virum prae auro solido: & hominem prae auro Ophir. 13. Quapropter Coelum commoveri faciam, & contremiscet terra de loco suo: in excandescentia Domini exercituum, & in die aestus furoris sui. 14. Et erit tanquam cervus expulsus, & sicut pecus, cui non sit qui congreget: unusquisque ad populum suum respicient, & unusquisque ad terram suam fugient. 15. Omnis inventus perfodietur: & omnis additus cadet in gladio. 16. Et parvuli eorum allidentur in oculis eorum: diripientur domus eorum, & uxores eorum concubitu violabuntur. 17. Ecce ego excito contra eos Medos: qui argentum non aestimabunt, & aurum non volent. 18. Et arcubus pueri allidentur: & fructûs ventris non miserebuntur: filiis non parcet oculus eorum. 19. Et erit Babylo, desiderium regnorum, gloria superbiae Chaldaeorum, secundum subversionem, *qua subvertit* Deus Sodomam & Amoram. 20. Non habitabit in perpetuum, neque deget usque in generationem & generationem: neque tentorium tendet ibi Arabs, & pastores cubare non facient ibi. 21. Sed cubabunt ibi feles, & replebuntur domus eorum furonibus: & habitabunt ibi filiae struthionis, & pilosi (*daemones*, *satyri*) saltabunt ibi. 22. Et cantabit *cantabunt* ululae (*aves insulanae*) in aedibus ejus, & dracones in palatiis delicii: & proximum ad veniendum tempus ejus, & dies ejus non protrahentur.

COM-

COMMENTARIUS.

V. 1. ONus *Babylonis*: ait *quod vidit*, ad indicandum se prophetasse etiam super nationibus Mundi: quia verò dixerat in principio *quam vidit cap.* 1. *v.* 1. opus non erat repetere etiam de aliis.

V. 2. *Super montem excelsum*: נשפה significat excelsum elatum, veluti *& abiit in locum excelsum*. *Num.* 23. *v.* 5. *Aperiam super clivis* i. e. *locis excelsis*, *Jes.* 41. *v.* 18. Jonatan vertit *super civitatem quae habitat quietè*, volens innuere Babylonem, quae erat tranquilla & quieta, idemque sensus eruitur etiam ex sermone Magistrorum nostrorum „ devoraverunt eos ipsorum domini tres annos tranquille „ Ait *elevate signum*, *agitate manum* per modum similitudinis, quodammodo praecipiens ut clament ad eos, & elevent eis signum super montem excelsum, & agitent eis manum, quo veniant citissimè ad Babylonem vastandi eam gratia; venientes ad eam sunt Medi & Persae. Agitatio verò manus fit more hominis clamantis a longe ad eum, qui non audit, & idcirco agitat ad eum manum suam ut veniat. *& ingrediantur portas Munificorum*, פתחי pro בפתחי, deest enim Beth servile, sicuti *fornicando domo patris sui*, pro *in domo*, *Deut.* 22. *v.* 21. & alia multa. Principes Babylonis appellat munificos propter divitias ac dignitates, vel quia utplurimum hominibus magnis, & viris nominis inest spiritus munificus & liberalis. Alii explicant נדיבים de Medis ac Persis, & interpretantur פתחי gladios, veluti *& terram Nimrod in gladiis suis*: *Mich.* 5. *v.* 5.

V. 3. *Ego praecepi*. *praeparatis meis*: scilicet Medis ac Persis: dicit autem *praecepi*, & *praeparatis meis*, volens innuere, se excitavisse spiritum eorum, ut venirent Babylonem, quod perinde est, ac si praeceperit indixerit & paraverit eos, ut venirent. *ad iram meam*, vocavi eos, ut exequantur iram meam & aestum furoris mei, & exulteut ac laetentur in elatione mea, scilicet in elatione, qua ego effero me super Babylonem per manum ipsorum.

V. 4. *Vox tumultus*: ait Propheta se audivisse in prophetia vocem tumultus in montibus in similitudinem populi multi, proinde ac si populus multus in montibus colloqueretur: item ait se audivisse vocem strepitus regnorum gentium congregatarum, quorum exercitum magnum Dominus exercituum recensebat, i. e. numerabat, juxta illud *& numerabis eos per exercitus suos*. *Num.* 1. *v.* 3. ita enim fieri solet, ut antequam veniat exercitus ad pugnam, numeret eos Dominus, qui dominatur illis, sciendi gratia eorum numerum, dum progrediuntur ad praelium. Alii explicant per significationem praefecturae, quasi dicat, ipse praefecit eis praefectos, & ita interpretatur Jonatan.

V. 5.

V. 5. *Venientes ..... ab extremitate Coeli:* h. e. ab Oriente; ait *ab extremitate Coeli* per hyperbolem longinquitatis extremae, perinde ac si a latere illo tangatur Coelum. *Dominus & vasa indignationis suae*, ipse ducit exercitum, & populus, quo exercitus constat, sunt instrumenta indignationis suae, quibus vastabit terram Babyloniorum.

V. 6. *Ululate:* alloquitur viros Babylonis. *tanquam vastatio ab omnipotente veniet*, tanquam vastatio a forti veniens, a qua non est via seu ratio eripiendi se, & ita *sicut vox omnipotentis*, *Ezech.* 10. *v.* 5. & ita interpretatur etiam Jonatan *quasi praeda a facie omnipotentis veniet*.

V. 7. *Quapropter:* quia non erit eis consilium & solertia eripiendi se, postquam venerit super eos id, scilicet eripiendi se a Domino, idcirco remissae erunt manus a bello in conspectu inimicorum suorum, & cor liquefiet, quia non inveniet in se quidquam fortitudinis ac roboris, fortitudo enim consistit in corde, quemadmodum dictum est *Et robustus corde suo in potentibus: Amos.* 2. *v.* 16.

V. 8. *Et confundentur:* ונבהלו habet Kametz propter Scialscelet, cui inest proprietas pausae: sensus verò est, habitatores Babylonis confundentur, neque valebunt retrahere manum. יאחזון habet Tzere propter pausam, & sensus est, ipsos tenebunt tormina, idque sumi potest duobus modis, nimirum quòd tormina tenebunt hominem confusum, veluti *dolor apprehendet habitatores Palesthinae. Exod.* 15. *v.* 14. *nonne dolores apprehendent te? Jer.* 13. *v.* 21. *tormina apprehenderunt me*, *Jes.* 21. *v.* 3. quum verò tormina invaluerint in homine, tunc perinde est, ac si homo teneat tormina, ne separentur ab ipso, idcirco ait צירים וחבלים יאחזון. Juxta verò mentem Jonatanis Nun in יאחזון est Nun pronominis pro יאחזום, & bona quidem est interpretatio ejus, idcirco vertit *tenebunt eos*. *stupebunt*, quia veniet super ipsos malum repente, idcirco stupebunt quisque ad proximum suum, quonammodo evenerit id. *facies flammarum facies eorum*, instar hominis pudebundi, tum enim facies ejus rubescit.

V. 9. *Ecce dies Domini venit, crudelis & excandescentia:* erit crudelis, & excandenscentia & aestus furoris cum eo. *terram*, scilicet terram Babyloniorum. *& peccatores ejus*, habitatores Babylonis, qui sunt peccatores & impii, sic de Babylone disperdet, ut relinquatur desolata viris suis.

V. 10. *Quoniam stellae:* Prophetae metaphorica loquutione dicere solent, illum, cui evenit angustia, sedere in tenebris, neque oriri ei solem, neque splendere ei stellas, vel quidquam lucis, quemadmodum ait *extinguetur lucerna tua in nigredine tenebrarum: Prov.* 20. *v.* 20. talem igitur sensum habet versus hic, & alii plures. וכסיליהם scribit R. Jona כסיל esse stellam magnam, quae Arabicè appellatur سهيل

V. 11.

& ſtellas ejuſdem ſocias appellari de nomine ejus כסילים. *lucere non facient lumen ſuum*, יהלו habet ſignificationem ſplendoris, ejuſque radix eſt הלל, ex conjugatione Hiphil, idemque valet, ac יגיהו, quemadmodum ait *& Luna ſplendere non faciet lucem ſuam*, quaſi dicat, non dabunt lucem ſuam, actio enim refertur ad ſtellas, in illo verò *ſi videbam lucem quando emittebat ſplendorem*: *Job.* 31. *v.* 26. actio refertur ad lucem. *in egreſſione ſua*, dum ſcilicet expectant lucem ejus.

V. 11. *Et viſitabo ſuper Orbem*: vult dicere ſuper terram Babyloniorum, viſitabo ſuper eos malum, quod fecerunt Iſraelitis. *& ſuper impios*, ſcilicet ſuper Chaldaeos, qui ſunt impii, & malefecerunt Iſraelitis magis quam par eſſet, ſicut dictum eſt *ego iratus ſum parum, & ipſi auxiliati ſunt mihi in malum*. *Zach.* 1. *v.* 15. *ſuperbiam ſuperborum*, eoquod fuerunt ſuperbi, ego ceſſare faciam ſuperbiam eorum.

V. 12. *Pretioſum habebo*: ponam filios Orbis pretioſos magis quam aurum ſolidum, quaſi dicat, ſi voluerit quis redimere eos, ne interficiantur, non accipient Medi ac Perſae pro eis pondus auri, ne interficiant illos. מכתם אופיר prae auro Ophir: verſus hic duplicatus eſt in ſignificatione cum dictionibus diverſis. Jonatan verò reddit verſum hunc in ſignificatione alia, dicit enim *Diligam timentes me magis quam aurum, quo glorientur homines, & Legis obſervatores plus quam aurum probatum de Ophir*, quibus verbis vult indicare Iſraelitas exiſtentes in Babylone, qui non interficientur inter occiſos ex viris Babylonis, quia erunt pretioſi in oculis Medorum & Perſarum magis quam aurum ſolidum, ſed praeſervabunt eos ab occiſione.

13. *Quapropter Coelum*: metaphoricè, quaſi commoveatur Coelum, & contremiſcat terra prae magnitudine mali venientis ſuper Babylonios, a quo non poterunt eripere ſe divitiis, idcirco ait *Quapropter*.

V. 14. *Et erit*: populus extraneus commorans in Babylone, quando veniet calamitas ſuper Babylonem, erit tanquam cervus expulſus, quem expellant ac perſequantur capiendi cauſa, ipſe enim currit totis viribus, ita quicumque erunt in Babylone de populo extraneo, egredientur feſtinanter de medio ejus, unuſquiſque ad populum ſuum reſpiciet, & unuſquiſque ad terram ſuam fugiet.

V. 15. *Omnis inventus*: quicumque inventus fuerit in medio ejus de populo extraneo transfigetur ut homines civitatis: deinde repetit eamdem rem cum vocabulis diverſis dicens *& omnis additus cadet in gladio*, ubi הנספה ſignificat additum, videlicet qui eſt de populo extraneo, & additus eſt viris civitatis, & eſt ex eadem radice, ac iſta *addite annum ſuper annum*, *Jeſ.* 29. *v.* 1. *ut addant ebriam Deut.* 29. *v.* 19. יסף enim & ספה idem ſignificant, & juxta ſignificationem hanc vertit etiam Jonatan. ידרק ſignificat percuſſionem gladii. Alii verò

verò interpretantur כל הנספה juxta illud *& est consumptus absque judicio*. *Prov.* 13. *v.* 23. h. e. quicumque attigerit tempus suum moriendi, non morietur super lectum suum, sed cadet in gladio.

V. 16. *Et parvuli eorum allidentur:* filii in oculis patrum; diripient eorum domos, & mulieres eorum concubitu violabunt in oculis eorum, & postea interficient ipsos, quòd totum fiet per modum crudelitatis. ירטשו significat allisionem seu projectionem parvulorum ad solum, aut ad parietes per modum crudelitatis. ישסו significat direptionem, & est ex Verbis duplicatis ex conjugatione Niphal. *concubitu violabuntur*, scribitur תשגלנה, sed legitur תשכבנה. (*a*)

V. 17. *Ecce ego excito:* excitabo spiritum eorum, ut veniant pugnaturi adversus Babylonem; hi autem fuerunt Medi, Darius enim Medus is fuit, qui subegit Babylonem, & post mortem ejus regnavit super Babylonios Cyrus Persa. Iste populus nihili reputabit argentum & aurum pro redemptione virorum Babylonis, sed interficient eos, neque erit eis redemptio, quemadmodum ait superius *Pretiosum habebo virum prae auro solido*, *v.* 12.

V. 18. *Et arcubus pueri allidentur:* scilicet cum arcubus eorum allidentur parvuli, ita enim intelligendum est *arcubus pueri allidentur* (*b*), nimirum quòd ponebant pueros in arcubus loco sagittarum, & projiciebant eos super pavimentum & in parietes. *fructûs ventris*, h. e. filiorum adhuc parvulorum, sic *& comedes fructum uteri tui*, *Deut.* 29. *v.* 53. *si filios & si filias eripient*. *Ezech.* 14. *v.* 16. *aut filium cornupetierit, aut filiam cornupetierit*, *Exod.* 21. *v.* 31. *non parcet oculus eorum*, hoc tantùm verbum תחום habet Sciurek, caetera omnia habent Cholem.

V. 19. *Et erit Babylo:* Babylo, quae fuerat desiderium regnorum, gloria superbiae Chaldaeorum, erit modò juxta subversionem, qua subvertit Deus Sedomam & Amoram. צבי significat desiderium, omnia enim regna desiderabant eam, & Chaldaei, quorum erat, gloriabantur, seque jactabant in ea; at modò erit juxta subversionem, qua subvertit Deus Sedomam & Amoram, siquidem devastabitur, neque erit in ea habitatio in perpetuum. Babylo verò illa, in qua regnaverunt Darius & Cyrus, quaeque extat hodie, non est Babylo illa vetus, istam enim destruxit Darius, & aedificavit civitatem aliam in eadem planicie, cui pariter nomen est Babylo usque in hodiernum

 diem.

(*a*) Verbum שגל *vitiavit*, *violavit mulierem*, actum venereum propriissimè denotat, ac proinde tanquam pronunciatu obscoenum in communi sermone habetur Hebraeis, unde Masorethae verbum שכב *cubuit*, *concubuit* pro eo legendum substituerunt. Vide Maimonid. in Mor. Nebuc. part. III. cap. 8. circa finem.

(*b*) Quum Verbum תרטשנה sit foemineum & activum, ideoque transitivum, non ad pueros sed ad קשתות *arcus* referendum est, ut explicant caeteri omnes Interpretes, videl. *Et arcus pueros allident &c.*

diem. In Seder = Olam habetur, quòd quando fubegit eam Darius, & interfecit Belfciatzarem, jam regnaverat fuper eam annum, & in anno altero fubvertit eam Deus juxta fubverfionem Sedomae & Amorae, idque eft quod ait Scriptura *& venit in anno Jer.* 51. *v.* 46. videlicet rumor Darii, *& poft eum in anno rumor*, *cit loc.* hic eft rumor fubverfionis, qua fubvertit eam Deus ficut Sedomam & Amoram.

V. 20. *Non habitabit in perpetuum neque deget*: ponit civitatem pro habitantibus ac degentibus in ea, veluti *civitas egrediens mille Amos.* 5. *v.* 3. ubi viri civitatis innuuntur egredientes ex ea. לא יהל, proprietas ejus foret לא יאהל, vult enim dicere, non tendet tentorium fuum: dicit autem *Arabs*, quia Arabes degebant in tentoriis. *& paftores*, ne paftores quidem facient ibi cubare pecus fuum: dum verò ait in principio verfûs *Non habitabit*, perinde eft ac fi dicat, non reaedificabitur amplius, ut habitent in ea homines, & ne tentorium quidem tendet ibi quifquam per accidens. Opus autem non erat dicere *& paftores cubare non facient ibi*, fiquidem paftores cubare non facient ibi pecus fuum, quia erit habitaculum ferarum malarum ficut defertum.

V. 21. *Sed cubabunt*: quandoquidem non facient cubare ibi pecus, quifnam cubabit illic? ferae deferti cubabunt ibi. צִיִּי ר fignificat feras morantes in loco arido, & idcirco appellantur ציים. Alii explicant per נמיות, i. e. *martes*, quod nomen commemoratur in Verbis Magiftrorum noftrorum = ne affiliat martes = vulgò *martora* dicitur. *domus eorum*, h. e. domus eorum jam vaftatae. אוחים ferae, quae vulgò *furones* dicuntur (*a*). *filiae ftruthionis* (*b*) fcilicet pulli ftruthionis, namque matres affiduè volantes relinquunt pullos fuos, qui ftrident ac lugent ob defectum alimoniae, ficuti dictum eft *& luctum ficut filiae ftruthionis*. *Mich.* 1. *v.* 8. ftruthiones verò degere folent in defertis & in locis vaftatis. *& pilofi*, ifti funt daemones, veluti *pilofis*, *poft quos fornicantur*. *Lev.* 17. *v.* 7. qui fic vocantur, eo quod appareant in fimilitudine hircorum credenti in ipfos, & ita vertit Jonatan *& Daemones ludent ibi*.

V. 22. *Et cantabit*: h. e. clamabit, veluti *cantate Domino Pf.* 147. *v.* 7 *& cantavit illis Exod.* 15. *v.* 21. *& cantabit ibi Hof.* 2. *v.* 17. & fimilia hifce in fignificatione elationis vocis, folent enim ululae ac dracones elevare vocem fuam, quae eft tanquam luctus. איים (*c*) eft nomen ferae ex feris deferti: Jonatan vertit *Et muffitabunt cati in palatiis ipforum*, in exemplari alio habetur ויצפון cum Tzade ante Phe. באלמנותיו pro בארמנותיו juxta Targum: dracones pariter cantabunt in palatiis, quae antea erant deliciarum ac voluptatum, nunc

(*a*) Sentit Bochartus nomen אוחים non fignificare fpeciem ferae, fed ferarum voces clamores rugitus & ululatus, quibus deferta perfonant.

(*b*) Vide inferius *cap* 34. *v.* 13.

(*c*) Vide inferius *d. cap.* 34. *v.* 14.

nunc autem prorsus vastabuntur, eru ntque habitatio ferarum. *& proximum ad veniendum tempus ejus*, tempus vastationis Babylonis propè est, ut veniat. *& dies ejus*, dies tranquillitatis ejus non protrahentur, quia breves erunt.

JESAIAE CAP. XIV.

1. QUoniam miserebitur Dominus Jaacobi, & eliget adhuc Israelem, & habitare faciet eos in terra sua: & adjunget se peregrinus eis, & aggregabunt se domui Jaacobi. 2. Et assument eos populi, & adducent eos ad locum suum, & haereditabunt eos Domus Israelis in terra Domini, in servos & in ancillas: & captivos ducent eos, qui captivos duxerant ipsos, & dominabuntur in exactoribus suis. 3. Et erit in die, *quo* requiem praestabit Dominus tibi a dolore tuo & a tremore tuo: & a servitute dura, quae servita est in te *qua servitum est a te*.
4. Et levabis parabolam istam super regem Babylonis, & dices: quomodo cessavit exactor, desiit aurea? 5. Contrivit Dominus baculum impiorum: virgam dominantium.
6. Percutientem populos in excandescentia, percussione non recedente: dominantem in furore gentibus, persequutionem patientem non prohibuit *ne persequerentur*.
7. Quievit requievit universa terra: ediderunt fragorem cantu. 8. Etiam abietes laetatae sunt de te, cedri Libani: ex quo occubuisti, non ascendit caedens super nos.
9. Sepulchrum deorsum contremuit propter te in occursum adventus tui: excitavit tibi mortuos *manes*, omnes hircos terrae; surgere fecit de soliis suis omnes reges gentium. 10. Omnes isti respondebunt, dicentque ad te: etiam tu infirmatus es sicut nos, nobis assimilatus es. 11. Detrusa est *ad* sepulchrum superbia tua, strepitus Nabliorum tuorum: subter te sternetur vermis *caries*, & operientes te vermis. 12. Quomodo cecidisti e Coelo, Lucifer fili aurorae?

rorae? fuccifus es ad terram, debilitans fuper gentibus. 13. Et tu dixifti in corde tuo, Coelum afcendam, fuper aftra Dei elevabo folium meum: & fedebo in Monte coetûs, in lateribus Aquilonis. 14. Afcendam fuper excelfa nubis: affimilabo me *fimilis ero* Altiffimo. 15. Verumtamen ad fepulchrum dejicieris, ad latera foveae. 16. Videntes te, te confiderabunt, te contemplabuntur *dicentes*: numquid hic eft vir tremefaciens terram, commovens regna? 17 Pofuit Orbem ficut defertum, & urbes ejus deftruxit: vinctis fuis non aperuit carcerem. 18. Omnes reges gentium, univerfi ipfi, jacuerunt in gloria, unufquifque in domo fua. 19. Et tu projectus es de fepulchro tuo tanquam furculus abominabilis, *ut* veftimentum occiforum confofforum gladio: defcendentia ad lapides foveae, veluti cadaver conculcatum. 20. Non unies te cum eis in fepultura, quia terram tuam corrupifti, populum tuum interfecifti; non vocabitur in faeculum femen maleficorum. 21. Praeparate filiis ejus occifionem propter iniquitatem patrum eorum: ne confurgant, & haereditate accipiant terram, & impleant faciem Orbis inimicis. 22. Et furgam contra eos, dicit Dominus exercituum: & excidam Babyloni nomen & refiduum *propinquum*, & filium & nepotem, dicit Dominus. 23. Et ponam eam in poffeffionem teftudinis, & ftagna aquarum: & everram eam everriculo perditionis, dicit Dominus exercituum 24. Juravit Dominus exercituum dicendo: fi non fecundum quod cogitavi, fic fuit *erit*, & confilium, fecundum quod decrevi, ipfum ftabit. 25. Ad frangendum Affur in terra mea, & fuper montibus meis conculcabo eum: & recedet ab eis jugum ejus, & onus illius ab humero ejus removebitur. 26. Hoc confilium initum fuper univerfam terram: & haec manus extenta fuper univerfas gentes. 27. Quando Dominus exercituum inivit confilium, quis irritabit? & *quando* manus ejus extenta, quis avertet eam? 28. In anno, quo mortuus eft rex Acha-

zus,

zus, fuit onus hoc *prophaetia haec onerosa*. 29. Ne laeteris Palesthina tota tu, quòd confracta sit virga percutientis te: nam de radice serpentis egredietur basiliscus, & fructus ejus hydrus volans. 30. Et pascentur primogeniti tenuium, & egeni confidenter accubabunt: & interire faciam in fame radicem tuam, & reliquias tuas occidet. 31. Ulula portâ, clama civitate, dissoluta Palesthina tota tu: nam ab Aquilone fumus venit, & non erit solitarius in temporibus ejus. 32. Ecquid respondebit *respondebunt* legati gentis? quòd Dominus fundavit Tzionem, & in ea sperabunt afflicti *pauperes* populi ejus.

COMMENTARIUS.

V. 1. Q*Uoniam miserebitur Dominus*: quia Dominus miserebitur Jaacobi, ideo prope est, ut veniat tempus vastationis Babylonis, etenim in vastatione Babylonis erit salus Israelitis. והניחם *& habitare faciet eos*, ut est in Targum. *& adjunget se peregrinus eis*, consociabunt sese peregrini videndi eos gratia; quum enim in vastatione Babylonis futura sit eorum salus, confitebuntur ex ipsorum caussa evenisse vastationem illam, eoquod malefecerunt Israeli magis quam par esset, quemadmodum ait *Iratus sum contra populum meum ... non posuisti eis miserationes. Jes.* 47. *v.* 6. Rex etiam Medorum ac Persarum, qui cepit Babylonem, confessus est a Domino evenisse sibi *omnia regna terrae dedit mihi Dominus .... quis inter vos de omni populo ejus, Dominus Deus ejus cum eo sit, & ascendat. 2. Par.* 36. *v.* 23. *Ezr.* 1. *v.* 2. *&* 3 Peregrinos verò, qui tum facti sint proselyti, quum ascenderent de Babylone, non videmus in Scriptura, neque assumpserunt eos populi, ut ait in *vers. seq.* sed utique invenimus adversatos fuisse illis in restauratione Jerosolymae, idcirco rectum est in oculis meis, quòd explicetur versus hic duobus modis, nimirum quòd verba illa *Quoniam miserebitur Dominus Jaacobi* referenda sint ad exilium Babylonis, in quo miserebitur eorum, educetque eos de exilio ipsorum; illa verò *& eliget adhuc Israelem* ad dies Messiae, tunc enim adjunget se peregrinus eis, quemadmodum scriptum est *Et adhaerebunt gentes multae ad Dominum in die illa Zach.* 2. *v.* 11. eamdemque rem eventuram in diebus Messiae docent quamplurimi versus in verbis Prophetarum, sic *Et assument eos populi, vers. seq.* ut ad idem propositum scriptum est *Et adducent omnes fratres vestros munus Domino Jes.* 66. *v.* 20. pluresque alii versus idem ostendunt. *& aggregabunt se*, h. e. associabunt se, veluti *aggrega me quaeso uni parti Sacerdotali* 1. *Sam.* 2. *v.* 36.

V. 2.

V. 2. *Et assument eos .... & haereditabunt:* haereditabunt ex eis, ut haereditare faciant filios suos post se, ut sint ipsis in servos & in ancillas, sicuti scriptum est *Et stabunt extranei, & pascent pecus vestrum: & filii alienigenae erunt agricolae vestri, & vinitores vestri. Jes.* 61. *v.* 5.

V. 3. *Et erit:* ait veluti coram Israelitis manentibus in exilio Babylonis, in die, quo requiescere te faciet Dominus a dolore tuo, scilicet in die vastationis Babylonis, elevabis parabolam hanc. *a dolore tuo*. h. e. a dolore exilii. ומרגזך Mem est cum Chirek, veluti *& reversus est Saul a persequendo Davidem*. 1. *Sam.* 23. *v.* 28. *& reversus est populus a persequendo Israelem*. 2. *Sam.* 18. *v.* 16. *quae servita est in te*, quamvis vox עבדה *servitus* sit generis foeminini, tamen dixit עבד in genere masculino, volens innuere illum, qui servit vel praestat eam, & ita *fiet opificium*, *Exod.* 31. *v.* 15. & similia hisce.

V. 4 *Et levabis parabolam:* parabola est verbum, quod non intelligendum est, ut sonat, veluti *aurea*, *baculus*, *virga*, *etiam abietes*, *cedri Libani*. מרהבה (*a*) explicandum est ex Lingua Chaldaea, aurum enim Chaldaice dicitur דהבא, hic autem est adjectivum Babylonis, quae erat dives auri, eoquod exigebat tributum ab universis terris. Jonatan vertit *cessavit potentia peccatoris*.

V. 5. *Contrivit .... baculum:* virga est parabola potentiae ac ditionis dominantium improborum: hic verò loquitur de Nebucadnetzare, de Evil=Merodaco, & de Belsciatzare.

V. 6. *Percutientem:* dicit id de Nebucadnetzare, quia fuerat principium dominationis (*b*), & quia subegerat universas terras, ideo dicit hoc de illo, filii enim ejus, licet servierint ipsis omnes gentes, tamen non ceperunt sibi quidquam praeter id, quod reliquit eis ipsorum pater, ob nimiam indignationem, quòd non fuerit ei clementia erga illas. מכת Thau stat pro He, etenim non est nomen constructum, veluti *sapientia & scientia*: *Jes.* 33. *v.* 6. *globum video* 2. *Reg.* 9. *v.* 17. & similia hisce, ut scripsimus in libro Miclol: ait quòd percussio ejus numquam recedebat a populis, sed jugiter percutiebat eos. *dominantem in furore*, dominabatur eis in furore & aestu irae: Bet באף Kametzatum indicat He notionis, vult enim innuere furorem notum, i. e. solitum regi Babylonis. *persequutionem patientem non prohibuit*, quamlibet gentem persequutionem patientem propter ipsum non prohibuit neque vetavit, ne persequerentur, immo ipse persequutionem patienti a se negabat quietem.

V. 7. *Quievit:* nunc verò quum mortuus sit ejus Nepos, ideoque recesserit ac desierit dominatio impii Nebucadnetzaris, quievit requievit

(*a*) Propheta Regem Babylonis voce ista Babylonica irridet, ejus divitias carpens.

(*b*) Videl. primus ex familia sua, qui obtinuerit regnum Babylonis.

vit universa terra, ediderunt fragorem cantu, quod dicit, proinde ac si Nebucadnetzar mortuus esset in illo die.

V. 8. *Etiam abietes:* quia dixerat *quievit requievit universa terra*, h. e. populus terrae illius, quae erat sub servitute ipsius, & versabatur in angustiis, ideo dicit *Etiam abietes*, quae est parabola regum, ut & *cedri Libani*. Ait igitur, etiam reges laetati sunt in perditione ac excidio regni & dominationis ejus, quasi dicat, etiam reges & principes, quibus non imposuerat servitutem, ut populo terrae, etiam isti laetati sunt in perditione illius, quia in morte Nepotis ejus periit dominatio ipsius. *non ascendit caedens super nos*, eoquod assimilaverat magnates abietibus & cedris, idcirco ait *caedens* ad continuandam similitudinem: ait *ex quo occubuisti*, videlicet a tempore, quo mortuus est Nebucadnetzar, quia licèt servierint gentes filio ac nepoti ejus, isti tamen non angustiaverunt eas, praeterquamquod imposuerunt eis tributum; at Nebucadnetzar occidebat, & conjiciebat eas in carcerem, & exigebat servitutes duras.

V. 9. *Sepulchrum deorsum:* vivi laetati sunt, mortui verò contremuerunt ac timuerunt, idque per modum similitudinis, quum enim terruisset universum Mundum in vita sua, ideo ait mortuos timuisse, ne terreret etiam ipsos, quum moreretur, idque per modum similitudinis ob magnitudinem terroris, quo affecerat universum Mundum; ait igitur per hyperbolen, quòd mortui timuerunt ac horruerunt in illius adventu ad ipsos. Nomen verò שאול in hoc versu est generis masculini & foeminini, dicit enim רגזה, simulque עורר: ait per similitudinem, sepulcrum excitasse mortuos magnos, ut exirent obviam tibi in morte tua, proinde ac si reges in sepultura sua sederent super soliis suis, ut in vita sua, & sepulchrum excitasset eos obviam tibi. רפאים *mortuos*, & ita *mortui non resurgent Jes.* 26. *v.* 14. *num mortui resurgent? Ps.* 88. *v.* 11. Jonatan verò interpretatur *fortes*, h. e. magnos & fortes jam mortuos. *excitavit tibi ... hircos terrae*, reges appellantur hirci per similitudinem, quemadmodum enim hirci ducunt pecus praecedentes illud, ut dictum est *tanquam hirci ante gregem. Jer.* 50. *v.* 8. ita reges ducunt populum.

V. 10. *Omnes isti respondebunt*: ait *respondebunt* in principio sermonis, veluti *Et respondebis & dices, Deut.* 28. *v.* 5. *Et respondit Jobus. Job.* 3. *v.* 2. initio sermonis. *etiam tu*, quamvis in vita dominatus sis omnibus nobis, nunc videmus, quòd etiam tu infirmatus es sicuti nos, & accidit tibi casus mortis, sicut accidit nobis. חלית ex conjugatione Pual, veluti *quibus aegrotare fecit Dominus in ea. Deut.* 29. *v.* 21.

V. 11. *Detrusa est ad sepulchrum superbia tua:* quia gloriabaris, & cogitabas in animo tuo, te esse tanquam Deum, eoquod dominareris universis populis, nunc sanè videmus, quòd detrusa est ad sepulchrum superbia tua, mortuus enim es sicut alter e populo. *strepitus Nabliorum tuo-*

tuorum, audiebatur in domo tua vox ſtrepitûs Nabliorum & Cithararum, ſed nunc detruſa eſt ad ſepulchrum tecum, namque ceſſaverunt laetitiae iſtae. *ſubter te*, pro ſtratis precioſis, & operimentis glorioſis, quae tibi erant in domo tua, nunc in morte tua ſunt caries & vermes: dicit autem יצע & מכסיך in genere maſculino, licet רמה & תולעה (a) ſint generis foeminini, quia רמה & תולעה per modum generalitatis ſumuntur de multiplicibus vermibus, quando enim Scriptura loquitur per modum generalitatis, interdum utitur genere maſculino, interdum genere foeminino, veluti *& operientes te vermis* in genere maſculino, *& vermis operiet eos*. *Job*. 21. *v*. 26. in genere foeminino, ſic *& fuit pediculus*. *Exod*. 8. *v*. 17. *& aſcendit rana*. *Exod*. 8. *v*. 6.

V. 12. *Quomodo cecidiſti:* fuiſti enim in vita tua ſicut ſtella Coeli, & non ſicut quaelibet ſtella, ſed ſicut ſtella, quae proferat lucem ſuam copioſam, ſcilicet ſtella Aurorae, quae appellatur Lucifer ex ſignificatione illius *dum luceſcere faciebat ipſe lucernam ſuam ſuper caput meum: Job*. 29. *v*. 3. nunc autem quomodo cecidiſti e Coelo in terram, & ſucciſus es? etenim in vita tua debilitabas gentes, nunc verò debilitatus ac ſucciſus es tu. *debilitans*, veluti *& debilitavit Jeboſua*. *Exod*. 17. *v*. 13. Praepoſitio *ſuper* ſtat pro *in*, h. e. debilitans in gentibus, & ita vertit Jonatan, & ita eſt illud *ſuper gladio tuo vives*, pro *in gladio tuo Geneſ*. 27. *v*. 40. *& pones illa ſuper caniſtro uno*, pro *in caniſtro Exod*: 29. *v*. 3. Magiſtri verò noſtri, quorum memoria ſit in benedictione, interpretati ſunt חולש *projiciens ſortem*, habetur enim apud eos „ Projiciebant ſortes ſuper „ res Sanctas in die bono, ſed non ſuper portiones „ & alibi „ Quaenam „ eſt ſignificatio vocis *chalaſcim*? ſignificatio ſortium, ſcriptum eſt enim „ *ſortem projiciens ſuper gentes*, idque eſt quod dicitur *Etenim ſtetit* „ *rex Babylonis in bivio..... laevigavit ſagittas, interrogavit Ido-* „ *la, conſpexit jecur. In dextera ejus erat divinatio Jeroſolymae, Ezech*. „ 21. *v*. 21. *&* 22. *al*. 26. *&* 27. „ conſtat inde, quòd projiciebat ſortes, contra quem populum pugnandum eſſet ipſi, quia ſibi propoſuerat in omnes facere juxta voluntatem ſuam; quum autem veniſſet ad Jeroſolymam, projecit ſortem, utrum ſibi eundum eſſet in Rabbath filiorum Ammon, an verò pugnandum eſset in Jeroſolymam.

V. 13. *Et tu dixiſti:* quum adhuc viveres, ob magnitudinem proſperitatis, quae tibi erat, cogitabas in corde tuo id *Coelum aſcendam*, quod quidem ait metaphoricè, quaſi dicat, ſuper omnes homines, & ita vertit Jonatan *in altum aſcendam*. *ſuper aſtra Dei*, inſuper elevabo thronum meum altius univerſis ſtellis, metaphoricè: Jonatan verò reddit *ſuper populum Dei ponam thronum regni mei*, aſſimilat enim Iſraelitas ſtellis Dei, & pulchra eſt ejus interpretatio. *& ſedebo in* mon-

(a) רמה propriè eſt *vermis terreſtris*, a רמם, quod verbum apud Hebraeos ſignificat *vermificare*, apud Arabas *carioſum eſſe*. תולעה verò propriè eſt *vermis fructuum*, a לוע *vorare, deglutire*.

Monte coetus in lateribus Aquilonis, Mons coetus est mons Tzionis, quum enim congregarentur ibi assiduè universi Israelitae, ideo appellatus est mons coetus: ait praeterea *in lateribus Aquilonis*, quia Tzion erat ad Aquilonem Jerosolymae, idcirco montem Tzionis appellavit latera Aquilonis, quasi dicat, jactabat se subjecturum Jerosolymam, & locaturum thronum suum in ea. Dominus verò Pater meus, cujus memoria sit in benedictione, per montem coetus, & per latera Aquilonis intelligit Babylonem, dicebat enim rex, quando sedeo in monte coetus in lateribus Aquilonis, mihi videor in animo meo elevare super astra Dei thronum meum: Vocat autem Babylonem *montem coetus*, quia universus Mundus congregabatur illuc ad regem Babylonis, quam vocat *montem*, eo quod esset civitas praevalida, & ita vocat eam *latera Aquilonis*, quia est septentrionalis & orientalis respectu terrae habitabilis Mundi.

V. 14. *Ascendam*: repetit eamdem rem ad roborandum. *super excelsa nubis*, videlicet Caelos, qui sunt supra nubes. ארמה ex conjugatione Hithpael, & proprietas ejus foret אתרמה.

V. 15. *Verumtamen ad sepulchrum*: pro stellis Dei, super quas te ascensurum cogitabas, dejicieris ad sepulchrum, & pro lateribus Aquilonis, dejicieris ad latera foveae: per foveam verò intelligitur sepulchrum.

V. 16. *Videntes te*: in morte tua considerabunt te; consideratio verò est subtilis attentio, qua quis aliquid contemplatur.

V. 17. *Posuit Orbem*: haec quoque sunt verba considerantium eum, dicent enim, numquid hic est ille, qui posuit Orbem sicut desertum? תבל est nomen terrae habitatae. *non aperuit carcerem*, numquam aperiebat vinctis carcerem, postquam enim posuerat eos in carcere, non educebat amplius inde.

V. 18. *Omnes reges .... unusquisque in domo sua*: scilicet unusquisque in sepulchro suo, & ita vertit Jonatan.

V. 19. *Et tu projectus es*: ita dixerunt, quando expulsus est Nebucadnetzar, & fuit cum bestiis septem annos, & populus terrae constituit regem Evil-Merodacum filium ejus, postquam verò Nebucadnetzar, recepta mente, reversus est ad regiam suam in Babylonem, & invenit filium sedentem super thronum suum, posuit eum in carcere, neque egressus est inde, donec mortuus est Nebucadnetzar, tunc enim eduxit illum populus, ut constitueret regem, at ipse nolebat regnare dicens, nequaquam credo mortuum eum esse, & si venerit, quemadmodum venit altera vice, & invenerit me, profectò occidet me, tunc extraxerunt eum de sepulchro, & ostenderunt ei mortuum esse, idcirco dictum est *Et tu projectus es de sepulchro tuo*. In exemplari alio Chaldaeae versionis illud *jacuerunt in gloria unusquisque in domo sua* vertitur *congregati sunt in gloria in domum suam*; istud verò *Et tu projectus es de sepulchro tuo* ita redditur *Tu autem decidisti*

de loco tuo, quod quidem magis inclinat ad literalem sensum: illud autem *unusquisque in domo sua* intelligendum est, prout sonat, videlicet omnes reges quieverunt in Domibus ac in Regiis suis, tu verò projectus es de sepulchro tuo, i. e. de domo tua, ubi existimabas te mansurum per plurimum tempus, instar hominis in sepulchro, verùm projectus es de medio ejus, quasi dicat, spiritus malus, qui transiit super te a Deo, projecit te de domo tua, & ivisti ad habitandum inter feras. *tanquam surculus abominabilis*, quando plantat quis plantas, estque inter eas aliqua inutilis, succidit istam e radice, ac projicit eam, & ita vestimentum interfectorum sanguine pollutum abjicit homo, quod quum sit vestimentum occisi, nemo curiosus est lavandi ac induendi, siquidem homines non solent induere illud, quia venit ex interfecto, & quia est perforatum transfossionibus gladii. *confossorum gladio* idem est ac *occisorum*, duplicat enim rem cum vocabulis diversis ad roborandam significationem. מטועני confossorum, & ita Dominus Pater meus b. m. interpretatur illud *confondite* (i. e. pungite) *jumentum vestrum*. *Genes.* 45. v. 17. tribuens huic Verbo eamdem significationem, ac habet in Arabico. *descendentia ad lapides foveae*, dicit id de vestimentis, & quamvis antea dixerit *vestimentum* in numero singulari, tamen postea utitur numero plurali, ut fieri solet in Scriptura: ait igitur, quòd sicut vestimenta interfectorum projiciuntur, & descendunt in lapides foveae, ut interfectus ipse, scilicet ut cadaver conculcatum & proculcatum inter occisos, ita projectus es tu sicut ipsa vestimenta. Dicit autem *lapides foveae*, propterea quod cum lapidibus extruuntur parietes laterales sepulchri, idque vocabulo Misnico appellatur דופן, h. e. latus sepulchri.

V. 20. *Non unies te cum eis*: non unies te cum regibus gentium in sepultura, videlicet non eris similis illis in morte tua, quando sepelient te, caeteris enim regibus faciunt honorem magnum, dum sepeliunt eos, cremantes super eos aromata, & balsamantes eos, tibi verò non faciet populus tuus honorem, nisi quòd sepelieris sicut alter ex populo, idque *quia terram tuam corrupisti*, nimirum gravitate tributi, quod imponebat super eam. *populum tuum interfecisti*, adeo saevus erat in populum suum, ut levi pro peccato interficeret subditos, ita ex. gr. Sapientes terrae suae occidebat, eo quod nescirent indicare ei somnium suum & interpretationem ejus, quae quidem crudelitas magna est: ideo gavisus est universus populus ejus in morte illius, neque fecit ei honorem in sepultura ipsius, quemadmodum faciunt caeteris regibus. *non vocabitur in saeculum semen maleficorum*, de filiis ejus, qui sunt semen maleficorum, non dictitabitur per multum temporis, hic est filius τȣ̃ δεῖνα, citò enim exterminabitur semen ejus, siquidem in morte Belsciatzaris excisum est semen ejus omnino.

V. 21. *Praeparate filiis ejus*: scilicet qui interficiant eos ob iniqui-

tates

tates patrum, siquidem timendum vobis est, ne mali sint filii sicut patres, idcirco interficite eos, ne surgant ac haereditent terram. *& impleant faciem Orbis inimicis*, si isti surgent, implebunt superficiem Orbis inimicis & hostibus, idcirco cavete, ne surgant. עָרִים *inimicis*, veluti *& factus est inimicus tuus*: 1. *Sam.* 28. *v.* 16. sic in Lingua Aramaea *& interpretatio ejus inimicis tuis*. *Dan.* 4. *v.* 16. & ita vertit Jonatan. Possumus etiam juxta simpliciorem sensum interpretari *civitatibus*, & tum exponetur ita, si ipsi non surgent, neque haereditabunt terram, replebitur superficies Orbis civitatibus, & multiplicabitur terra habitabilis, ipsi enim subjiciebant civitates, & vastabant terram habitatam.

V. 22. *Et surgam contra eos*: videlicet excitabo me contra eos ad excindendos eos. *Babyloni*, i. e. regi Babylonis: dicit autem *Babyloni*, quia in excisione seminis regis excisa & devastata est etiam Babylo, aut per Babylonem intelligendi sunt habitatores Babylonis, quia omnes morientur in gladio patres & filii simul. *nomen & residuum*, excisio nominis id sibi vult, quòd non supererit ei quidquam, cujus causa commemoretur nomen ejus, vel שאר significat *propinquum*, veluti *Quisque ad omnem propinquum carnis suae*. *Lev.* 18. *v.* 6. nisi quòd hoc est cum Kametz, illud cum Tzere. נין *filium*, ונכד *& nepotem*, & ita vertit Jonatan *filium & filium filii*.

V. 23. *Et ponam eam in possessionem testudinis*: quemadmodum ait de vastatione Edom *Et possidebunt eam pelicanus atque testudo*, *Jes.* 34. *v.* 11. testudo autem appellatur Arabice قنفذ, vulgò *Tartaruga* (*a*), quae semper invenitur in locis aquarum. וטאטאתיה במטאטא השמד, verbis hisce denotantur מכבדות scopae, quibus scopatur domus, vocabulo Misnico, vocabulo verò Biblico יעים, ex illo ויעה ברד *Jes.* 28. *v.* 17. Ait igitur, sicuti purgata domo relinquitur pavimentum illius mundum, ita erit Babylo munda viris suis, gloria, substantiis, & omnibus rebus, & ipsa verritio erit everritio perditionis & corruptionis. In Verbis Magistrorum nostrorum „ Nesciebant Doctores „ nostri, quid significaret וטאטאתיה, donec audierunt famulam quamdam Arabicam dicentem sociae suae *Oskoli tatitban, watàti bàitban*, „ accipe scopas, & everte domum „ Hìc autem perficitur prophetia Babylonis, & parascia sequens est de rege Assyriae.

V. 24. *Juravit*: verbum ejus est juramentum, quia verbum ejus stabile est tanquam juramentum, idcirco ait *si non*, qua phrasi denotatur juramentum more hominis dicentis, si erit sic, non erit sic, veluti *nisi domus magnificae in desolationem erunt*, *Jes.* 5. *v.* 9. *Nisi posui & tacere feci*. *Ps.* 131. *v.* 2. *secundum quod cogitavi*, quemadmodum cogitavi de rege Assyrie. *ita fuit*, praeteritum pro futuro, ut reddit etiam Jonatan *ita erit*. *& consilium*, *secundum quod decrevi*, hoc de-

Q 2 cre-

(*a*) Vide inferius *cap.* 34. *v.* 11.

cretum stabit, quemadmodum decrevi: consilium verò est ordinatio seu directio rei, & sermo, qui habetur super ea.

V. 25. *Ad frangendum Assur*: quo tendit consilium hoc? ad frangendum Assur in terra mea, videlicet in terra Israelis, quia ibi prope Jerosolymam cecidit Assur, etenim egressus est Angelus Domini, & percussit castra ejus, ut scriptum est 2. *Reg*. 19. *v*. 35. dicit autem *& super montibus meis*, quia in circuitu Jerosolymae extant montes, & in istis erant castra Assyria. *& recedet ab eis jugum ejus*, imposuerat enim eis tributum, & subegerat universam terram praeter Jerosolymam, ut scriptum est.

V. 26. *Hoc consilium*: ait *super universam terrram*, itemque *super universas gentes*, quia rex Assyriae subegerat universas terras, eratque timor ac terror ejus super omnibus gentibus; quum autem fuisset manus Domini extenta super eum, & percussisset eum, trepidaverunt omnes gentes, ac timuerunt a Domino, & viri Aethiopiae & Aegypti, conspecta cede regis Assyriae, coluerunt Dominum, & timuerunt ab eo: sicut scriptum est *erit Altare Domino in medio terrae Aegypti*: *Jes*. 19. *v*. 19.

V. 27. *Quando Dominus*: quando Dominus aliquid vult, nemo irritum faciet consilium ejus: quod quum ita sit, verbum ejus stabile est, & quemadmodum indixit per Prophetas suos, ita erit, & ita subsistet.

V. 28. *In anno quo mortuus est rex Achazus*: prophetia haec de Philisthaeis edita fuit, quando mortuus est Achazus, & regnavit Ezechias; ait igitur veluti coram Philisthaeis

V. 29. *Ne laeteris Palaestbina tota tu*, sicut laetata es usque modo, ex quo obiit Ozias, qui erat virga percutiens te, ut habetur in Verbis dierum *Et egressus est & pugnavit contra Philistbaeos, & disrupit murum Gath & murum Jabne & murum Asdod, & aedificavit civitates in Asdod & in Palaestbina*. 2 *Par*. 26. *v*. 6. mortuo vero Ozia, laetati sunt Philisthaei, & oppresserunt Jerosolymam, ut scriptum est ibidem *Et Philistbaei diffuderunt sese per civitates planiciei & ad meridiem Jehudae, & ceperunt Beth=Semes & Ajalon & Gaderoth & Soco cum vicis suis, & Tamnam cum vicis suis, & Gimzo cum vicis suis, & habitaverunt ibi*: 2. *Par*. 28. *v*. 18 Quum autem mortuus esset Achazus, & regnavisset Ezechias, dixit Propheta, ne laeteris Palaestina, quoniam ecce surrexit is, qui percutiet te, & ipse est ex semine illius, qui aliàs te percussit. *serpentis*, parabola Oziae, qui percussit Philisthaeos eo modo, quo serpens percutit & interficit. Jonatan vertit *quoniam de filiis filiorum Issai egredietur Messias*, nimirum interpretatur נחש de Issai, qui sic appellatus est, ut scriptum est *qui venit ad Abigail filiam serpentis* 2. *Sam* 17. *v*. 25. *basiliscus & hydrus volans* (*a*), hoc dictum est de Ezechia, quasi dicat, hic tibi

(*a*) Hujusmodi animal dicitur *volans*, quia vespertilionum instar membranaceas

tibi erit durior, quàm Ozias, ficuti basiliscus & hydrus duriores sunt, quam serpentes. *volans*, h. e. subsiliens de loco in locum: Jonatan vertit *& erunt opera ejus in vobis sicut coluber volans*. Dicit autem *tota tu* ob magnitudinem laetitiae, qua laetati sunt in morte Oziae. Ezechias verò percussit Philisthaeos, ut scriptum est in libro Regum *Ipse percussit Philisthaeos usque ad Azam & fines ejus, a turre custodum usque ad civitatem munitionis*. 2. *Reg*. 18. *v*. 8.

V. 30. *Et pascentur primogeniti tenuium*: Israelitae, quibus fuit usque modo primogenitura & portio magna in tenuitate (*a*), nunc pascentur huc & illuc, quia non erit eis timor ab inimicis suis, sed confidenter cubabunt: assimilat autem eos pecoribus pascentibus in deserto absque timore, quia dum ipsorum inimici dominabantur eis, non exibant e civitatibus suis munitis, at modò egredientur in quemlibet locum absque timore, ac saturabuntur bonis populorum. *& interire faciam in fame radicem tuam*, hi pascentur, vos autem moriemini fame: ait *radicem tuam* de congregatis in civitatibus munitis. *& reliquias tuas*, superstites ex fame, nimirum qui non morientur fame. *occidet*, scilicet Ezechias: dicit autem *& interire faciam*, quod est dictum Israelis, deinde ait *occidet*, quia id, quod faciet Ezechias, erit opus Dei, etenim auxilio ejus fecit id, quod fecit.

V. 31. *Ulula porta, clama civitate*: i. e ulula super porta, & clama super civitate ob contritionem magnam, quae venit super te, & ita vertit Jonatan *Ulula super porta tua, clama super civitate tua. dissoluta Palaesthina tota tu*, dissoluta & contrita es Palaesthina tota tu: dicit autem נמוג in genere masculino; & הילילי , זעקי in genere foeminino; masculeum refertur ad populum, foemineum ad congregationem. *nam ab Aquilone fumus venit*, scilicet ultio, quae est sicut fumus: dicit autem *ab Aquilone* de terra Israelis, eoquod sit Aquilonaris respectu terrae Philisthaeorum. *& non erit solitarius in temporibus ejus*, in temporibus, quae praescribet Ezechias eundi gratia ad pugnandum contra Philistaeos, non erit inter Israelitas, qui remaneat solitarius apud se, quin eat cum exercitu, immo omnes ibunt cum laetitia; & ita vertit Jonatan *& non erit qui moram faciat in temporibus suis*.

V. 32. *Ecquid respondebit legati gentium?* quisque ex legatis gentium euntibus in legationem de terra ad terram, si quando interrogabunt

ceas habet alas: denominatio verò est a verbo שרף *exurere*, quia non tantùm veneno dentium, sed & solo halitu exurit, & flammas ex ore spargit. Serpentes isti ex Lybia & Arabia quotannis in Aegyptum volant, & ab iisdem scribunt Hebraei morsos fuisse in deserto Israelitas. Bochartus ponit in hydrarum specie fretus auctoritate Herodoti, qui in Thalia, ubi de illis loquitur, ita scribit Τῶ δὲ ὄφιος ἡ μορφὴ ὅκωσπερ τῶν ὑδρῶν, *hujus verò serpentis forma est qualis hydrarum*.

(*a*) Videlicet qui fuerunt usque modo tenuissimi ac paupertimi.

bunt eum de novitatibus, quid respondebit? respondebit Dominum fundasse Tzionem, regnante Ezechia, qui fuit Tzioni, sicut fundamentum aedificio; cogitabat enim rex Assyriae devastare eam, sed oravit Ezechias, & exaudivit eum Deus per Jesaiam Prophetam, & ait *non jaciet illuc sagittam, neque praeoccupabit eam clypeo, neque effundet juxta eam aggerem*, 2. *Reg.* 19. *v.* 32. insuper ait *& protegam urbem hanc, ut servem eam cit. loc. v.* 34. *& in ea sperabunt afflicti populi ejus*, omnes civitates Jehudae munitae captae fuerunt, ista verò relicta fuit, in qua speraverunt (vel, in quam se receperunt) Israelitae.

JESAIAE CAP. XV.

1. ONus *prophetia onerosa* Moab: quia in nocte vastatus est Ar Moab, excisus est; quia in nocte vastatus est Kir Moab, excisus est. 2. Ascendit domum & Dibon *in* excelsa ad fletum: super Nebo & super Medba Moab ululabit; in omnibus capitibus ejus calvitium, omnis barba succisa. 3. In plateis ejus accinxerunt se sacco: super tectis suis & in foris suis tota ipsa ululabit descendens in fletum. 4. Et clamavit Chesbon & Elale, usque ad Jahatz audita est vox eorum: quare expediti Moab clamabunt, anima ejus vociferata est sibi. 5. Cor meum ad *propter* Moab clamabit, fugitivi ejus usque ad Tzoar vitulam trimam: quia in ascensu Luchit in fletu ascendet ad eam; quia *in* via Choronaim clamore contritionis conterent se. 6. Nam aquae Nimrìm desolationes erunt: siquidem aruit herba, defecit gramen, olus non fuit. 7. Ideo abundantiam, *quam* fecit, & praefecturam *substantias* eorum ad torrentem salicum deferent. 8. Quoniam circuivit clamor terminum Moab: usque ad Eglaim ululatus ejus, & Beer=Elim ululatus ejus. 9. Quoniam aquae Dimon repletae sunt sanguine, ponam enim super Dimon additiones: evasioni Moab *immittam* leonem, & residuo terrae.

COM-

COMMENTARIUS.

V. 1. *Onus Moab*: prophetia haec est de ultione Moabitarum: dicit autem Propheta, noctu venturam eis vastationem adhuc dormientibus, ne eripiantur ab ea. Ait בליל juxta formam conjunctionis, quia fortasse deest conjunctum, videlicet in nocte tali, aut ponitur conjunctum pro separato, veluti *ad Regem Ezechiam cum exercitu gravi*: 2. *Reg.* 18. *v.* 17. נדמה excisus est. *vastatus est*, & *excisus est* sunt dictiones diversae, sed significatio eadem: dicit *vastatus est*, & *excisus est*, & *ascendit* in praeterito pro futuro, more prophetiarum. *Ar Moab* est civitas Moabitarum, cui nomen *Ar*, & conjungitur cum *Moab*, quia fortasse extitit civitas alia ejusdem nominis, haec autem Chaldaicè dicitur *Lachajath*. Fortasse *Ar* eadem est ac Aroer, quae pertinent ad Moabitas, illud enim *Ex Aröer usque ad littus fluminis Arnon*, *Deut.* 2. *v.* 36. *&* 4. *v.* 48. Targum Jerosolymitanum reddit *a Lachajath*, *quae est ad extremitatem fluminis Arnon*. Alii interpretantur ער pro עיר: Jonatan verò reddit *& ipsis dormientibus*, nimirum interpretatur נדמה in significatione silentii, quando enim quis dormit, silet. *Kir*, haec etiam est urbs pertinens ad Moabitas, cui nomen Kir, & ita scriptum est *& Aramiam de Kir*. *Amos.* 9. *v.* 7. *& deportabuntur populus Aramiae in Kir*, *Amos.* 1. *v.* 5. haec autem erat Moabitarum, idcirco ait *Kir Moab*, Jonatan vertit *arx Moabitarum*.

V. 2. *Ascendit Domum & Dibon*: ascenderunt Moabitae in domum, h. e. in templum Idololatriae. *& Dibon*, nomen arcis, ubi pariter erat templum Idololatriae, ad quae, quum venerint inimici contra eos repentè, ascendent in fletu, ut ubi fleant coram Idolis suis, & ut plangant, & ut scindant vestimenta sua, quo misereatur ipsorum flacciditas Deorum suorum. idque secundum eorum opinionem. *super Nebo & super Medba ululabit*, quia subjicierunt eas hostes; quare inducent capitibus suis calvitium, & succident barbas suas. Utitur autem vocabulo succisionis in barba, & vocabulo calvitii in capite, quia sic mos est evellere capillos capitis ob moerorem magnum, & ob luctum succidere, i. e. radere barbam, barba enim, quae crevit, est ornamentum faciei, sed propter luctum auferunt ornamentum, & ita dictum est *rasi barba & scissi vestibus*, *Jer.* 41. *v.* 5. Animadvertendum autem est, quòd non dixit *rasa*, sed *succisa*, idque ad ignominiam. *in omnibus capitibus ejus calvitium*, hic tantummodo videtur ראשי cum Cholem super Resc in numero plurali.

V. 3. *In plateis ejus .... super tectis suis & in foris suis*: h. e. palam accingentur sacco, ululabunt & flebunt: quando loquitur in numero singulari, respicit universale seu totum, quando verò loquitur in

in numero plurali, respicit particulares. *descendens in fletum*, quasi totum ejus corpus descendat ac stilletur in fletum, quod est per modum hyperboles ob magnitudinem luctus: Jonatan יורד vertit *vociferantes* ex significatione illius *vociferor in sermone meo*, *Ps.* 55. *v.* 3. quamvis non sit ex eadem radice.

V. 4. *Et clamavit Chesbon & Elale:* hae sunt urbes Moabitarum, itemque Jahatz, cujus mentio fit etiam in Lege, & extat in finibus Moabitarum, idcirco ait *usque*. *quare expediti Moabitarum*, expediti militiae, qui erant inter Moabitas, statim ac viderunt universum populum flentem, etiam ipsi vociferati sunt vociferatione plantus & ululatus unà cum illo, nec posuerunt cor suum ad pugnandum adversus hostes. *anima ejus vociferata est sibi*, ירעה ex significatione תרועה i. e. vociferationis, quamvis non sit ex eadem radice: sensus autem est, anima Moabitarum vociferata est propter se, h. e. propter calamitatem, quae obvenit ipsi.

V. 5. *Cor meum ad Moab:* loquitur Propheta in persona populi, dicet enim unusquisque ex eis sic; tribuit autem clamorem cordi metaphoricè, ob magnitudinem tumultus ejus: Jonatan vertit *In corde suo meditabuntur fugere usque Tzoar*. בריחיה utitur pronomine foemineo, quia assimilat Moabitidem vitulae trimae, i. e. vitulae magnae filiae trium annorum, quae est bona, siquidem erat Moabitis repleta omnigenis bonis, quando supervenit ei calamitas; ait igitur, quòd erepti ex Moabitis fugient usque ad Tzoar. Dicit autem עגלת cum Thau pro He, veluti *& abominatio homini derisori*, *Prov.* 24. *v.* 9. *etiam exultatione & cantando Jes.* 35. *v.* 2. *ne des intermissionem tibi Thr.* 2. *v.* 18. & similia hisce, ut scripsimus in Libro Miclol. Jonatan שלישיה interpretatur *magnam*. *Luchit* est nomen loci eminentis. Ait igitur, quando fugient, ibunt eundo & flendo, & clamabunt clamore fractionis venientis super ipsos repente. *Choronaim*, duo sunt, Choron superior, & Choron inferior. יעוערו pro יעירו, duplicatur enim prima radicalis Verbi: alii verò opinantur esse hoc in loco literarum metathesim pro ירועעו ex significatione תרועה i. e. clamoris, at juxta meam sententiam est ex significatione fractionis, sic in verbis Magistrorum nostrorum „ si deleto volumine dixisset, nolo bibere, מערערים „ אותה, scilicet frangebant & percutiebant eam, donec biberet „ & quamvis in יעוערו non duplicetur nisi prima radicalis tantùm, utrique tamen significatio eadem est. Itaque יעוערו id sibi vult, conterent se ipsos, dum clamabunt propter contritionem ipsorum, & percutient palmam ad palmam, & palmam ad femur, sicut mos est vociferantium & flentium.

V. 6. *Nam aquae Nimrim:* Nimrim est nomen fluminis, aut loci in terra Moabitidis; dicit autem *desolationes erunt*, quia quum non fuerint ibi habitatores, perinde est ac si non existant ibi aquae nec olus

nec

nec herba, etenim habitatores terrae illius partim occidentur, partim fugient.

V. 7. *Ideo abundantiam, fecit:* deest vox *quam*, videlicet *quam fecit*, & ita *populo super ea*, pro *qui est super ea*, *Jes.* 42. *v.* 5. *viam ibunt*, pro *per quam ibunt Exod.* 18. *v.* 20. *propter hoc fecit Dominus mihi*, pro *quod fecit Dominus mihi*, *Exod.* 13. *v.* 18. sensus igitur est, ideo ululabit Moab & flebit, quia divitiarum copiam, quam subjiciendo comparaverat, & praefecturam suam, omnia afferent hostes ad torrentem salicum; torrens verò salicum est torrens prope Urbem Moabitarum, ubi erant salices, veluti *& salices torrentis*. *Lev.* 23. *v.* 40. quidquid autem proferent ex urbe, afferent ad ripas torrentis istius, ubi congregabuntur omnes, & postea inter se divident spolia. Divitiae verò appellantur *praefectura*, quia homo praefectus ac praepositus est super eas: deinde repetit eamdem rem cum vocabulis diversis.

V. 8 *Quoniam circuivit clamor terminum Moab*: cirumquaque vociferabuntur ac ululabunt, & ita usque ad Eglaim & Beer=Elim, quae sunt civitates Moabitarum in finibus, aut proximae finibus.

V. 9. *Quoniam aquae Dimon*: Dimon est nomen fluvii in urbibus Moab, & ait, quòd propter sanguinem interfectorum impletae sunt aquae fluminis sanguine. *ponam enim*, dictum Dei, ait *ponam enim super Dimon additiones*, quia erit sanguis additus super aquas fluminis. נוספות in genere foeminino significat aquaeductus, vel scaturigines ex sanguine additas super flumen, ibunt enim hinc & inde ad flumen rivi & canales sanguinis. *evasioni Moab leonem*, illis, qui evaserint ex hostibus adveniet leo, qui occidet eos. *& residuo terrae*, repetit eamdem rem cum vocabulis diversis. *terrae*, scilicet terrae Moabitarum. Alii per Leonem intelligunt Nebucadnetzarem, qui assimilatus fuit leoni, ut dictum est *Ascendit leo ex perplesso vepreto suo*, *Jer.* 4. *v.* 7. nimirum quòd vastatio prior ea erit, qua vastabit eos Sancheribus, id autem, quod supererit, vastabit Nebucadnetzar, & ita vertit Jonatan *rex cum exercitu suo ascendet*.

JESAIAE CAP. XVI.

1. MIttite agnum *ad* Dominatorem terrae de Petra deserti: ad Montem filiae Tzionis. 2. Et erit, sicut avis vagans, *&* *sicut* nidus ejectus, *sic* erunt filiae Moab ad vada Arnon. 3. Affer consilium, facite judicium, pone quasi noctem umbram tuam in medio meridiei: absconde expulsos, vagantem ne reveles. 4. Habi-

tent in te expulsi mei, Moab sis latibulum eis a facie vastantis: quoniam defecit emulsor, desiit vastator, consumpti sunt *consumptus est* conculcans de terra. 5. Et stabilietur in misericordia thronus, & sedebit super illum in veritate in tabernaculo Davidis: judicans & quaerens judicium, & festinus justitiae. 6. Audivimus superbiam Moab, superbus *est* valde: superbia ejus & extollentia ejus & excandescentia ejus, non rectum mendacia ejus. 7. Idcirco ululabit Moab ad Moab, totus ipse ululabit: ob fundamenta Kir=Chareset gemetis, verumtamen attriti. 8. Quoniam vites Chesbon, desolata vitis Sibmae, Domini gentium contriverunt optimas vites ejus; usque ad Jaazer pervenerunt, erraverunt per desertum: emissiones ejus extenderunt se, transierunt mare. 9. Idcirco plorabo in fletu Jaazer, *in fletu* vitis Sibmae, irrigabo te lachrymâ meâ Chesbon & Elale: quoniam super aestivos fructus tuos, & super messem tuam celeusma cecidit. 10. Et congregabitur *consumetur* laetitia & exultatio a Carmelo, & in vineis non cantabitur, non fiet clamor: vinum in torcularibus non calcabit calcans, celeusma cessare feci. 11. Ideo viscera mea ad Moab ut cithara tumultuabuntur *sonabunt*: & intestinum meum ad Kir=Chares. 12. Et erit quando videbitur, quòd laboraverit Moab super excelsum: & ingredietur in Sanctuarium suum ad orandum, sed non poterit. 13. Hoc *est* verbum, quod loquutus est Dominus ad Moab ex tunc. 14. Et nunc loquutus est Dominus dicendo, in tribus annis tanquam annis mercenarii & vilescet gloria Moab in universa multitudine multa: & residuum parvum pusillum non validum.

COM-

COMMENTARIUS.

V. 1. **M***ittite agnum* : scriptum habetur in Regibus *Et Mesaa rex Moab erat pecuarius, & reddebat regi Israelis centum millia agnorum, & centum millia arietum cum lana. Et fuit quum mortuus esset Achabbus, defecit rex Moab in regem Israelis. 2. Reg. 3. v. 4. & 5.* ideo ait Propheta *Mittite agnum*, nimirum eos ipsos agnos & arietes, quos mittebatis in tributum ad regem Israelis, contra quem desciviſtis, debetis modò mittere ad regem Jehudae, ut solitum tributum, neque enim venisset super vos ista calamitas, si fecissetis ita. Dicit autem *de Petra deserti*, quia haec est Metropolis regni Moabitici; pariter ait *ad Montem filiae Tzionis*, quia haec est Metropolis regni Israelitici: quum igitur non sit amplius rex in Somerone, debetis mittere in Tzionem ad regem Jehudae. Fortasse verò *Mittite* habet sensum temporis futuri, quasi dicat, quoniam nunc humiliabitur regnum vestrum (siquidem devastabit vos rex Assyriae) desinetque superbia vestra, tributum, quod initio mittebatis ad regem Israelis, mittetis ad Ezechiam regem Jehudae, qui erit rex justus ac potens in regno suo, & procumbetis coram eo, & offeretis ei tributum.

V. 2. *Et erit, sicut avis vagans*: erit Moab sicut avis vagans e nido suo, & sicut nidus (*a*) pullorum avium emissorum e nido suo, quibus non est locus ad quiescendum, ita erunt filiae Moab, i. e. pagi Moabitarum, veluti *in Chesbon & in omnibus filiabus ejus, Num. 21. v. 25.* omnes istos transire facient ad Arnon, & adducent in captivitatem: Arnon autem est terminus Moabitarum.

V. 3. *Affer consilium, facite judicium:* הביאי scribitur cum Vau, sed legitur cum Jod, עשי scribitur cum Jod, sed legitur cum Vau, significatio verò eadem est, etenim quando loquitur in genere foeminino, tunc alloquitur congregationem, quando autem loquitur in genere masculino, tunc alloquitur populum. Ait igitur, debebas inire consilium, ut faceres judicium in te ad liberationem Israelis, qualia enim & quanta fecit Abrahamus ad liberationem Loti? praeterea debebas custodire misericordiam filiis ejus, denique debebas ponere umbram tuam quasi noctem in meridie; quod dictum est metaphoricè ad denotandum, quòd debebant abscondere Israelitas illos, qui fugiebant a facie inimici per terram ipsorum. Comparat autem angustiam inimici calori meridiano, eoquod angustia est homini, quando stat ad calorem solis in meridie, calor enim in meridie est in vehementia sua, & liberatio ab eo est umbra. Dicit autem *quasi noctem*, quia ea tota est umbra, & vult dicere, umbram magnam sicut umbram noctis debebas

R 2 exten-

(*a*) Bifariam hic versus reddi potest, vel ut habetur in textu, vel *Et erit sicut avis vagans e nido emissa &c.*

extendere super eos, i. e. latibulum magnum, quo tegeres & abscondere eos ab hoste, ne inveniret illos. *absconde expulsos, vagantem ne reveles*, repetit eamdem rem ad roborandum.

V. 4. *Habitent* (a) *in te expulsi mei*: pronomen possessivum refertur ad Deum: quando Israelitae fuerunt expulsi e terra sua, & transibant per terram tuam, justum erat, ut commorarentur & manerent in te, & ut esses illis latibulum a facie vastatoris, i. e. Sancheribi. *Moab* est casus Vocativus, veluti *Moses Moses. Exod.* 3. *v.* 4. *quoniam defecit emulsor*, debebas abscondere illos, quoniam ecce nunc defecit is, qui vastabat eos, & qui emungebat omnia bona eorum, & qui conculcabat terram eorum, omnes isti defecerunt; idque ait de caede Sancheribi in Jerosolyma. שור est adjectivum participiale pro שורד, veluti *recreans vastatorem super robustum Amos.* 5. *v.* 9. ait igitur, quod illi eripientur a vastatore, & stabilietur in misericordia thronus regi Ezechiae, Moabitae verò exterminabuntur, & veniet super eos adhuc vastator post vastatorem, & humiliabuntur a superbia sua, idque est, quod ait inferius *Audivimus superbiam Moab &c. v.* 6.

V 5. *Et stabilietur in misericordia thronus*: thronus Ezechiae erit stabilis in misericordia, quam faciet, & ita *sedebit super illum in veritate*, i. e. in veritate, quam faciet, ut scriptum est *& fecit bonum & rectum & veritatem in conspectu Domini Dei sui.* 2. *Par.* 31. *v.* 20. vel sensus est, in ipsa misericordia & veritate, ut sperare fecit Deus Davidem dicens *& misericordiam meam non removebo ab eo*, 1. *Par.* 17. *v.* 13. pariter *Misericordiam autem meam non faciam irritam, neque mentiar contra fidem meam. Ps.* 89. *v.* 34. *in tabernaculo Davidis*, vult dicere Domum regni Davidis. Erit autem iste rex judicans & quaerens judicium, & festinus justitiae, h. e. judex qui judicabit judicium justitiae in domo sua omnibus venientibus ad conspectum suum; inquiret ac percontabitur etiam super iis, qui non venient ad conspectum suum, nimirum inquiret judicium pauperum & oppressorum, licèt non clament ad ipsum. *& festinus justitiae*, scilicet expeditus & promptus ad faciendum opus rectitudinis & justitiae.

V. 6. *Audivimus*: dictum Prophetae in persona gentium, quae ita dictitabunt de Moabitis, audivimus gloriaros esse valde Moabitas, dum adhuc essent in tranquillitate, ac prosperitate sua: replicat autem pluribus vicibus vocabulum superbiae ad exprimendam magnitudinem superbiae. גא pro גאה, ex qua voce excidit tertia radicalis Verbi. *& excandescentia ejus*, quia irascebantur & excandescebant pro nihilo adversus gentes vicinas ipsis ob nimiam superbiam. *non rectum mendacia ejus*, non veritas & firmitas mendacia ejus, nimirum verba, quae loquebantur in superbia sua, non subsistent, nunc enim superveniet eis calamitas, & ita *Rectum filiae Tzelophchad loquuntur, Num.* 27. *v.* 7. בדיו juxta illud *gladius ad mendaces, & insanient*: *Jer.* 50. *v.* 36.

V. 7.

(a) גור propriè significat *habitare in loco peregrino*, ut hic.

V. 7. *Idcirco ululabit*: Moabitae superstites flebunt ac ululabunt propter interfectos. *ob fundamenta Kir = Chareset*, אשישי significat fundamenta, veluti *ceciderunt fundamenta ejus*, *Jer.* 50. *v.* 15. item Aramicè *& fundamenta componunt*. *Ezr.* 4. *v.* 12. per fundamenta verò hìc metaphoricè intelliguntur optimates Moabitarum eorumque magnates. *gemetis verumtamen* (*a*) *attriti*, vos attriti, qui supereritis, gemetis, veluti *gemam ut columba Jes.* 38. *v.* 14. *attriti*, veluti *& attritum corde*. *Ps.* 109. *v.* 16. *Kir = Chareset* nomen unius ex civitatibus Moabitarum.

V. 8. *Quoniam vites*: שדמות vites, veluti *et ex vitibus Amorae Deut.* 32. *v.* 32. totus hic versus est de vite. *domini gentium*, i. e. reges gentium. שרוקיה veluti *Et ego plantavi te optimam vitem Jer.* 2. *v.* 21. nimirum significat optimam ex vitibus, & scribitur cum Vau simulque cum Daghesc. *emissiones ejus*, rami vitis, qui sese dilataverunt. *extenderunt sese*, adeo se expanderunt, ut transierint mare, & ita illud והנה נטושים *& ecce extensi* 1. *Sam.* 30. *v.* 16. Versus autem hic est metaphora Moabitarum, qui partim interficientur, partim ibunt in exilium, & *vites* est metaphora vulgi, *vitis optima* est metaphora Principum; & ita Jonatan שדמות reddit *castra* (*b*), גפן *turba*, בעלי גוים *reges populorum occiderunt dominatores eorum*, שלוחותיה *profugi eorum transfretaverunt*, *transierunt mare*.

V. 9. *Idcirco plorabo*: dictum Prophetae in persona Moabitarum. *vitis Sibmae*, i. e. in fletu vitis Sibmae, nam illud *in fletu*, quod semel dixit, intelligitur repetitum. *irrigabo te lacryma mea*, alloquitur Chesbon & Elale dicens, irrigabo te lacryma mea, quod est per hyperbolen, proinde ac si lacryma sit instar pluviae, quae irrigat terram: vox אריוך est ex conjugatione dagheffata, & Jod est secunda radicalis Verbi, Vau tertia. *quoniam super aestivos fructus tuos*, *& super messem tuam celeusma cecidit*, in tempore fructuum aestivorum venerunt super eos inimici: celeusma significat clamorem, quo clamant praedatores, dum irruunt in aliquam civitatem repentè, item est vox calcantium, sicut scriptum est *celeusma veluti calcantium resonabit*, *Jer.* 25. *v.* 30. קיצים significat fructus aestatis virides & aridos.

V. 10. *Et congregabitur*: quodammodo congregabitur de loco illo in locum alium laetitia & exultatio: dicit autem ונאסף in genere masculino, licèt nomen שמחה conjunctum ei sit generis foeminini, quia

(*a*) Licèt dictio אך in media sententia ferè Exclusiva fit, tamen hic non malè reddes *omnino*: potest etiam sic verti *ob fundamenta Kir-Charesct gemetis*, *qui tantùm attriti remansistis*.

(*b*) Ne cui nimis aliena videatur allegoria ista, animadvertendum est, quòd vox שדמות non solùm *vites*, sed etiam *agros* & *arva* significat.

quia subintelligitur דבר i. e. *verbum* vel *negotium*, quasi dicat, omne verbum laetitiae congregabitur ex Carmelo; Carmelus verò significat locum agrorum sationis, & arborum fructus. Possumus etiam interpretari ונאסף in significatione consumptionis, ex illo *consumendo consumam eos Jer.* 8. *v.* 13. & similia huic. *non cantabitur*, *non fiet clamor*, solent homines gaudere cantare ac vociferari cum laetitia in vindemia in messe atque in collectione fructuum, ut scriptum est *juxta laetitiam in messe*, *Jes.* 9. *v.* 3. at in vineis Moabitarum non erit gaudium, neque audientur cantiones, quia deportabuntur de terra sua, & erit terra ipsorum desolata. *non calcabit*, habita ratione finis, veluti *& mole farinam Jes.* 47. *v.* 2. *coxi super carbones ejus panem*, *Jes.* 44. *v.* 19. celeusma verò est clamor calcantium cum laetitia.

V. 11. *Ideo*: dictum Prophetae in persona Moabitarum. *viscera mea*, & *intestinum meum* est repetitio ejusdem rei cum vocabulis diversis, nam intestinum idem est ac viscera: Jonatan וקרבי vertit *& cor eorum*, cor enim comprehenditur in intestinis. *& Kir=Chares*, ea est Kir=Charesset, cujus mentio facta est superius *v.* 7.

V. 12. *Et erit quando videbitur*, *quòd laboraverit*: quando videbitur populo se esse lassum a plorando in excelsis, ut ait supra *in excelsa ad fletum*: *cap.* 15. *v.* 2. tunc erubescet stare illic in excelsis, & ingredietur in Sanctuarium suum, i. e. cupiet ingredi domum Sanctuarii sui, videlicet domum Dei sui, deprecandi gratia, si forte ipsi prosit, verùm non poterit ire propter lassitudinem ex fletu, & ita vertit Jonatan *ad Sanctuarium suum*, *ad domum Idoli sui*.

V. 13. & 14. *Hoc verbum*: prophetia haec de Moabitis dicta fuit aliquot annis ante hunc, sed nòn praefixit ei tempus, nunc verò repetit eam, & determinat ei tempus, scilicet *in tribus annis tanquam annis mercenarii & vilescet gloria Moab*, quasi dicat, adhuc tres anni praecisi sicut dies mercenarii, qui subtiliter computat tempus suum, nec addit quidquam super illud, ita superveniet calamitas Moabitis post tres annos praecisos, & eorum gloria convertetur in ignominiam, scilicet eorum gloria praesens, & superbia ob universam multitudinem magnam, est enim eis populus multus, divitiaeque multae, omnia ista finient. *& residuum parvum pusillum*, repetitio fit ad denotandam paucitatem. *non validum*, non erit ultra validùm & potens, quemadmodum fuit. In Deras „ *quod loquutus est Dominus ad Moab ex* „ *tunc*, Quando Balakus mercede conduxit Bileamum, tunc decisum „ fuit decretum hoc contra Moabitas „ In Seder=Olam „ In anno, „ quo venit Tartanus in Asdod, quando misit eum Sargon rex As- „ syriae, inundavit Ammonitas & Moabitas, qui suppetias ei tulerant, „ quum obsideret Someronem, per tres annos, ad confirmandum id „ quod dictum fuit *tribus annis tanquam annis mercenarii & vilescet* „ *gloria Moab* „ quasi dicat, quia auxiliati sunt regi Assyriae per tres annos adversus Someronem, fuerunt quodammodo mercenarii, idcirco cadent in manum ejus, cui vilia habebitur ipsorum gloria.

JE-

JESAIAE CAP. XVII.

1. ONus *prophetia onerosa* Damasci: ecce Damascus
remota a civitate, & erit acervus ruinae. 2. De-
relictae civitates Aröer: gregibus erunt, & accubabunt, &
non erit exterrens. 3. Et cessabit munitio ab Ephraimo,
& regnum a Damasco & residuo Aramiae: *hi* sicut gloria fi-
liorum Israelis erunt, dixit Dominus exercituum. 4. Et
erit in die illa, attenuabitur gloria Jaacobi: & pinguedo
carnis ejus emaciabitur. 5. Et erit sicut colligit messor se-
getem, & brachium ejus spicas metit: & erit sicut qui
legit spicas in valle Gigantum. 6. Et relinquetur *relin-
quentur* in eo racemi, ut *post* excussionem oleae, duae
vel tres baccae in summitate rami: quatuor *aut* quinque
in ramis ejus valde fructificantis, ait Dominus Deus Israe-
lis. 7. In die illa aspiciet homo ad Factorem suum: &
oculi ejus ad Sanctum Israelis respicient: 8. Et non aspi-
ciet ad Altaria operis manuum suarum: & quod fecerunt
digiti sui non respiciet, & Lucos & Statuas subdiales. 9.
In die illa erunt civitates roboris *munitionis* ejus sicut de-
relictio frondis & rami summi, *& sicut derelictio*, qua de-
reliquerunt *Cananaei terram suam* a facie filiorum Israelis:
& erit desolatio. 10. Quia oblita es Dei salutis tuae, &
Petrae fortitudinis tuae non recordata es: ideo plantabis
plantationes amoenitatum, & palmitem alieni inseres.
11. In die plantationis tuae cresces, & in mane semen
tuum efflorescere facies: commotio rami in die aegrae, &
doloris desperati. 12. Vae multitudini populorum multo-
rum, *qui* ut tumultuantur maria tumultuabuntur: & tu-
multui nationum, *quae* instar strepitus aquarum vehe-
mentium strepent. 13. Nationes sicut sonitus aquarum
multarum resonabunt; & increpabit eum, & fugiet e lon-
ginquo: & persequutionem patietur sicut gluma montium
a facie venti, & sicut globus a facie turbinis. 14. Circa
tem-

tempus vesperae, & ecce conturbatio; antequam sit mane, & non erit ipse: haec est pars praedantium nos, & sors diripientium nos.

COMMENTARIUS.

V. 1. ONus: prophetia haec pertinet ad Damascum, quae devastabitur, rex enim Assyriae vastavit eam, ut scriptum est, & postea vastavit etiam Someronem: ideo commemorat vastationem Someronis in hac prophetia, quia duo reges Retzinus rex Aramiae & Phekachus filius Remaliae rex Israelis convenerunt ad pugnandum contra Jerosolymam; ideo, inquam, commemorat vastationem Israelis, h. e. regni Ephraimi in prophetia hac. *remota a civitate*, removebitur, ne sit urbs. *& erit acervus ruinae*, quia demolientur eam, ideo erit acervus lapidum. Meminit autem Damasci, quia erat caput regni, ut ait *Quoniam caput Aramiae Damascus*, *Jes. 7. v.* 8.

V. 2. *Derelictae civitates Aroer:* fortasse fuit in Aramia urbs aliqua, cui nomen Aroer, fuitque civitas magna, ideo conjungit ei civitates alias minores dicens *civitates Aroer*; & quamvis inter civitates Moabitarum fuerit Aroer, ea nimirum, quam subjecerunt Israelitae, fuit tamen etiam inter civitates Damasci civitas, cui nomen Aroer, ut scriptum est *usque ad Aroer, quae in oculis meis magna*. *Jehos.* 13. *v.* 25. In Midras „ Dum loquitur de Damasco, proclamat etiam de „ Aroer, quia fuerunt in Damasco plateae juxta numerum dierum „ solis, & in unaquaque erat Idolum, & unumquodque colebant in „ die suo, Israelitae verò colebant omnia in singulis diebus, ideo meminit ruinae Aroer, quae est in Israele, eodem tempore, quo loquitur de ruina Damasci „ *gregibus erunt*, devastabuntur, & erunt in desertum pecudum.

V. 3. *Et cessabit munitio*: scilicet Someron, quae erat munitio Ephraimi, & caput regni ejus. *& regnum a Damasco*, etenim Rex Assyriae interfecit Retzinum Regem Aramiae, & vastavit Damascum. *& residuo Aramiae*, quia mentionem fecit Damasci, ideo ait, non Damascus tantummodo, sed etiam residuum Aramiae migrabunt, sicut gloria Israelitarum, ita migrabit gloria eorum, etenim utrique migraverunt in tempore eodem per manus Regis Assyriae.

V. 4. *Et erit in die illa*: scilicet in tempore, quo deportatae sunt decem Tribus, quae erant gloria Jaacobi. ידל significatio attenuationis & paupertatis, quod est contrarium gloriae, quia cum divitiis conjuncta est gloria. *& pinguedo carnis ejus emaciabitur*, parabola divitiarum & gloriae eorum, quae ablatae fuerunt; macies autem est contrarium pinguedini.

V. 5.

V. 5. *Et erit sicut colligit messor*: quemadmodum messor colligit segetem, & metit eam singillatim, neque relinquuntur nisi spicae paucae, una hic & altera illic, ita faciet Rex Assyriae in Israele, etenim deportabit eos, neque relinquentur in decem Tribubus nisi pauci dispersi in terra, & etiam ex istis capiet & colliget, quos invenerit. קציר est nomen adiectivum juxta formam שריד & פליט. *& brachium ejus spicas metit*, geminat rem cum vocabulis diversis. *& erit sicut qui legit spicas in valle Gigantum*, hic hostis colliget Israelitas fugientes, sicut qui legit spicas, unam hic alteram istic, ita colliget hostis eos, qui invenientur ex illis fugientibus. Verùm ubi colliget eos? in valle Gigantum, & in caeteris locis; sed facit mentionem vallis Gigantum, quia haec est propè Jerosolymam, & Rex Assyriae cepit, & occupavit quidquid erat extra Jerosolymam. Vallis Gigantum memoratur etiam in Libro Jehosuae *quae in extremitate vallis Gigantum Aquilonem versus cap.* 18. *v.* 16. sic appellatur vallis ista, quia fortasse fuit Anakitarum. (*a*)

V. 6. *Et relinquetur*: dicit hoc de habitatoribus Jerosolymae, qui fuerunt adinstar racemorum respectu caeterorum Israelitarum, qui fuerunt multi, ipsi verò pauci, tanquam racemi, habita relatione ad illos. כנוקף זית, i. e. ut post excussionem oleae, quia in olea paucae relinquuntur baccae, quae non deciderunt in tempore excussionis; istae verò sunt, quae ramanent in vertice summi rami, quas non assequitur manus excutientis, ut dejiciat eas, אמיר enim dicitur ramus excelsus: ita quicumque fuerint in Jerosolyma, quae sita est in altiori ac eminentiori situ terrae Israelis, non assequetur eos manus Regis Assyriae.

V. 7. *In die illa* ישעה, videlicet *aspiciet*, aut *sperabit*. על pro אל, si sensus Verbi ישעה est *aspiciet*, etenim Rex Ezechias convertit in melius Israelitas, & abstulit idololatriam e domo Sanctuarii, ac e terra, & erudivit & docuit eos, Dominum esse Deum, & ipsum necesse esse colere, ac sperare in eo: idque est, quod ait *ad Factorem suum*, ut intelligant Deum esse factorem hominis, ejusque formatorem, & ipsum esse Sanctum Israelis, eoquod sanctificavit Israelitas, & separavit eos a populis, ut essent ei, & ut colerent eum solummodo.

V. 8. *Et non aspiciet ad altaria operis manuum suarum*: non dixit *ad altaria opus manuum suarum*, nam altaria omnia sunt opus manuum hominis, sed altaria conjunxit operi manuum ejus, quia opus manuum ejus sunt Idola, quibus ipse facit altaria, simulque colit super illis Deum; & quamvis veniat conjunctio cum He demonstrationis, id tamen non obstat, ita enim est & in illo *super Altare Bet=El* 2. *Reg.* 23. *v.* 17. & alia similia, quemadmodum scripsimus in Libro Mi-

(*a*) *Anakitae*, vel *filii Anakitarum* ita dicti fuerunt ab ענק *Anak*, nomen proprium Gigantis celebris *Num.* 13. *v.* 22. Inde Gigantes omnes dicti sunt ענקים i. e. *Anakitae*. *Deut.* 1. *&* 2. & alibi.

clol. *& quod fecerunt*, duplicat significationem cum vocabulis diversis.

V. 9. *In die illa . . . . sicut derelictio frondis & rami summi*: עזובת est nomen substantivum, ut *& multa derelictio*, *Jes.* 6. *v.* 12. juxta formam מלוכדה. Ait, civitates munitae derelinquentur a facie hostium secundum derelictionem frondis & rami summi, quos relinquit is, qui legit fructus, ob altitudinem, & paucitatem fructuum, quemadmodum ait supra *duae vel tres baccae in summitate rami*: *v.* 6. *qua dereliquerunt a facie filiorum Israelis*, scilicet juxta derelictionem, qua dereliquerunt Cananaei terram suam a facie Israelitarum, nam illud *sicut derelictio*, quod semel dixit, stat pro duabus vicibus, etenim plures e septem nationibus fugerunt, ac deseruerunt civitates suas, quando venerunt Israelitae in terram. In Deras habetur „ Cananaeos „ declinasse a conspectu eorum, & ivisse in Aphricam: alii dicunt „ Pherizaeos declinasse„ Tali modo Israelitae deseruerunt etiam civitates munitas. Probabile verò est, quòd de istis dictum sit *& ascendit super omnes civitates Jehudae munitas*, *& cepit eas*. 2. *Reg.* 18. *v.* 13. neque opus fuit dimicare adversus illas, quia invenit eas derelictas, quum non reliquissent in ipsis nisi foeminas & pueros, idque est, quod ait *& cogitavit scindere eas sibi*. 2. *Par.* 32. *v.* 1. quasi dicat, cogitavit scindere eas cum ariete & balista, sed opus non fuit, quia invenit eas desertas. *& erit desolatio*, & erit terra desolata absque habitatore.

V. 10. *Quia oblita es*: loquitur veluti coram congregatione Israelis: quare accidit tibi totum hoc, quòd etiam civitates munitionis tuae desertae sint? quia dereliquisti Petram roboris tui, & Dei salutis tuae, qui tibi erat turris fortitudinis, teque servabat incolumem ab hostibus, oblita es, neque recordata es ejus in tempore angustiae tuae, idcirco dereliquit te in manu inimici. *ideo plantabis plantationes amoenitatum*, idcirco evenit tibi id, quia ab initio plantabas plantas amoenitatum, nunc verò palmitem alieni inseris, videlicet plantationes convertisti in alienas (quae est metaphora) quia cultum Dei magni convertisti in cultum Dei alieni. (*a*)

V. 11. *In die plantationis tuae*: ab initio, quum adhuc ambulares post Deum magnum, prosperabaris in operibus tuis, quemadmodum per similitudinem si quis plantet plantam, & crescat in die plantationis, & mane proferat germen, & floreat flos, ita fuerunt opera manuum tuarum procedentia rectè, eratque in illis benedictio multipli-

(*a*) Interpretatio, quam hic affert Kimchius, nimis distorta videtur, & aliena a structura & sensu verborum textus, quare forsan melius ita possumus interpretari hunc versum *Quia oblita es &c. ideo dum plantabis plantationes amoenitatum*, *palmitem extranei*, vel potius *pro extraneis inseres*, nam in vers. praec. sermo fit de hostium invasione, & expulsione possessorum.

plicata: nunc verò, quia corrupisti viam tuam, *commotio rami*, scil. agitabitur planta & ramus. *in die aegrae & doloris desperati*, in die, quo veniet tibi percussio magna, & dolor gravis. קציר sicut *& faciet ramum sicut planta. Job.* 14. *v.* 9. Dicit autem *plantabis*, *inseres eum*, *plantationis tuae*, *semen tuum*, quia germinans germinat duobus modis, per plantationem, & per sationem. Dicit autem *plantabis* in genere foeminеo, simulque dicit *inseres* in genere masculeo, quia ita mos est Scripturae, quando loquitur ad populum, modò in genere masculino, modò in genere foeminino; quando loquitur in genere foeminino, sermo dirigitur ad congregationem, quando verò loquitur in genere masculino, sermo refertur ad populum. (*a*)

V. 12. *Vae multitudini populorum*: הוי pro אוי, aut est dictio vocationis. Loquitur de militiis regis Assyriae, qui venit ad Jerosolymam cum exercitu gravi: המון & שאון idem significant, nam iterat atque triplicat rem ad roborandum significatum. Assimilat exercitum gravem aquis multis inundantibus terram, ita enim exercitus Assyrius inundavit universam terram usque ad Jerosolymam, verùm quando pervenit ad Jerosolymam, increpavit eum Deus, & fugit. Haec phrasis usurpatur etiam de mare, veluti *Et increpavit mare Suph, & siccatum est. Psal.* 106. *v.* 9. item *Quid tibi mare, quòd fugisti? Psal.* 114. *v.* 5. & ita increpavit Deus exercitum Assyrium, & interfecit multos ex eis in increpatione sua, qui verò relicti sunt, fugerunt, & Rex quoque fugit. Dum verò dicit *e longinquo*, quum dicendum potius esset *in longinquum*, vult dicere, eum fugisse de Jerosolyma, & postquam etiam longè abfuit a Jerosolyma, adhuc tamen fugisse ab ipso loco licèt remoto, quia non confidebat in se, & ita dixit *Et ad petram suam prae timore transibit; Jes.* 31. *v.* 9. *& persequutionem patietur*, fugiet perinde ac si insequantur ipsum, Angelus enim Domini persequebatur eum: dicit autem *sicut gluma montium*, quia ventus insians in montibus vehementior est eo, qui inflat in planice, ac vult dicere, quòd is, qui persequebatur eum, erat fortis ac vehemens.

V. 13. *Nationes*: explicatum est in superiori.

V. 14. *Circa tempus vesperae*: sicut scriptum est *& egressus est Angelus Domini, & percussit in castris Assyriae centum octoginta quinque millium.* 2. *Reg.* 19. *v.* 35. *antequam sit mane, & non erit ipse*, sicut

S 2

(*a*) Versus hic videtur esse continuatio posterioris partis versiculi praecedentis, seu effectuum oblivionis Dei, ejusque sensum talem esse opinor *In die plantationem tuam crescere facies. & in mane semen tuum efflorescere facies: at acervus messis erit in die aegritudinis, & doloris desperati*, videl. in die, quo supervenient hostes, qui cuncta abripient. Vocem נד interpretatus sum in significatione *acervi*, ut ipse Kimchius in radice נדד, & vocem קציר in significatione *messis*.

cut scriptum est *Et surrexerunt in mane, & ecce omnes illi cadavera mortua*: 2. *Reg.* 19. *v.* 36. *haec est pars praedantium nos*, sermo Prophetae, haec est portio & sors conveniens diripientibus ac depraedantibus nos, isti autem sunt milites Assyrii, qui diripuerunt ac depraedati sunt Israelem.

JESAIAE CAP. XVIII.

1. HEu Terra umbrae alarum, quae est trans flumina Aethiopiae. 2. Mittens per mare legatos, & in vasis junci super faciem aquarum; ite nuncii leves ad gentem distractam & depilatam, ad populum terribilem ex quo fuit & ultra: gentem lineae lineae & conculcationis, cujus diripuerunt flumina terram suam. 3. Universi habitatores Orbis, & incolae terrae, quum elevabitur signum *in* montibus, videbitis, & quum clangetur tuba, audietis. 4. Quia sic dixit Dominus ad me, quiescam & respiciam in Locum meum: sicut aestus serenus post pluviam, sicut nubes roscida in aestu messis. 5. Nam ante messem *vindemiam*, quum perfectum fuerit germen, & omphax maturescens fuerit flos, tum praecidet flagella cum falcibus, & emissiones auferet amputabit. 6. Relinquentur simul avi montium, & bestiae terrae: & aestivabit super eum avis, & omnis bestia terrae super eum hyemabit. 7. In tempore illo adducetur munus Domino exercituum populus distractus & depilatus, & ex populo terribili ex quo fuit & ultra: gens lineae lineae & conculcationis, cujus diripuerunt flumina terram suam, ad Locum Nominis Domini exercituum, *ad* Montem Tzionis.

COM-

COMMENTARIUS.

V. 1. HEu terra umbrae alarum: postquam mentionem fecit salutis, quae fuit in diebus Ezechiae, adnectit ei salutem majorem, quae futura est in diebus Messiae. Dicit הוי, quae est dictio vocationis, clamat enim ad terram eam, quae est trans flumina Aethiopiae, eamque appellat *umbrae alarum* ob multitudinem navium, quae sunt in ea; etenim in expansione velorum similes sunt alis, curruntque cum illis, sicut avis volat cum alis suis, vela autem faciunt umbram, & ita vertit Jonatan *Vae terrae, ad quam veniunt in navibus de terra longinqua, & vela eorum extensa sunt, quasi Aquila, quae volat alis suis, quae est trans flumina Aethiopiae.*

V. 2. *Mittens per mare legatos*: hic est Rex, qui de regionibus, quae sunt trans flumina Aethiopiae, mittet nuncios per mare, & in vasis junci mittet eos, scilicet in navibus compactis ex juncis, quae veloces sunt ad currendum super faciem aquarum. Magister verò noster Saadias, cujus memoria sit in benedictione, ita scribit in Libro Emunot „ Eos, qui fuerint ex eis in terra Aethiopiae, attollent in „ cimbis scirpeis, donec accendant ad Aegyptum, quia in loco quo- „ dam, qui eminentior est flumine, exporrigitur mons in aquas, ubi „ non possunt scaphae transire, quin frangantur; verùm cimbae scir- „ peae cera compactae, si accedant ad montem, decidunt, neque fran- „ guntur „ צלצל כנפים significat, terras eas esse implexas ac obtectas multitudine hominum: legati verò isti sunt, quos mittet cum muneribus, itemque Israelitas, qui fuerint in terra sua, mittet pro munere, quemadmodum scriptum est in prophetia Tzephaniae *A trans flumina Aethiopiae supplices mei filia dispersorum meorum deferent munus meum. cap. 3. v. 10.* Iste rex dicet nunciis, ite nuncii leves, i. e. in navibus velocibus, ut ait *& in vasis junci*, ite, inquam, ad Israelitas, qui fuerunt usque modo gens distracta & depilata, quam distraxerunt Nationes Mundi, hae hinc, & illae istinc, & depilarunt eam; quasi dicat, quòd distractio, qua illae distraxerunt eam, fuit cum depilatione capillorum, & laceratione carnis ipsorum, videlicet corruperunt corpus ac terram ipsorum. *ad populum terribilem ex quo fuit & ultra*, scilicet a die, quo fuit in populum, fuit populus terribilis, vult dicere, quòd homines aspicient in illis mirabilia ac terribilia, quae faciebat cum eis Deus ob bonitatem vel nequitiam ipsorum; etenim ob bonitatem ipsorum prosperabat eos super quamlibet gentem, ob nequitiam verò ipsorum percutiebat eos correctionis ergo, non ad consumendos eos; & re quidem vera in omnibus distractionibus & depilationibus, quibus affecerunt eos gentes, non fuit in potestate ipsarum excidere eos, ne essent populus. *gentem lineae lineae & conculcationis*, quam scilicet paulatim conculcaverunt nationes: dicit autem *lineae*

lineae

lineae per similitudinem, sicut enim aedificator tendit filum, facitque ordinem unum, deinde tendit superiùs, ut faciat ordinem alium, & ita paulatim, donec perficiat parietem; tali modo quicumque aliquid facit, nunc facit paululum, & adhuc paululum, donec conficiat rem, & ita dixit *Nam praeceptum ad praeceptum, praeceptum ad praeceptum, linea ad lineam, linea ad lineam: parum ibi, parum ibi. Jes.* 28. *v.* 10. *cujus diripuerunt flumina terram suam*, בזאו pro בזזו, Aleph insertum est pro littera duplicata: flumina verò est parabola de regibus Nationum Mundi.

V. 3. *Universi habitatores Orbis*: quomodo faciet is, qui est trans flumina Aethiopiae, sic facietis omnes vos. *quum elevabitur signum in montibus*, quemadmodum ait *Et elevabit signum gentibus, & colliget expulsos Israelis: Jes.* 11. *v.* 12. *& quum clangetur tuba*, quemadmodum ait *Et erit in die illa, clangetur in tuba magna, Jes.* 27. *v.* 13. quod est per modum similitudinis, quando enim vult aliquis congregare populum, elevat signum in montibus, ut videant signum e longinquo, & veniant; item clangit tuba, ut audiant vocem e longinquo, & veniant: sic congregabuntur Israelitae in terram suam hinc & inde in tempore salutis, & sic gentes adducent & congregabunt eos, perinde ac si elevaverint eis signum, & clanxerint tuba.

V. 4. *Quia sic dixit Dominus*. אשקוטה scribitur cum Vau, sed legitur sine Vau, cum Chateph=Kametz sub Koph, quod idem est. ait Propheta, tunc, quum venerit Redemptor, quiescam, & tacebo a strepitu meo super eos, quemadmodum ait *Propter Tzionem non tacebo, & propter Jerosolymam non quiescam: donec egrediatur ut splendor justitia ejus. Jes.* 62. *v.* 1. tum verò, quando exierit ut splendor justitia ejus, tranquilius ero, & respiciam in Locum meum, scilicet in Domum Sanctuarii, in quam respiciam ad bonum. *sicut aestus serenus post pluviam*, sicut est in bonum aestus serenus & splendidus post pluviam; אור enim hìc significat pluviam, juxta illud *sparget nubes pluviam suam. Job.* 37. *v.* 11. quando enim sol est lucidus super terram post pluviam, pulcher est ac bonus germinibus, quemadmodum ait *a splendore & a pluvia herbula de terra*. 2. *Sam.* 23. *v.* 4. & ita nubes roscida in aestu messis bona est, namque in tempore Messis aestus magnus est, & tum, si quando transeat nubes roscida, bona est hominibus ad refrigerium aëris. Memorat autem rorem, & non pluviam, quia pluvia nocet messi, ros verò prodest, & non officit.

V. 5. *Nam ante messem:* assimilat Gogum & Magogum populosque venientes cum eo contra Jerosolymam post salutem viti germinanti, quae quum perfecerit germen, apparet flos, flos evadit omphax, omphax verò maturescit paulatim, donec sint uvae maturae; & haec est parabola de Gogo & Magogo, qui venit cum populo multo equis & equitibus indutis perfectissimo ornatu: omnes isti, congregatio magna scutata & clypeata, tractabunt gladios, & crescent in singulis diebus,

que-

quemadmodum ait *Paras Cus & Pat cum eis: omnes illi cum scuto & clypeo. Ezech.* 38. *v.* 5. *ante messem*, i. e. ante completionem temporis messis; dimidium enim Nisan, & Ijar, ac dimidium Sivan appellantur tempus messis ex quatuor temporibus anni. In medietate igitur Sivan erit fructus vitum, i. e. omphax in terra Israelis utplurimum, & id est, quod ait *fuerit flos* (*a*), quia flos evadit omphax, & omphax crescit ac maturescit: sensus igitur est, quòd sicut omphax maturescens proximus est maturationi, ita quum fuerint Gogus & Magogus proximi perfectioni prosperitatis suae, adeo ut penè subegerint Jerosolymam, & jam egressa sit medietas Urbis in exilium, tunc egredietur Dominus, & praeliabitur contra gentes illas *Zach.* 14. *v.* 3. idque est *tum praecidet flagella cum falcibus*, הזלזלים significat ramos vitum teneros, qui facile rumpuntur, הנטישות significat ramos expansos, qui vocantur *emissiones*, quemadmodum ait *emissiones ejus extenderunt se, transierunt mare. Jes.* 16. *v.* 8. התז significat *amputabit*, & est ex verbis duplicationis, ejusque radix est תזז. In verbis Magistrorum nostrorum, quorum memoria sit in benedictione = Spiritus Tezazit = נצה habet He raphatum, in illo autem *ascendit flos, Genes.* 40. *v.* 10. He est cum Mappik: fortasse verò hîc He in נצה est signum generis foeminini, non pronomen, & hinc derivatur illud *& projiciet tanquam olea florem suum. Job.* 15. *v.* 33.

V. 6. *Relinquentur:* scilicet exercitus Gogi & Magogi, & ita dictum est in prophetia Ezechiae *dic volatili omni alato, & omni bestiae agri, congregate vos & venite, congregate vos undique ad sacrificium meum, quod sacrifico vobis &c. cap.* 39. *v.* 17. ait igitur, quòd erunt in aestate ac hyeme cadavera projecta: dicit autem, avis in aestate, ac bestia in hyeme, quia aves volant utplurimum in diebus aestatis, bestiae verò vagantur plerumque in diebus hyemis, insuper ait in prophetia Ezechielis *Et sepelient eos Domus Israelis ad mundandam terram septem mensibus. d. cap.* 39. *v.* 13. Quomodo ergo dixit *Relinquentur simul avi montium, & bestiae terrae?* nimirum hoc erit, dum adhuc erunt occupati in sepultura illorum, nequaquam enim poterunt sepelire omnes, & ideo manducabunt ex eis quadrupedes & volucres in aestate ac in hyeme.

V. 7. *In tempore illo adducetur munus:* Nationes Mundi afferent Domino populum Israelis tanquam munus & oblationem, quemadmodum ait *Et adducent omnes fratres vestros de omnibus gentibus Domino &c. Jes.*

(*a*) Verba illa *& omphax maturescens fuerit flos* ita inverti debent *& flos fuerit omphax maturescens*, prout in expositione invertit Kimchius; vide *Vatablum* ad hunc locum. *Flagella in vitibus* appellantur זלזלים a זולל *epulo, comessor*, quasi *epulones humoris*, succum enim attrahunt & absumunt. Per *emissiones* verò intellige surculos, quos apud nos coloni vernaculè dicunt *messe, polloni*.

Jes. 66. *v.* 20. *ad Locum Nominis Domini exercituum*, scilicet ad Locum, ubi invocabitur Nomen Domini exercituum, i. e. ad Montem Tzionis.

JESAIAE CAP. XIX.

1. ONus *prophetia onerosa* Aegypti: ecce Dominus
equitans super nubem levem, & ingredietur Ae-
gyptum, & commovebuntur Idola Aegypti a facie ejus,
& cor Aegypti liquefiet in medio ipsius. 2. Et confun-
dam Aegyptum cum Aegypto, & pugnabunt quisque
in fratrem suum, & quisque in socium suum: civitas
in civitatem, regnum in regnum. 3. Et evacuabitur spi-
ritus Aegypti in medio ejus, & consilium ejus absorbebo
destruam: & quaerent ad Idola & ad Praestigiatores *divi-
nos*, & ad Pythones & ad Sciolos *ariolos*. 4. Et tradam
Aegyptum in manu dominorum *domini* duri: & rex for-
tis dominabitur in eis, dixit Dominator Dominus exerci-
tuum. 5. Et deficient aquae de mari: & fluvius exsicca-
bitur & arescet. 6. Et elongabunt se flumina, attenua-
buntur & siccabuntur rivi Aegypti: calamus & juncus
excindentur. 7. Virentia juxta rivum super os rivi: &
omnis sementis rivi arescet, depelletur & non erit. 8. Et
moerebunt piscatores, & lugebunt omnes projicientes in
rivum hamum: & expandentes rete super facies aquarum
languescent. 9. Et pudore afficientur operantes lina pe-
xa: & texentes foramina. 10. Et erunt retia ejus contri-
ta: omnes facientes clausuram anxii animo. 11. Profectò
stulti principes Tzoan, sapientes consiliariorum Pharao-
nis, *quorum* consilium infatuatum *beluinum*: quomodo di-
citis ad Pharaonem, filius sapientum ego, filius regum
antiquitatis? 12. Ubi sunt modò sapientes tui? (&) nun-
cient modò tibi, & sciant quid consuluerit *decreverit*
Dominus exercituum super Aegyptum. 13. Infatuati sunt
prin-

principes Tzoan, decepti ſunt principes Noph: & errare fecerunt Aegyptum, angulum tribuum ejus. 14. Dominus miſcuit in medio ejus ſpiritum perverſitatum: & errare fecerunt Aegyptum in omni opere ſuo, ſicut errat ebrius in vomitu ſuo. 15. Et non erit Aegypto opus, quod fecerit caput & cauda, ramus & juncus. 16. In die illa erit Aegyptus ſicut mulieres: & contremiſcet & pavebit a facie agitationis manus Domini exercituum, quam agitabit ſuper eam. 17. Et erit terra Jehudae Aegypto in trepidationem; quicumque commemorabit eam ad illam, pavebit: a facie conſilii Domini exercituum, quod ipſe conſulit *decernit* ſuper eam. 18. In die illa erunt quinque civitates in terra Aegypti loquentes labio Cananaeo, & jurantes per Dominum exercituum: civitas deſtructionis dicetur uni. 19. In die illa erit Altare Domino in medio terrae Aegypti: & ſtatua (i. e. *columna*, *monumentum*, *titulus*) juxta terminum ejus Domino. 20. Et erit in ſignum & in teſtimonium Domino exercituum in terra Aegypti: nam clamabunt ad Dominum a facie opprimentium, & mittet eis ſervatorem & magnatem, & liberabit eos. 21. Et notus erit Dominus Aegypto, & cognoſcent Aegyptii Dominum in die illa: & facient ſacrificium ac oblationem, & vovebunt votum Domino, & perſolvent. 22. Et percutiet Dominus Aegyptum percutiendo & ſanando: & revertentur ad Dominum, & exorabilis erit illis, & ſanabit eos. 23. In die illa erit via ſtrata ab Aegypto ad Aſſur, & intrabit Aſſur in Aegyptum, & Aegyptus in Aſſur: & ſervient Aegyptii cum Aſſyriis. 24. In die illa erit Iſrael tertia *congregatio* Aegypto & Aſſyriae: benedictio in medio terrae. 25. Cui benedixit Dominus exercituum dicendo: benedictus populus meus Aegyptii, & opus manuum mearum Aſſyrii, & haereditas mea Iſrael.

COMMENTARIUS.

V. 1. ONus *Aegypti:* ait *equitans super nubem levem* metaphoricè ob nimiam celeritatem decreti contra eos. *& commovebuntur Idola Aegypti*, Idola, in quibus confidebant, commovebuntur a facie ejus, neque salvabunt illos in tempore angustiae ipsorum. Dum verò dicit *& commovebuntur Idola Aegypti*, videtur innuere Idola plura fuisse illis; sic alibi dicitur *& in omnibus Diis Aegypti faciam judicia*, *Exod* 12. *v.* 12. Jonatan ונזעו vertit *& frangentur*.

V. 2. וסכסכתי significatio confusionis, veluti *& inimicos ejus confundet* *Jes.* 9. *v* 11. ait, confundet eos inter ipsosmet, scilicet praeter hostes, qui venient super illos, erit inter ipsos confusio, & pugnabunt unus adversus alterum, i. e. regnum contra regnum; quamvis enim Aegyptus universa regnum unum tantùm esset, plures tamen fuere principes sub Rege magno, quorum hic dominabatur in provincia una, iste dominabatur in provincia altera, sicuti Reges Cananaei.

V. 3. ונבקה ex conjugatione Niphal, ex significatione illius *vitis vacua*, *Hos.* 10. *v.* 1. i. e. ex significatione vacuitatis, quasi dicat, non relinquetur in spiritu eorum sapientia & intelligentia, neque scient capere consilium sibimetipsis. *& consilium ejus absorbebo*, duplicatio significatus cum vocabulis diversi. אבלע significat perditionem & corruptionem, quod dicit de Aegyptiis, in quibus erant Magi & Sapientes, qui quum viderint periisse consilium suum, quaerent ad Idola & ad Praestigiatores: vertit Jonatan *& ab Incantatoribus*; & sic illud *Praestigiatricem non sines vivere*. *Exod.* 22. *v.* 18. redditur *Incantator non vivet*.

V. 4. וסכרתי pro וסגרתי, ex illo *tradet te Dominus in manu mea* 1. *Sam.* 17. *v.* 46. & ita reddit Jonatan *Et tradam. dominorum duri: & rex fortis &c.* duplicatio significatûs cum vocabulis diversis. *Dominorum* est vocabulum dignitatis de uno, & ita *si Domini ejus dabit ei uxorem*, *Exod.* 21. *v.* 4. & alia praeterea. Rex fortis est Rex Assyriae.

V. 5. *Et deficient:* quidquid ait in prophetia hac de exsiccatione fluminis, & de cessatione victûs eorum ex illo, totum est per modum metaphorae, etenim fluvius Nilus irrigat terram, quoadusque opus habeant imbribus, ac ex flumine venit illis affluentia piscium, ut dictum est *Recordamur piscium, quos comedebamus in Aegypto gratis*, *Num.* 11. *v.* 5. & nisi esset fluvius hic, non foret habitabilis Aegyptus, sed foret deserta sine ullo homine, quia non descendunt illuc imbres, idcirco assimilat vastationem factam per manum Regis Assyriae, perinde ac si cessavisset ab eis flumen; & ita mare proximum eidem flumini, ne possit deferri ad illos per mare quidquam victûs. ונשתו autem est ex conju.

conjugatione Niphal ex ſignificatione illius *defecit robur eorum Jer.* 51. *v.* 30. ſcilicet ex ſignificatione defectûs rei, & perditionis ejus.

V. 6. *Et elongabunt ſe flumina*; diſſentiunt in voce iſta והאזניחו: nonnulli dicunt He eſſe characteriſticam conjugationis Hiphil, ſicut He in השמיר, הפקיד, & Aleph eſſe addititium: alii dicunt, quòd ſolent apponere Aleph juxta Linguam Aramaeam, veluti *Biberunt vinum*, *Dan.* 5. *v.* 4. *Transfixus eſt ſpiritus meus*, *Dan.* 7. *v.* 15. & ſcripſerunt He eſſe juxta analogiam Linguae Hebraeae, Aleph autem juxta analogiam Linguae Aramaeae. Frater verò meus R. Moſes opinatur Aleph eſſe pro He characteriſticâ conjugationis, ſicut Aleph in illo *& omnia indumenta mea inquinavi*, *Jeſ.* 63. *v.* 3. & He eſſe ſicut He in illo *numquid reducendo reducam filium tuum? Genſ.* 24. *v.* 5. ſcilicet pro אם, perinde ac ſi dixiſſet *& ſi elongaverint ſe*: interpretatio igitur ejus ita ſe habet „ & flumen exſiccabitur & exareſcet, & ſi flumina exſiccabuntur & exareſcent, exhaurientur & areſient etiam rivi Aegypti, „ quia rivi ſunt ex fluminibus &c., quando enim egreditur flumen, „ implentur rivi aquis; & ita calamus & juncus, qui ſunt ſuper ripam „ rivorum, excidentur, poſtquam non fuerint ibi aquae „ Igitur האזניחו ſignificat *elongabunt ſe*, ſicut *& elongavit ſe a pace anima mea*. *Thr.* 3. *v.* 16. quum enim aruerint flumina, perinde eſt ac ſi elongaverint ſe. דללו ſignificat *areſcent*, ſicuti *aruerunt prae homine, motae ſunt*. *Job.* 28. *v.* 4. מצור ſignificat Aegyptum; denique קמלו ſignificat *excidentur*, veluti *pudore affectus eſt Libanus, exciſus eſt*. *Jeſ.* 33. *v.* 9. Jonatan יאורי מצור reddit *flumina eorum profunda*.

V. 7. *Virentia juxta rivum*: ערות (a) eſt Toar olerum & herbarum virentium, ſic *& vireſcentem ficut laurus viridis*. *Pſal.* 37. *v.* 35. ait igitur, olera, quae erant ſecus rivum, & ſuper os rivi, i. e. ſuper ripam rivi, areſcent depellentur & non erunt.

V. 8. *Et moerebunt piſcatores*: verſus hic duplicatus eſt in ſignificatu cum vocabulis variis: piſcatores ſunt venatores piſcium, qui venantur eos duobus modis, projiciendo hamum, qui eſt veluti ſpecies acus ſartoriae, cujus caput eſt incurvatum, & ingreditur in os piſcium, & trahunt eos per eam, item extendendo מכמורת, i. e. rete, & capiuntur ibi piſces. *Et moerebunt* idem eſt ac *lugebunt*, & ita *moeror & luctus Thr.* 2. *v.* 5. *Jeſ.* 29. *v.* 2.

V. 9. *Et pudore afficientur operantes lina*: עובדי *operantes*, Chaldaei enim *opus* dicunt עובדא, & ita *cognoſcere faciet* מעבדיהם i. e. *opera eorum*, *Job.* 34. *v.* 25. ait igitur, quòd pudore afficientur operantes linum. *pexa*, quaſi dicat, pectunt linum cum pectine, & ex bono & pulchro, quod in eo eſt, faciunt retia, idque eſt, quod

T 2 ait &

(a) ערות quibuſdam ſunt *papyri*, quaſi pelliculae, nam in praetenues & multiplices membranulas acu dividebantur, ut docet Plinius *lib. XIII. cap.* 11.

nit *& texentes foramina*, quia retia facta sunt foraminatim. חורי pro חורים, & ita *discoopertos nate*, ubi חשופי est pro חשופים *Jes.* 20. *v.* 4. *& excidit ei fenestras*, ubi חלוני pro חלונים *Jer.* 22. *v.* 14. Postquam igitur exaruerit flumen, confundentur qui faciunt retia ad venandos pisces. Alii explicant שריקות optimum, quod est in lino, Arabicè enim appellatur سرق, & ita חורי explicant *alba*.

V. 10. *Et erunt* שתותיה, i. e. retia ejus, & ita *Quoniam retia destruentur Ps.* 11. *v.* 3. pariter in Verbis Magistrorum nostrorum „ Est „ שותא, super quo fuit contentio inter duos „ scil. rete. מדכאים contrita, i. e. perinde ac si sint contrita, adeo ut non possint piscari cum illis, quia non erit flumen, neque rivus. *omnes facientes clausuram*, & ita omnes, qui faciunt clausuram, erunt anxii animo. אגמי pro עגמי, ex illo *Anxia erat anima mea*, *Job.* 30. *v.* 25. שכר autem intelligendum est juxta illud *Et clauserunt se fontes*, *Gens.* 8. *v.* 2. vult innuere illos, qui faciunt clausuram ante aquas, ut congregentur aquae, & piscentur in eis, quemadmodum dixerunt in Talmude „ Claudens foveam aquarum in occasu diei boni (*a*), & postridie „ summo mane surgit, & invenit in ea pisces „ Ait igitur, illi, qui faciebant clausuram, modò erunt attriti, & anxii animo. Alii exponunt אגמי נפש stagna, quibus insunt pisces; istis נפש sunt pisces. Jonatan vertit *Et erit locus texentium texturam conculcatus*, *& locus ubi faciebant lacunas*, *& congregabant aquas unusquisque animae suae*.

V. 11. *Profectò stulti* . . . *sapientes consiliariorum Pharaonis*: venit conjunctum post conjunctum, sicuti *flumina torrentium mellis & butyri*, *Job.* 20. *v.* 17. *numerum numerationis populi*, 2. *Sam.* 24. *v.* 9. *ad Pharaonem*, pro *de Pharaone*; quomodo dicitis de Pharaone, quòd possit dicere, filius sapientium ego, filius regum antiquitatis? ubinam est sapientia ejus, & regnum ejus? ubinam est sapientia vestra, quandoquidem non potestis praebere ei consilium, quo liberetur a calamitate sua? Alii interpretantur, quòd unusquisque ex sapientibus ejus dicebat, filius sapientium ego sum, quasi dicat, ego sum sapiens, & filius sapientis, & scio dare consilium bonum in quolibet negotio; quomodo igitur stultè consuluistis vice ista? hac eadem ratione interpretatur etiam Jonatan *quomodo dicitis Pharaoni*, *filii sapientium sumus*, *& tu es filius regum ab antiquo?*

V. 12. *Ubi sunt modò sapientes tui?* geminat rem cum vocabulis diversis: ait, in tota sapientia sua non poterunt indicare, quid consilii inierit Dominus exercituum contra Aegyptios, scilicet ultionem, quae ventura est super eos; dicit autem *consuluerit*, perinde ac si consilium inivisset hostis veniendi super illos.

V. 13.

(*a*) *Dies bonus*, seu *festus*, *festivus*, *feriatus*, dicebatur vel sacrorum causa, vel ob laetitiam, & solemne convivium. Sic dies solemnis convivii, quod Nabal post tonsuram ovium instituerat, vocatur a Ministris Davidis *Dies bonus* 1. *Sam.* 25. *v.* 8. Vid. Buxtorf. in יום

V. 13. *Infatuati sunt*: נואלו est ex conjugatione Niphal, ex significatione illius *decipiendo decepisti Jer.* 4. *v.* 10. quasi decepissent eos, & periisset sapientia eorum. *errare fecerunt Aegyptum*, ipsi principes & sapientes errare fecerunt Aegyptum, angulum (*a*) tribuum ejus, videl. praecipuam regni partem, quum facerent eam sperare in sapientia sua, quòd non possit venire ei calamitas ulla, quam non praesentiant ipsi per sapientiam suam; veruntamen hanc calamitatem non praesenserunt.

V. 14. *Dominus miscuit in medio ejus*: quasi dicat, a Deo benedicto venit eis id, quòd confudit consilium eorum, & perdidit sapientiam ipsorum. מסך significat mixtionem & confusionem, sicuti *& bibite vinum, quod miscui. Prov.* 9. *v.* 5. quae est significatio mixtionis aquae cum vino. עועים, radix ejus est עוה cum duplicatione primae radicalis, ex significatione illius *& perversus corde Prov.* 12. *v* 8. *& errare fecerunt*, scilicet principes & Magnates, nimirum principes, quorum meminit; quasi dicat, principes magni, quorum est consilium ei praebere, ipsi fecerunt eam errare, quia Deus confudit consilium eorum. Tribuit autem Aegypto pronomen generis foeminei, dum dicit *angulum tribuum ejus*, & generis masculei, dum dicit *in omni opere suo*, ita enim mos est Linguae in locis plurimis; dum effatur in genere foeminino, alloquitur congregationem, quando verò effatur in genere masculino, alloquitur populum. *sicut errat ebrius in vomitu suo*, vertit Jonatan *sicut errat temulentus, & provolvitur in vomitu suo*; sensus ergo est, sicut ebrius errat, neque scit, quid faciat, & vomit, & provolvitur postea in vomitu suo.

V. 15. *Et non erit Aegypto opus, quod fecerit*: scilicet non relinquetur Aegypto quidquam operis, quod fecerit, neque proderit ei. *caput & cauda*, quasi dicat, omnem sapientiam Sapientum ac Magorum suorum omnia tentabit, ut se eripiat ab aerumna sua, sed nihil proderit ei. *caput & cauda, ramus & juncus* sunt parabola sapientium Aegypti: sapientes magni sunt *caput*, parvi verò *cauda*, & ita *ramus & juncus*, ramus enim sunt potentes in sapientia, juncus verò debiles; duplicat enim rem cum vocabulis diversis, volens dicere, vobis operabuntur sapientiam suam, sed nihil proderit. Jonatan *opus* interpretatur *consilium*, ait enim *consilium, quod consulet caput*. *juncus* interpretatur *praefectus, satrapa*. Alii *caput* explicant de capite Draconis, & per caudam ejus intelligunt occupatos in astronomia, sed non cognoscent calamitatem venturam super se.

V. 16. *In die illa*: dicit *in die illa*, quia in uno eodemque tempore accidit, ut vastaret Rex Assyriae Aegyptum ac Aethiopiam, ac deinde veniret ad Jerosolymam, ibique percuteretur, idcirco ait *in die illa*, quia uno eodemque tempore acciderunt haec omnia. *sicut mu-*

(*a*) Per *angulum* hic intellige regem, quo decepto totum regnum cadere oportet, quia est urbi, ut angulus firmus, seu lapis angularis muro.

mulieres, scilicet debiles tamquam mulieres propter agitationem manûs Domini exercituum; quasi dicat, a Domino exercituum veniet eis ista calamitas, idcirco non erit ipsis robur ad pugnandum coram hostibus suis, & erunt sicut mulieres.

V. 17. *Et erit:* quum audierint Aegyptii superstites in terra sua caedem Sancheribi in Jerosolyma, erit ipsis terra Jehudae in pavorem, & contremiscent, ac timebunt ex ea. *in trepidationem*, h. e. in commotionem pavoris ac tremoris, sic *Titubabunt & vacillabunt ut ebrius: Ps.*107. *v* 27. *a facie consilii Domini exercituum*, propterea quòd viderunt primò caedem suam per manum Regis Assyriae, ac postea caedem Regis Assyriae in terra Jehudae, scient per consilium Domini exercituum fuisse cladem ipsorum, quemadmodum fuit clades Regis Assyriae per manum Domini, siquidem fuerunt omnes illi cadavera mortua sine gladio, scient, inquam, omnia a Domino esse.

V. 18. *In die illa:* quum viderint caedem Assyriorum captivi Aegypti ac Aethiopiae, qui fuerint ibi in Castris Assyriis in catenis ferreis, quemadmodum ait *facultates Aegypti & merx Aethiopiae.... in compedibus transibunt &c.... tantùm in te Deus, &c. Jes.* 45. *v.* 14. cognoscent ac scient non esse Deum, nisi Deum Israelis, & convertentur ad fidem Israelis. Et revera Ezechias solvit omnes captivos, qui erant in Castris, ex Aegyptis ac Aethiopibus, cepitque totam praedam, & solvit captivos, qui reversi sunt in terram suam, ac nunciaverunt mirabilia Creatoris; & tunc fuerunt quinque civitates in Aegypto, quae conversae sunt ad fidem Dei, & aedificaverunt Altare, & obtulerunt holocausta Domino, de quo dicitur *erunt quinque civitates in terra Aegypti loquentes labio Cananaeo*, vult dicere, labio terrae Israelis, i. e. lingua Hebraea, eo quòd frequentabant terram Israelis, ac discebant opera & linguam ipsorum. Dicit autem *Cananaeo*, quia Mitzraim & Chenaan fuere fratres filii Chami, quumque cecidisset terra Cananaeorum Israeli in haereditatem, reversa est terra Chenaan velut extraneis respectu Aegyptiorum, at modò redibunt ad eam, perinde ac si esset Cananaeis fratribus suis, reputabuntur enim Israelitae fratres. *& jurantes per Dominum exercituum*, quia in eum credent, ideo per eum jurabunt, non per Idola, in quae ab initio credebant. *civitas destructionis dicetur uni*, adeo erunt inhaerentes in fide Dei, ut conveniant inter sese, quòd si redierit a cultu Dei una ex illis quinque civitatibus, dicatur civitas destructionis, quasi dicat, quòd stabunt super eam, & destruent eam: Jonatan interpretatur pro חרס cum Chet, ex illo *Qui dicit ad Solem Job.* 9. *v.* 7. vertit enim *civitas Domus Solis, quae destruenda est, dicetur una ex eis.*

V. 19. *In die illa:* explicavimus.

V. 20. *Et erit in signum & in testimonium:* hoc erit Aegypto in signum & in testimonium, quòd omni tempore, quo tenebunt fidem

Dei,

Dei, clamabunt ad Dominum, & ipse servabit eos de manu omnium opprimentium ipsos, idque erit eis in signum, quòd Deus custodiet eos, quum tenuerint fidem ejus. *servatorem & רב*, scilicet *magnatem* veluti *super omni magnate domus suae, Est. 1. v. 8.* quasi dicat, magnus erit Salvator, quem mittet eis, nimirum Angelus Domini, qui percutiet inimicos eorum, ac ipsi eripientur: Jonatan *& magnatem* reddit *& judicem*, qui scilicet judicabit hostem eorum.

V. 21. *Et notus erit Dominus:* quia in hoc magis agnoscent eum, & recognoscent eum plusquam cognoverant eum ab initio in caede Regis Assyriae, etiam in semetipsis agnoscent & recognoscent eum, quia eripiet eos, quotiescumque invocaverint ipsum. *& facient sacrificium ac oblationem*, ועבדו pro ועשו, Chaldaicè enim *operatio* dicibus עובדא, veluti *& operatio justitiae Jes. 32. v. 17.* & similia huic; vel intelligendum est juxta communiorem sensum, videlicet, & servient Domino in sacrificiis ac oblationibus, quemadmodum vertit Jonatan *& colent in hostiis sanctificatis & in oblationibus. & vovebunt votum Domino*, in tempore angustiae suae vovebunt vota, & solvent; non enim vovebunt, & non solvent, postquam erepti fuerint, verùm solvent id, quod voverint, quia cognoscent Dominum esse Salvatorem suum.

V. 22. *Et percutiet Dominus:* percutiet ac sanabit eos, ut cognoscant ipsum esse, qui vulnerat ac sanat, quia dum ipsi convertenrur ad Dominum, & dum clamabunt ad eum, exorabilis erit illis, ac sanabit eos statim.

V. 23. *In die illa:* quia ab initio altercabantur invicem Aegyptii ac Assyrii, nunc autem qui supererint ex caede exercitus Assyrii, & viderint manum Domini fuisse in semetipsis, cognoscent Dominum esse Deum, eritque eis societas fraternitas ac amor cum Aegyptiis, qui pariter agnoscent Dominum, eritque via strata de Aegypto in Assyriam, & de Assyria in Aegyptum. *& servient Aegyptii* את *Assyriis*, i. e. *cum Assiriis*, utrique servient Domino, & Israel erit eis tertius.

V. 24. *In die illa:* שלישיה scilicet tertia congregatio erit illis in fide Dei, & erunt benedictio in medio terrae, quia erit eis benedictio super caeteras nationes per omne tempus, quo tenebunt fidem Dei.

V. 25. *Cui benedixit Dominus:* unicuique ex istis tribus benedixit Dominus exercituum, & dixit *benedictus populus meus Aegyptii*, qui conversi sunt, ut sint populus meus: *& opus manuum mearum Assyrii*, qui cognoverunt, se esse opus manuum mearum, & me Deum, & non esse alium ultra: *& haereditas mea Israel*, Israelitae sunt haereditas mea ab antiquo. Jonatan interpretatur versum hunc totum de Israele *benedictus populus meus, quem eduxi de Aegypto: & quia pec-*

ca-

caverunt coram me, transmigrare eos feci in Assyriam; & quando conversi sunt, vocati sunt populus meus, & haereditas mea Israel.

JESAIAE CAP. XX.

1. IN anno, quo venit Tartanus in Asdod, quando misit eum Sargon rex Assyriae: & pugnavit in Asdod, & cepit eam. 2. In tempore illo loquutus est Dominus per Jesaiam filium Amotzi dicendo, vade & solves *solve* saccum de lumbis tuis, & calceamentum tuum exues *exue* de pede tuo: & fecit sic eundo nudus & discalceatus. 3. Et dixit Dominus, quemadmodum ambulavit servus meus Jesaias nudus & discalceatus tres annos, *in* signum & portentum super Aegyptum & super Aethiopiam. 4. Sic abducet rex Assyriae captivitatem Aegypti & transmigrationem Aethiopiae, pueros & senes, nudum & discalceatum: discoopertos nate *natibus in* turpitudinem Aegypti. 5. Et consternabuntur, & pudore afficientur ab Aethiopia expectatione sua, & ab Aegypto gloria *jactatione* sua. 6. Et dicet habitator insulae hujus in die illa; ecce sic expectatio nostra, qui confugimus illuc pro auxilio, ut eriperemur a facie regis Assyriae: & quomodo evademus nos?

COMMENTARIUS.

V. 1. I*N anno, pro venit Tartanus:* haec res accidit in anno decimo quarto Ezechiae Regis Jehudae, quo venit contra Jerosolymam, sed quum audisset de Tirhaka Rege Aethiopiae, quòd exisset ad pugnandum adversus se, profectus est inde, bellumque gessit cum Aegyptiis & cum Aethiopibus, quos subegit, deindeque venit cum captivis, & reversus est ad Jerosolymam, sed antea in ipso anno misit Tartanum in Asdodam, quam cepit, & tunc dicta est prophetia haec ad Jesaiam, quòd quemadmodum cepit Rex Assyriae Asdodam, ita capiet Aegyptum ac Aethiopiam. Alii explicant, quòd tribus annis antequam veniret ad Jerosolymam Rex Assyriae, fuit adventus Tartani

tani in Asdodam, & cepit eam, & tunc dicta fuit prophetia haec ad Jesaiam, quòd ad finem trium annorum abducet Rex Assyriae captivitatem Aegypti, ac transmigrationem Aethiopiae, quemadmodum ait *tres annos signum & portentum super Aegyptum & super Aethiopiam*; sed juxta interpretationem nostram, illud *tres annos* cohaeret cum illo *ambulavit servus meus Jesaias nudus & discalceatus*, nimirum tres annos ambulavit, idque fuit signum & portentum super Aegyptios ac super Aethiopas, quòd ita ipsi ambulabunt.

V. 2. *In tempore illo:* per Jesaiam Prophetam ultionem Aegypti ac Aethiopiae loquutus est Dominus, qui praecepit ei, ut ederet signum in semetipso, quod esset signum illis, nimirum ut ambularet nudus ac discalceatus: dixit autem ei *& solves saccum*, quia erat indutus sacco ob migrationem Tribuum, quarum causa lugebat: praecepit igitur ei, ut solveret saccum, quo erat accinctus super carnem suam & super lumbos suos, & exueret calceamenta sua, & ambularet nudus & discalceatus. *& fecit sic eundo nudus & discalceatus*, sermo iste non est intelligendus juxta litteralem sensum, scilicet quòd praeceperit Deus Prophetae, ut ambularet nudus & discalceatus, absit, sicut & illud, quod dixit ad Hoseam *accipe tibi uxorem fornicationum*, *Hos.* 1. *v.* 2. pariter id, quod praecepit Ezechieli *& transire facies super caput tuum & super barbam tuam novaculam*: *Ezech.* 5. *v.* 1. item illud, quod praecepit eidem, ut manducaret placentam hordeorum coctam cum stercoribus bovis *Ezech* 4. *v.* 12. omnia enim haec, & similia hisce nequaquam reipsa praecepit Deus Prophetis suis, ut facerent, sed totum fuit per visionem prophetiae, scilicet quòd videretur Prophetae in visione prophetiae, praecipere sibi Deum, ut faceret ita, seque facere sic in visione pariter prophetiae; & quamvis protrahat tempus, ut in hac prophetia *tres annos*, & in prophetia Hoseae *Et ivit & accepit: & concepit & peperit ei filium. Et concepit adhuc & peperit filiam*, *cap.* 1. *v.* 3. *&* 6. totum id fuit in visione prophetiae, quamvis enim visum esset intercessisse tempus multum, tamen omnia fuere in visione prophetiae una eademque vice. *& calceamentum tuum*, utitur numero singulari collectivè. Jonatan ופתחת השק interpretatur in contraria significatione *& ligabis saccum in lumbis tuis*.

V. 3. *Et dixit:* sic audivit in visione prophetiae, postquam ambulaverat nudus & discalceatus, audivit, inquam, Dominum nominantem se, & dicentem *quemadmodum ambulavit servus meus Jesaias signum & portentum*, scilicet id, quod fecit servus meus Jesaias, fuit, quemadmodum praecepi ei, in signum & in ostentum super Aegyptum & super Aethiopiam, nimirum fecit sic ad ostendendum, ita ambulaturos illos ante ducentes ipsos in exilium.

V. 4. *Sic abducet:* dicit *discoopertos nate*, postquam dixerat *nudus, & discalceatus*, quia ignominia, qua afficientur, dum ambulabunt nudi, ea erit, quòd ibunt discooperti pudendis, quemadmodum fecit Rex Ammon in legatis Davidis ad ignominiam *& praecidit vestes eorum*

per medium usque ad nates eorum: 2. *Sam.* 10. *v.* 4. חשופי pro וחשופים, veluti *& excidit ei fenestras. Jer.* 22. *v.* 14. חלוני pro חלונים, & similia hisce. שת est Synonymon natibus & pudendis, & ita *usque ad nates eorum*: dum ait *turpitudinem Aegypti*, hujusmodi sententia pertinet etiam ad Aethiopiam, quia antea meminerat utriusque. Quòd autem replicet rem in Aegyptiis, id fit ad magnitudinem ignominiae illorum, de quibus dictum est *magnos carne Ezech.* 16. *v.* 26. quibus scilicet est membrum instar asinorum.

V. 5. *Et consternabuntur & pudore afficientur*: de Israelitis loquitur, quibus erat confidentia in Aethiopibus ac Aegyptiis, quia bellum gerebant contra Regem Assyriae, dictum enim est de Tirhaka Rege Aethiopiae *egressus est ad belligerandum contra te*: 2. *Reg.* 19. *v.* 9. De Jehuda verò & de Binjamino hoc ait & de superstitibus, quia superfuerunt pauci in terra, eo quòd decem Tribus jam omnino deportatae fuerant in anno sexto Ezechiae; quando verò abduxit Rex Assyriae captivitatem Aegypti, & migrationem Aethiopiae, agebatur annus decimus quartus Ezechiae, quo tempore confidebant in Aethiopibus, qui bellum gerebant adversus Regem Assyriae, quocirca sperabant futuram sibi liberationem de manu illius, & ideo gloriabantur fore, ut eriperentur per manum eorum a Rege Assyriae, sed quum viderint ruinam Aethiopiae ac Aegypti per manum regis Assyriae, consternabuntur, & pudore afficientur.

V. 6. *Et dicet*: per insulam intelligitur terra Israelis, quae est ad terminum maris. *qui confugimus illuc pro auxilio*, juxta Targum *quo sperabamus confugere in auxilium, ut eriperemur a conspectu Regis Assyriae: & si isti adhuc animas suas non liberaverunt, quomodo liberabimur nos?*

JESAIAE CAP. XXI.

1. ONus *prophetia onerosa* deserti maris: ut turbines in Meridie *Austro* ad excidendum, e deserto venit, de terra formidabili. 2. Visio dura nunciata est mihi: praevaricatori praevaricator & vastatori vastator; ascende Elam *ascendite Elymaei*, obside Madai *obsidete Medi*, omnem gemitum ejus cessare feci. 3. Quapropter repleti sunt lumbi mei dolore vehementi, tormina apprehenderunt me sicut tormina parturientis; contorsi me ab audien-

diendo, conturbatus ſum a videndo. 4. Erravit cor meum, horror perterruit me: crepuſculum deſiderii mei poſuit mihi in terrorem. 5. *In* diſponendo menſam *dicebant*, ſpeculare ſpeculationem, *in* comedendo bibendo *dicebant*: ſurgite principes, ungite clypeum. 6. Etenim ſic dixit ad me Dominus: vade ſtatue ſpeculatorem, quod videbit annunciet. 7. Et vidit currum, *quo vehebatur* par equitum, currum aſini, currum cameli: & attendit attentione, multus attentione. 8. Et clamavit, Leo ſuper ſpecula: Domine mi ego ſto jugiter interdiu, & ſuper cuſtodia mea ego conſiſto omnibus noctibus. 9. Interea venit currus viri, par equitum: & reſpondit & dixit, cecidit cecidit Babylo; & omnia ſculptilia Deorum ejus contrivit in terram. 10. Tritura mea, & filius areae meae: quod audivi a Domino exercituum Deo Iſraelis, indicavi vobis. 11. Onus *prophetia onerosa* Dumae: ad me clamat de Seir, cuſtos quid de nocte, cuſtos quid de nocte? 12. Dixit cuſtos; venit mane, & etiam nox: ſi quaeritis quaerite, revertimini venite. 13. Onus *prophetia onerosa* in *ſuper* Arabia: in ſaltu in Arabia morabimini ſemitae Dedanim *viatores Dedanitae*. 14. In occurſum ſitienti venite aquae: habitatores terrae Temae cum pane ejus praevenite vagantem. 15. Quoniam a facie gladiorum vagati ſunt: a facie gladii expanſi, & a facie arcus tenſi, & a facie gravitatis belli. 16. Quia ſic dixit Dominus ad me: adhuc annus ſicut anni mercenarii, & deficiet omnis gloria Kedar. 17. Et reſiduum numerus arcûs, fortes filiorum Kedar pauci erunt: nam Dominus Deus Iſraelis loquutus eſt.

COMMENTARIUS.

V. 1. *Onus deserti maris*: prophetia haec dicta fuit de Babylone; quamvis enim antea prophetaverit de ea dicens *Onus Babylonis cap.* 13. *v.* 1. iterum tamen ac tertiò replicat de ea, quia male fecerunt Israelitis magis quam par est, idcirco pluries prophetatum est de caede Regis Assyriae. Appellat autem Babylonem *desertum maris*, quia Medi & Persae sunt ad Orientem & ad Aquilonem respectu Babylonis, quemadmodum ait *suscitavi ab Aquilone & venit, ab ortu solis &c. Jes.* 41. *v.* 25. hinc igitur patet, quòd Babylo est ad occidentem respectu Medorum & Persarum, occidens enim appellatur Mare: dicit autem *deserti*, quia desertum extat inter Babylonem & Medos Persasque: Jonatan vertit *Onus exercituum, qui veniunt de deserto velut aquae maris. ut turbines in Meridie*, sicuti ventus procellosus in Austro. *e deserto*, h. e. de loco arido, eoquod ibi assiduè inflat ventus; ita exibunt Medi ac Persae, ut proficiscantur Babylonem: Jonatan בנגב vertit דרום *& venientes per viam Austri sese proripiunt, & veniunt a deserto*, idque est, quod explicavimus, terram Medorum ac Persarum esse ad Orientem & ad Aquilonem respectu Babylonis; si sic, Babylo est ad occidentalem & australem partem Maris & Meridiei. *de terra formidabili*, scilicet de terra longinqua; & hìc innuuntur Medi ac Persae, qui longè absunt Babylone. Remotus autem appellatur *formidabilis*, quia homo plus timet absentem, cujus non noscat potentiam ac mores, quàm vicinum, cujus noscat potentiam ac mores: Jonatan reddit *de terra, in qua facta sunt terribilia*.

V. 2. *Visio dura*: ait Propheta, prophetia dura de Babylone dicta est mihi a Deo: & quaenam est ista prophetia? *praevaricatori praevaricator*, scilicet ei, qui praevaricabatur, veniet praevaricator, qui praevaricetur in ipsum, & ei, qui diripiebat, veniet direptor, qui diripiat ipsum; ecquis est iste praevaricator & direptor? hic est Rex Babylonis, qui praevaricabatur in gentes, quae cum eo erant in pace, & diripiebat eas, in hoc enim praevaricatio consistebat, quòd diripiebat illas, neque servabat eis foedus: ita veniet contra istum praevaricator, qui praevaricetur in eum, & direptor, qui diripiat eum, & hic erit Cyrus. *ascende Elam, obside Madai*, edit universam prophetiam velut in conspectu Elymaeorum & Medorum, ut ascendant contra Babylonem, & obsideant eam. צורי habet accentum in ultima. *omnem gemitum ejus cessare feci*, scilicet gemitum Babylonis, & innuit illos, qui gemebant ob timorem ejus, quia suffixa nominum referuntur ad agentem, & ad patientem, veluti *e regione plagae meae steterunt*: *Ps.* 38. *v.* 12. *Remove a me plagam tuam*, *Psal.* 39. *v.* 11. *in domo orationis meae*, *Jes.* 56. *v.* 7. *audivi orationem tuam*, *Jes.* 38. *v.* 5. *constitui regem meum Ps.* 2. *v.* 6. *Et*

Deus

Deus meus Rex meus ab antiquo: *Ps.* 74. *v.* 12. He autem in אנחתה est raphatum, sed proprietas ejus exigit Mappik, sine quo frequenter invenitur, veluti *& pilus ejus non est versus in album*: *Lev.* 13. *v.* 4. *& vulva ejus conceptio perpetua*. *Jer.* 20. *v.* 17. *sicut mater filia ejus*. *Ezech.* 16. *v.* 44. *iniquitas ejus in ea*. *Num.* 15. *v.* 31. *Et dixit ei Boazus*, *Rut.* 2. *v.* 14. & similia hisce.

V. 3. *Quapropter*: Propheta loquitur in persona uniuscujusque ex Babyloniis, aut in persona Belsciatzaris regis. *contorsi me ab audiendo*, scilicet ab audiendo ultionem venturam super Babylonem, quantò verò magis conturbabor, quum aspexero eam?

V. 4. *Erravit*: חשקי habet Chirik sub Chet: loquitur Propheta in persona Belsciatzaris, qui fecit convivium magnum in nocte, eratque ea ipsa nox crepusculum delectationis oblectamenti & desiderii ejus, quia constitutus est Rex, genioque indulgebat cum servis suis, sed posuit ei Sanctus ille benedictus ipsum crepusculum in terrorem cum scriptura, quam scripsit Angelus in pariete Regiae, ac territus fuit vehementer ob scripturam eam, sicuti scriptum est *Tunc Rex*, *splendores ejus immutati sunt ipsi*, *& cogitationes ejus conturbaverunt eum*, *& cingula lumborum ejus soluta sunt*, *& genua ejus hoc ad illud collisa sunt*. *Dan.* 5. *v.* 6. פלצות significat tremorem & collisionem, sicut scriptum est *hoc ad illud collisa sunt*.

V. 5. *Disponendo mensam*: tempore, quo ordinabant mensas, dicecebant *speculare speculationem*, nimirum ut specularetur speculator, quia timebant a populo Medorum ac Persarum; tempore autem, quo manducabant & bibebant, dicebant *surgite Principes*, *ungite clypeum*, quasi dicat, expolite scuta ad bellum, & ita Jonatan *speculare speculationem* vertit *statuite speculatores*, illud autem *ungite clypeum* reddit *tergite ac expolite arma*, etenim Jonatan *clypeum* vertit *arma*, volens dicere instrumenta armorum, qualia sunt loricae & galeae, quae sunt adinstar clypei super hominem in bello. Alii *ungite clypeum* interpretantur ungite regem, quum rex sit veluti clypeus populi, quia in ea ipsa nocte obiit Belsciatzar, quemadmodum scriptum est *In eadem nocte interfectus fuit Belsciatzar Rex Chaldaeus*. *Dan.* 5. *v.* 30. ait, ecce mortuus est rex vester, ungite alium loco eius. In Berescit verò Rabba צפה הצפית explicatur ordinare candelabra, est enim locus, ubi candelabrum appellant צפיתא.

V. 6. *Etenim sic dixit*: perinde ac si Propheta esset in Babylone, loquitur enim in persona principum Babylonis praecipientium sibi invicem constitutionem speculatoris, qui videat, num veniat exercitus Medorum ac Persarum, & nunciet quidquid videt.

V. 7. *Et vidit currum*: & vidit speculator currum. *par equitum*, scilicet currum, quo vehebantur par equitum: pariter vidit currum asini, & currum cameli. *& attendit attentione*, *multus attentione*, attendit, num propè essent, & an audiret sonitum ungulae eorum: Jona-

natan vertit *Et vidit currum hominis, & cum eo par equitum, ascensorem asini, & ascensorem cameli. Dixit Propheta, auscultavi auscultatione, & vidi, & ecce turbae ingentes.*

V. 8. *Et clamavit:* & clamavit speculator. *Leo super specula*, assimilat Medos & Persas Leoni stanti super specula, & respicienti huc & illuc, ubi rapiat. Ait Propheta in casu vocationis, quum videret id, o Domine, ego sto jugiter interdiu ac noctu, super custodia mea consisto omnibus noctibus, quasi dicat, interdiu & noctu sto ac speculor, quando erit id, ut veniat exercitus Medorum ac Persarum vastaturus Babylonem ob mala, quae intulerunt Israelitis. In Deras „Leonem di„ cit de Chabakuko Propheta: ait enim Jesaias, quòd Chabakukus di„ cturus est hoc *ego sto jugiter interdiu ac noctu* (a): circulum enim „ duxit, cujus in medio stabat, quemadmodum declaratur in Chaldaea „ versione Orationis Chabakuki „ Vocat autem Chabakukum *Leonem*, quia sic est per Gematriam, in qua computatio nominis חבקוק eadem est, ac vocis אריה, i. e. 216. Jonatan interpretatur hunc versiculum ita *Ait Propheta: vox exercituum venientium cum loricis suis sicut leo; & super specula ego sto coram Domino semper in die, & in custodia mea ego sto tota nocte.*

V. 9. *Interea* (b): quum adhuc speculator attenderet, ecce venit exercitus, quem viderat, accessitque ad urbem. *& respondit*, scilicet speculator. *& dixit, cecidit cecidit Babylo*, replicatio inservit ad roborandum. *contrivit*, scilicet fractor: Jonatan *cecidit cecidit* interpretatur *cecidit, etiam futurum est ut cadat*, volens innuere binas ruinas, primam per manus Medorum ac Persarum, alteram per manus Dei, quia dictum est *Et erit Babylo, desiderium regnorum, gloria superbiae Chaldaeorum, secundum subversionem, qua subvertit Deus Sedomam & Amoram. Jes. 13. v. 19.*, & haec fuit in perpetuum, quia Babylo illa non fuit amplius habitata omnino, quemadmodum explicavimus supra in prophetia Babylonis *cit. loc.*

V. 10. *Tritura mea, & filius areae meae:* ait Propheta in persona Dei, Babylo erit tritura mea, quam triturabo per exercitum Medorum ac Persarum, quemadmodum trituratur frumentum. *& filius areae meae*, repetitio ejusdem rei cum vocabulis diversis, etenim frumentum & paleam vocat filium areae, quia trituratur in illa. *quod audivi*, ait Propheta, hanc prophetiam, quam audivi de Babylone, indicavi vobis, quemadmodum audivi eam, dicit autem *Deo Israelis*, quia propter Israelitas adducet Deus ultionem super Babylonem.

V. 11. *Onus Dumae:* Duma est ex civitatibus filiorum Ismaelis, sicut

(a) Vide Chabak. 2. v. 1.

(b) Verba ista והנה זה reddidi *Interea*, videl. Interea venerunt currus bellatorum, quorum singulis insidebat par equitum, qui conspecta civitate clamaverunt *cecidit cecidit Babylo*, ut explicat Aben Ezra, at juxta Kimchium verba ista sunt speculatoris.

cut scriptum est *& Misma*, *& Duma*, *& Massa*, *Gens.* 25. v. 14. Ait Propheta, ad me clamat vox prophetiae, quòd de Seir veniet contra eos vastans terram ipsorum, ac propè est, ut veniat ad eos calamitas, ponantque custodes in muris civitatis. Ait igitur, quòd surgent homines ob magnitudinem timoris sui, & circumibunt civitatem, & petent a custodibus *quid de nocte*? replicat verò sermonem juxta morem sciscitantium. מה מליל, nomen ליל est in statu conjunctionis juxta illud *venit ad Ezechiam cum exercitu gravi* 2. *Reg.* 18. v. 17.

V. 12. *Dixit*: respondit eis custos *venit mane*, quasi dicat, diluculum veniet, verùm quid proficietis? quoniam etiam nox veniet post illud, adeo ut necesse vobis sit excubias adhuc agere propter timorem hostium. אם תבעיון בעיו, si quaeritis quaerite. *revertimini venite*, scilicet ad sciscitandum, quasi dicat, adhuc noctibus quaeretis de hoc, quia non est vobis confidentia ab hostibus. Dominus verò Pater meus, cujus memoria sit in benedictione, explicat, quòd Cives Seir vastaturi sunt Dumam, & vocat Prophetam custodem ac speculatorem, Propheta verò loquitur, perinde ac si Cives Seir clament ad ipsum, & quaerant ab ipso, quid de nocte? scilicet quid de noctibus ac diebus Dumae? quasi dicant, appropinquavitne tempus finis ejus adhuc, ut veniamus super eam? Propheta respondet eis, jam completi sunt dies & noctes, venitque diluculum ruinae ipsius, nunc ergo revertimini super eam, nam bene vobis vertet. Jonatan interpretatur *Onus calicis maledictionis ad propinandum Dumae: ad me clamat de Coelis, Propheta edissere eis prophetiam, Propheta edissere illis quod venturum est. Dixit Propheta, Est merces justis, & est vindicta impiis: si convertendi estis, convertimini dum potestis converti*. In Verbis verò Magistrorum nostrorum, quorum memoria sit in benedictione „ In libro Rabbi Meir invenerunt scriptum *Onus Dumae*, onus „ Edom, i. e. Romae: *ad me clamat de Seir*, dixit Rabbi Jochanan, „ ad me clamat propter Seir: *custos quid de nocte?* dixerunt Jesaiae „ Magistro nostro, Jesaia, acquid egreditur nobis de medio noctis i- „ stius? respondit eis, expectate me, quoadusque perconter; post- „ quam percontatus est, rediit ad eos, eique dixerunt *custos quid de* „ *nocte?* scilicet custos saeculorum, respondit eis, non sicuti existima- „ tis, sed mane justis, & nox impiis, mane Israelitis, & nox nationi- „ bus Mundi (Christianis, atque Turcis) Dixerunt ei, ecquando? „ quando vos quaeratis, ipse quaerit, *si quaeritis quaerite*; dicenti- „ bus verò, & quis retardat? respondit, conversio, *convertimini* „ *venite* „

V. 13. *Onus in Arabia*: prophetia haec dicta fuit super Arabibus, qui sunt filii Kedar: praepositio Beth stat pro על, veluti *sic dabitur in eo*. *Lev.* 24. v. 20. *nisi jumentum, in quo sedebam*. *Nech.* 2. v. 12. pro *super*. *in saltu in Arabia morabimini semitae Dedanim*, loquitur veluti coram turmis filiorum Dedan, qui frequentabant Arabiam: ait igi-

igitur, nunc in vaſtatione Arabiae morabimini in ſaltu, quia non invenietis tentoria ad pernoctandum ibi, eo quòd vaſtaverint tentoria Kedar. Jonatan vertit *in ſilva veſpere morabimini*, ubi בַּעְרַב interpretatur pro בָּעֶרֶב.

V. 14. *In occurſum ſitienti venite aquae:* התיו pro אתיו, praecipit quodammodo aquis, ut veniant in occurſum ſitienti, quia filii Kedar migrabunt, & vagabuntur in deſerto, neque invenient aquas ad bibendum, idcirco habitatores terrae Themae, quum invenerint illos migrantes & errantes, neceſſe erit, ut praeveniant eos cum pane ſuo.

V. 15. *Quoniam a facie gladiorum*: ſi interrogaveritis eos, propter quid vagentur, reſpondebunt *a facie gladiorum*, qui diffuderunt ſeſe in terram ipſorum. *a facie gladii* נטושה, ſcilicet qui expandit ſe in terram ſuam, veluti *& diffuderunt ſe in Lechi. Jud.* 15. *v.* 9. ubi וינטשו pro ויפשטו: alii interpretantur *acuti*; Jonatan reddit *ſtricti*.

V. 16. *Quia ſic dixit Dominus ..... adhuc annus*: ſcilicet ex quo dicta eſt ad me prophetia iſta *& deficiet omnis gloria Kedar. ſicut anni mercenarii*, qui ſunt praeciſi, namque minutim computat tempus ſuum, quando perveniat ad finem, quemadmodum ait *ſicut cervus anhelat umbram, & ſicut mercenarius expectat opus ſuum. Job.* 7. *v.* 2. ita erit hic annus praeciſus.

V. 17. *Et reſiduum numerus arcûs*: qui ſuperetint ex eis, iſti erunt jaculatores arcuum, qui ſe fuga proripient, ſed pauci erunt. ימעטו *pauci erunt: nam Dominus Deus Iſraelis loquutus eſt*, quia mala intulerunt Iſraelitis, quando deportavit eos Rex Aſſyriae: fortaſſe enim venerunt homines Kedar cum Rege Aſſyriae, & attulerunt mala Iſraelitis tempore, quo ducebant illos in captivitatem; aut tranſierunt Iſraelitae per terram eorum, quum deportarentur, eaque occaſione ipſis nocuerunt.

JESAIAE CAP. XXII.

1. ONus *prophetia oneroſa* Vallis viſionis: quid tibi nunc, quòd aſcendiſti tota tu in tecta? 2. Clamoribus plena, urbs tumultuans *ſtrepera*, civitas exultabunda: interfecti tui non confoſſi gladio, neque mortui *in* bello. 3. Cuncti Principes tui vagati ſunt *fugerunt* ſimul, ab arcu ligati ſunt: omnes inventi tui vincti ſunt pariter, a longe fugerunt. 4. Quapropter dixi, abſiſtite

a me,

a me, amarificabo *me* in fletu: ne urgeatis consolari me super vastatione filiae populi mei. 5. Quoniam dies contritionis & conculcationis & confusionis Domino Deo exercituum in Valle visionis: exparietans parietem, & vociferatio ad montem. 6. Et Elam tulit pharetram in curru hominum equitum: & Kir denudavit clypeum. 7. Et fuit electio vallium tuarum repletae sunt curru: & equites ponendo posuerunt ad portam. 8. Et retexit tegumentum Jehudae: & respexisti in die illa ad armaturam Domus silvae. 9. Et rupturas Civitatis Davidis vidistis, quòd multae essent: & congregavistis aquas piscinae inferioris. 10. Et domos Jerosolymae numerastis: & diruistis domos ad muniendum murum. 11. Et congregationem fecistis inter duos muros aquis piscinae veteris: & non respexistis ad Factorem ejus, & Plasmatorem ejus de longe non vidistis. 12. Et vocavit *vocabit* Dominus Deus exercituum in die illa ad fletum & ad planctum, & ad calvitium & ad cingendum saccum. 13. Et ecce gaudium & laetitia, occidendo armentum *boves* & jugulando pecus *oves*, comedendo carnem & bibendo vinum: comedendo & bibendo *comedamus & bibamus*, quia cras moriemur. 14. Et revelabitur *revelatum est* in auribus mei Domini exercituum: si expiabitur iniquitas haec vobis, donec moriamini; dixit Dominus Deus exercituum. 15. Sic dixit Dominus Deus exercituum: vade ingredere ad thesaurarium istum super *ad* Sebnam, qui *est* super domum. 16. Quid tibi hìc, & quis tibi hìc, quòd excidisti tibi hìc sepulchrum? *sicut* qui excîdit in altitudine sepulchrum suum, & insculpit *cavat* in petra habitaculum sibi. 17. Ecce Dominus transfert te translatione *o* vir: & amicit te amiciendo. 18. Convolvendo convolvet te convolutione *sicut* pilam ad terram latam manibus: ibi morieris, & ibi *erunt* currus gloriae tuae ignominia domus Domini tui. 19. Et expellam te de statione tua: & de statu tuo diruet *dejiciet* te. 20. Et erit in die illa, & vo-

cabo servum meum Eljakimum filium Chilkiae. 21. Et induam eum tunica tua, & balteo tuo corroborabo eum, & dominationem tuam ponam in manu ejus: & erit in patrem habitatori Jerosolymae & domui Jehudae. 22. Et ponam clavem domus Davidis super humerum ejus: & aperiet, & non erit qui claudat; & claudet, & non erit qui aperiat. 23. Et figam illum *ut* clavum in loco fideli *stabili*: & erit in thronum gloriae domui patris sui. 24. Et suspendent super illum omnem gloriam domus patris sui filii & filiae, omnia vasa parvi *ministerii*: a vasis craterum & usque ad omnia vasa nabliorum. 25. In die illa, dixit Dominus exercituum, removebitur clavus fixus in loco fideli *stabili*: & excidetur & cadet, & abscidetur onus, quod est super illum, quia Dominus loquutus est,

COMMENTARIUS.

V. 1. O*Nus Vallis visionis:* prophetia haec dicta fuit super Jerosolyma, quam appellat vallem visionis, eo quòd esset locus prophetiae. Vocat autem vallem, licèt sit montuosa, ut tribuat ei cognomen aerumnae, dejecerunt enim eam habitatores ejus propter iniquitates suas, & converterunt eam de monte in vallem, quapropter nefas est vacare eam nomine montis, sed vallis. *quid tibi nunc, quòd ascendisti tota tu in tecta!* solent homines civitatis ascendere in tecta & in turres, quando super eos veniunt inimici, & ingrediuntur civitatem vi, tunc, inquam, ascendunt in tecta, ut se ibi tueantur, vel ut inde praelientur pro animabus suis, si modò possint. Ait igitur Propheta veluti coram Jerosolyma, quid tibi? nonne eras hesterna die acclamationibus plena, civitas strepitus? quid tibi nunc, quòd congregata es in domos, & ascendisti super tecta? quare accidit id? propter iniquitates tuas.

V. 2. *Clamoribus plena urbs:* תשאות significat vocem tumultus Civitatis ob multitudinem populi, qui in ea est, & ita *cum acclamationibus, gratia gratia ei. Zach. 4. v. 7. interfecti tui non confossi gladio*, quia non exierunt extra urbem ad pugnandum contra hostes, verùm sese congregaverunt in urbem, in qua interierunt fame, idcirco non fuerunt confossi gladio, sed interfecti (h. e. mortui) fame.

V. 3. *Cuncti Principes tui vagati sunt*: duces & principes tui vagati sunt ac fugerunt. *ex arcu ligati sunt*, scilicet jaculatores arcus, quos quum insequuti essent, apprehenderunt ac vinxerunt eos; isti

verò

verò sunt Tzidkias & principes ejus, qui fugerunt noctu de Jerosolyma, & insequuti sunt eos Chaldaei, & apprehenderunt eos. *omnes inventi tui*, i. e. omnes, qui inventi sunt in medio Civitatis, vincti fuerunt; item qui fugerunt e longinquo (*a*) opinantes se servatum iri, vincti sunt ipsi quoque.

V. 4. *Quapropter dixi:* sunt verba Prophetae, quae dicebat ad consolatores. שעו מני abstistite a me, ne consolemini me, quia amarificabo animam meam fletu, quem flebo. *ne urgeatis consolari me*, geminatio rei cum vocabulis diversis; ait, ne laboretis, ut consolemini me super vastatione filiae populi mei, quia major est, quàm ut consolationem recipiam super ea.

V. 5. *Quoniam dies contritionis:* מהומה significat contritionem, veluti *& conteret eos contritione magna*. *Deut.* 7. *v.* 23. מבוסה significat conculcationem & contaminationem, & ita *veluti cadaver conculcatum*. *Jes.* 14. *v.* 19. *conculcantes ut lutum platearum Zach.* 10. *v.* 5. מבוכה significat confusionem, sicuti *confusi sunt in terra*: *Exod.* 14. *v.* 3. מקרקר קר destruens parietem, tanquam eradicans exstirpans radicem; subdit קר post מקירקר pro clariori explanatione, quia satis erat dixisse מקרקר (*b*), & ita *ad militandum militiam*; *Num.* 14. *v.* 23. *& radicare fecisti radices ejus*, *Psal.* 80. *v.* 10. *& divinaverunt divinationes*, 2. *Reg.* 17. *v.* 17. istud autem *exparietans parietem* significat, quòd destruxerunt Chaldaei muros Jerosolymae, quemadmodum scriptum est *& erupta est civitas*, 2. *Reg.* 25. *v.* 4. item *& destruxerunt muros Jerosolymae*: *ibid. v.* 10. *& vociferatio ad montem*, egressi ex urbe ambulabant ac vociferabantur de monte ad montem, & de colle ad collem: Jonatan vertit *scrutantes Domos*, *& circumdantes turres*, *quae sunt in cacumine montium*.

V. 6. *Et Elam*: scilicet cives Elamitae tulerunt faretram cum sagittis & arcu, ut pugnarent contra Jerosolymam; & ita Kir, quae est civitas Regis Assyriae, quemadmodum ait *& transmigrare fecit eam in Kir*: 2. *Reg.* 16. *v.* 9. scilicet homines Kir retexerunt clypeos, ut venirent ad pugnandum contra Jerosolymam. ערה significationem habet denudationis, veluti *& venam ejus nudaverit*, *Lev.* 20. *v.* 18. Licet etiam interpretari קיר prout sonat, i. e. in significatione parietis, & ערה in significatione conjunctionis, sicut in Verbis Magistrorum nostrorum, quorum memoria sit in benedictione „ conjuncta re„ ticulo jecoris „, & tunc interpretatio hujus versus est, Elam tulit pharetram, ut projiceret sagittas contra Jerosolymam, & admovit ad murum scuta, ut effoderet murum subter ad diruendum eum, quo

X 2 sensu

(*a*) Scilicet etiam quum procul abessent a Jerosolyma, adhuc tamen fugiebant. Vide *Cap. XVII. v.* 12. *in Comm.*

(*b*) Verbum enim קרקר per se ipsum significat *destruere parietem*.

sensu vertit Jonatan *& ad murum adhaeserunt scuta*. Idem Jonatan ברכב אדם פרשים (a) vertit *in curru hominis*, *& cum eo duo equites*.

V. 7. *Et fuit electio vallium tuarum:* alloquitur Jerosolymam dicens, terra tua electa replebitur curribus hostium: dicit autem *vallium tuarum*, quia currus non vadit per montes, sed per convalles, scilicet per planicies. *ponendo posuerunt*, posuerunt facies suas ad portas Jerosolymae, ut expugnarent. Alii explicant *praeliati sunt*, veluti *& hic ponet in elatione fluctuum tuorum*. *Job.* 38. *v.* 11. i. e. praeliabitur: Jonatan *vallium tuarum* reddit *planicierum tuarum*, & *ponendo posuerunt* reddit *praefectis super portas*, sic *& posuerunt super civitatem*, 1. *Reg.* 20. *v.* 12. scilicet equites posuerunt studium suum, & instrumenta dissipationis suae ad subjiciendam urbem. *ponendo posuerunt*, scilicet posuerunt omnigenam praemunitionem obsidionalem ad portam.

V. 8. *Et retexit tegumentum Jehudae:* retexit hostis tegumentum Jehudaeorum, quo existimabant se tectum iri, quominus veniret super se calamitas hostium propter Domum Sanctuarii, quae erat in haereditate ipsorum, sed tamen venit hostis ob iniquitates eorum, & retexit operimentum ipsorum. *& respexisti*, alloquitur populum Jerosolymae, aut Regem, dicens, postquam vidisti hostem venientem super te, respexisti ad arma domus nemoris Libani, ubi collocavit Salomon scuta, & posuisti oculos tuos in eis, ut afferres ad Jerosolymam, quasi dicat, parasti te ad bellum, & non ad poenitentiam & opera bona, quasi dicat, respectio tua fuit ad arma, & non ad Deum, quemadmodum ait *& non respexistis ad Factorem ejus*, *infr. v.* 11. Jonatan *ad armaturam domus nemoris* vertit *super arma domus thesaurorum Sanctuarii*.

V. 9. *Et rupturas Civitatis Davidis vidistis*: nimirum rupturas, quae erant in muris Civitatis Davidis, scilicet Tzionis, & fecistis apparatum ad aedificandas (resarciendas) ipsas rupturas. *& congregavistis aquas piscinae inferioris*, aquas piscinae, quae dispergebantur ex ea & extra, congregavistis in medio ejus, ut essent aquae paratae ad facienda cum illis caementa pro aedificatione seu restauratione rupturarum. Hujusmodi verò piscina erat fossa lapidibus constructa, ubi congregabantur aquae pluviales.

V. 10. *Et domos:* igitur parastis aquas, item parastis lapides; numerastis enim domos, & cui erat domus abundas, diruistis eam, ut aedificaretis rupturas muri ex illis lapidibus. ותתצו Thau radicale est raphatum, sed juxta proprietatem ejus daghesciandum esset, quia radix est נתץ. לבצר scilicet ad muniendum, ex illo *civitates munitas*. *Jes.* 37. *v.* 26.

V. 11.

(a) Quidam interposita conjunctione *&* ita reddunt *in curru hominis*, *& equitum*: ego verò sumpto nomine אדם collectivè interpretatus sum *in curru hominum equitum*. Adverte cum Vatablo, quòd פרשים significat milites, tam qui vehuntur curribus, quàm qui vehuntur equis.

V. 11. ומקוה cum Kametz juxta formam משרה: praeterea fecistis apparatum aquis inter duos muros prope aquas piscinae veteris, ubi fecistis foveam, ut congregarentur ibi aquae pluviales. Universos istos apparatus fecistis propter hostem, ut servaretis Jerosolymam de manu ejus. *& non respexistis ad Factorem ejus*, & non respexistis ad Creatorem, qui fecit ac stabilivit eam usque modò, & custodivit eam a manu hostis, nequaquam respexistis ad hunc, ut converteremini ad eum, & ambularetis per semitas ejus, ipse enim eripuisset vos, si conversi essetis ad eum, magisquam apparatus, quos fecistis. *& Plasmatorem ejus de longe non vidistis*, qui plasmavit Jerosolymam, idque tempore multo antequam habitare fecisset Majestatem suam in ea, quique elegit eam prae universis terris, ad hunc non respexistis, ut converteremini ad ipsum. In Deras „ *& Plasmatorem ejus de longe* „ *non vidistis*, scilicet eum, qui creavit eam, antequam crearetur „ Mundus „ dixerunt enim Magistri nostri, quorum memoria sit in benedictione „ Septem res creatae fuerunt, antequam crearetur Mun„ dus, & istae sunt, Hortus Eden, Lex, Justi, Israel, Thronus Glo„ riae, Jerosolyma, & Messias filius Davidis „ Sed verba hujus Deras non sunt accipienda, prout intelligit vulgus discipulorum, sensus enim est, quòd extiterint in vi, ut crearentur, antequam crearetur Mundus, quia res istae fuerunt finis creationis Mundi.

V. 12. *Et vocavit:* patefecit Dominus per Prophetas prophetiam hanc, priusquam adventarent ultiones, ut flerent ac plangerent & glabrarent se, & accingerent se sacco, & converterentur conversione perfecta coram Deo benedicto, & consolationem caperet super malitiam; verùm ipsi non fecerunt sic, immo ecce gaudium & laetitia.

V. 13. *Et ecce gaudium & laetitia*: non solliciti fuerunt, neque timuerunt ad verba Dei, sed subsannaverunt, ac laetati sunt: praeterea dixerunt, quandoquidem finis noster est mors, ex nunc faciamus gaudium & laetitiam, occidamus armentum, & jugulemus pecus, edamus carnem, & bibamus vinum, cras enim moriemur, gaudeamus ergo, dum adhuc vivimus; quae omnia dicebant subsannandi gratia, & deridendi verba Dei, & haec est prophanatio Dei.

V. 14. *Et revelabitur:* id, quod dicunt, revelatum est in auribus meis, ac innotescit coram me Domino exercituum, idcirco juro *si expiabitur iniquitas haec vobis, donec moriamini*, quia durior est iniquitas hujus sermonis, quàm iniquitates, quae praecesserunt vos, quapropter non expiabitur iniquitas haec in exilio, nisi quum mortui fueritis, mors enim, qua moriemini per gladium, expiabit eam super vos: Jonatan reddit *donec moriamini morte secunda*, volens innuere mortem animae in saeculo venturo; illud autem *Et revelabitur in auribus mei* ita vertit *Dixit Propheta, auribus meis audivi, quando decisum fuit hoc a conspectu Domini exercituum*. Dixerunt autem Magistri nostri, quorum memoria sit in benedictione „ Cui est in manu „ pro-

„ profanatio Dei, non est vis in poenitentia ad suspendendum, neque „ in die expiationum ad expiandum, neque in castigationibus ad abstergendum, sed omnes suspendunt, mors verò abstergit, quia dictum est „ *si expiabitur iniquitas haec vobis, donec moriamini* „

V. 15. *Sic dixit Dominus*: סוכן significat thesaurarium, ex illo *urbes thesaurorum Pharaonis, Exod.* 1. *v.* 11. Jonatan vertit *gubernatorem*, Sebna enim erat praefectus ac thesaurarius in domo Regis Ezechiae, & inclinavit mentem suam super Regem Assyriae, ut traderet ei Urbem, fecitque conjurationem cum quibusdam viris Urbis, & de hoc dictum fuit *Non dicetis conjurationem, quidquid dicit populus hic conjurationem*, quemadmodum explicavimus in loco suo *cap.* 8. *v.* 12. *super Sebnam*, pro *ad Sebnam*, veluti *& oravit super Dominum*, pro *ad Dominum*, 1. *Sam.* 1. *v.* 10. dicens autem *super domum* vult innuere, eum fuisse praefectum domui regis.

V. 16. *Quid tibi hic?* quasi Deus praecepisset Prophetae, ut ei diceret *Quid tibi hic*? dixit enim ei *vade ingredere ad thesaurarium istum*, & ita vertit Jonatan *& dices ei, quid tibi hic?* unde videtur non fuisse Sebnam ex civibus Jerosolymae, sed illuc venisse, ut inhabitaret ibi, & factum fuisse praefectum domui regis. In Deras „ Quia „ erat ex Urbe, cui nomen Socnai, ideo appellat eum Sochen „ Itaque venit Jerosolymam, & quia non erat ex habitatoribus Urbis, extulit cor suum ad ineundam conspirationem, ut traderet Urbem regi Assyriae. Ait igitur ei, quid occupationis habes in Civitate ista, quae non est terra nativitatis tuae? *& quis tibi hic*? neque frater neque propinquus tibi est in Civitate hac, ubi agis negotia ista. *quòd excidisti tibi hic sepulchrum*, cogitas in animo tuo, perinde ac si excidisses tibi hic sepulchrum, confidens te istic moriturum, sed non erit ita, quoniam ecce Dominus transfert te. *sicut qui excidit in altitudine sepulchrum suum*, tu egisti sicut is, qui incidit in loco elato sepulchrum suum, qui non veretur, ne dejiciant se inde, & sicut is, qui insculpsit habitaculum suum in petra, speras enim te perpetuò futurum in Urbe ista in principatu, in quo es hodie, adeo ut non exciturus sit, qui te dejiciat ex eo, quapropter conjurationem fecisti cum rege Assyriae; sed non erit hoc, alius enim veniet pro te, qui te dejiciet e principatu tuo, quemadmodum ait *& vocabo servum meum Eliakimum filium Chilkiae*: Jonatan *sepulchrum*, *sepulchrum suum* reddit *locum, locum suum*. Magistri verò nostri, quorum memoria sit in benedictione, חצבי מרום קרבו sic interpretati sunt „ Quia incidit sibi „ sepulchrum inter sepulchra domus Davidis, ideo dixit ei *Quid tibi* „ *hic, & quis tibi hic?* quisnam sepultus est hìc ex familiis patrum „ tuorum? „ Jod in חצבי & חקקי est paragogicum, quod addi solet participio, sicut Jod in illo *sedens in Coelis. Ps.* 123. *v.* 1. quod est euphoniae gratia.

V. 17. *Ecce Dominus transfert te translatione* גבר: explicat Dominus

nus Pater meus, cujus memoria sit in benedictione, translatione magna & gravi, & גבר dicit esse nomen Toar translationis, & He טלטלה esse addititium, non verò signum generis foeminei. Magistri nostri, quorum memoria sit in benedictione, interpretantur *translatione viri*, & dixerunt translationem viri duriorem esse, quàm mulieris, idque quia mulier invenit facilius misericordes in exilio suo, quàm vir, quasi dicat, migrabis in locum, ubi non invenies misericordes, & ita vertit Jonatan *translatione viri*: sed meo judicio nomen גבר est in casu vocativo, quasi dicat, o vir, ecce Dominus transfert te translatione, & vocat eum *virum*, quia elatè ac viriliter se gerebat. In Deras ,, טלטלה גבר juxta morem galli gallinacei, qui vagatur de loco in ,, locum ,, *& amicit te amiciendo*, quemadmodum ait *Convolvendo convolvet te convolutatione (sicut) pilam v. seq.* scilicet instar hominis, qui involvit vestimentum, & circumvolvit, & involucro operit illud veluti pilam, ac projicit illud in locum longinquum. Alii explicant ex significatione vocis עיט, quasi dicat, facit te volare; sed non est ex hujusmodi radice. In Verbis Magistrorum nostrorum, quorum memoria sit in benedictione ,, עטך docet floruisse in eo lepram, juxta il- ,, lud *& labrum operiet*: *Lev.* 13. *v.* 45. ,, Jonatan vertit *& teget te confusio*, scilicet operiet te pudor adinstar hominis pudore suffusi, qui tegit vultum suum.

V. 18. *Convolvendo*: צנוף est Infinitivus, צנפה est nomen substantivum, explicatio verò ejus est, quemadmodum exposuimus illud *& amicit te amiciendo*, videlicet quemadmodum involvit homo cidarim (*il turbante*) & projicit illam in locum longinquum. Praeterea dicit *sicut pilam ad terram latam manibus*, quemadmodum projicit homo pilam in terram latam & amplam, ubi non est sepes, vel quidpiam illam retinens, quae vertit se & vadit, donec inveniat obicem. כדור vulgò *pallotta*, & Caph est radicale, & ita in Misna ,, pila & mustricola ,, Hoc verò in loco deest Caph similitudinis, pro *convolvet te sicut pilam*, & ita *cor laetum benefaciet medicina*, pro *ut medicina &c. Prov.* 17. *v.* 22. *ibi morieris*, & non sicut existimasti, qui incidisti tibi hìc sepulchrum. *& ibi currus gloriae tuae ignominia domus Domini tui*, ita explicat Dominus Pater meus, cujus memoria sit in benedictione: *ibi*, i. e. in ipso loco, quo eris translatus, veheris curru, qui reputabitur tibimetipso in gloriam magnam, hìc autem fuisset tibi in eo ignominia, si vectus esses illo, verùm ibi honoraberis in eo, quasi dicat, gloria, quae tibi est in urbe hac, convertetur illic in ignominiam tibi (*a*). Magistri verò nostri sic declaraverunt ,, Eo quod quaesivit ignomi- ,, niam domui Domini sui, ideo conversa est gloria ejus in ignomi- ,, niam; etenim quum exiisset ad Regem Assyriae, interrogaverunt ,, eum,

(*a*) Videlicet in opinione hominum illorum, a quibus proficisceris, non ad quos proficisceris, nam isti utpote rudes & inculti ignorabunt magnificentiam curruum.

„ eum, ubi est populus, quocum te colligasti? respondit eis, reversus „ est: tunc perforarunt calcaneos ejus, & ligaverunt ad caudas equorum „ suorum, quos concitaverunt per spinas & tribulos, & isti sunt „ currus gloriae tuae, quos existimaveras daturos tibi ad gloriam, de- „ derunt tibi ad ignominiam, quandoquidem alligaverunt te ad caudas „ equorum suorum „ Jonatan vertit *ibi morieris: & ibi quadrigae gloriae tuae convertentur in ignominiam, eò quod non conservasti gloriam domus Domini tui*.

V. 19. *Et expellam te:* ait *expellam te*, quasi loquatur Deus, dum verò dicit *diruet te*, loquitur Propheta de Deo, ita enim mos est Linguae Sanctae in locis plurimis, veluti *audite populi omnes illi* 1. *Reg.* 22. *v.* 28. *&* 2. *Par.* 18. *v.* 27. *Mich.* 1. *v.* 2. *omnes illi revertimini, & venite quaeso: Job.* 17. *v.* 10. *omnibus illis & satrapis vestris* 1. *Sam.* 6. *v.* 4. & similia istis. Statio verò & status sunt praefecturae, seu magistratus, in quibus erat.

V. 20. *Et erit in die illa:* in die, quo migrabis de loco tuo isto, substituam pro te Eljakimum filium Chilkiae. *in die illa*, i. e. in tempore illo, veluti *Et erit in die illa, Radix Issai, quae stabit in vexillum Jes.* 11. *v.* 10. & similia huic, quorum significatio est, in tempore illo. *& vocabo*, significat, quòd ponet in corde Ezechiae, ut constituat praefectum Eljakimum in loco Sebnae, perinde ac si Deus vocet illum, ut veniat, & capiat praefecturam ejus. Jonatan וקראתי reddit *& magnificabo*, quasi dicat, & magnificabo eum, & praeficiam eum Domui Davidis, & ita Onkelosius *Vide, vocavi per nomen, Exod.* 31. *v.* 2. vertit *vide, quòd magnificavi per nomen*, quae interpretatio bona est, & ita *tribunos, & vocatos, Ezech.* 23. *v.* 23. scilicet magnates, item *vocati congregationis, Num.* 1. *v.* 16. scilicet magnates congregationis, qui vocantur ad omne consilium. Et re quidem vera invenimus in libro Regum, & in libro hoc, Eljakimum fuisse super Domum, & Sebnam fuisse scribam, quemadmodum ait *& egressus est ad eum Eljakimus, qui erat super domum, & Sebna scriba*, 2. *Reg.* 18. *v.* 18. idque fuit, quando venit Sancheribus in Jerosolymam. Probabile verò est, eum antea rebellasse, & fuisse sermones ejus cum Rege Assyriae, sed tetigisse sese, Deum verò revelasse eum per Prophetam, quando dixit *vade, ingredere ad thesaurarium istum*, & Prophetam indicasse Ezechiae, & hunc dejecisse eum de magnitudine sua, & substituisse pro eo Eljakimum, & quando venit Sancheribus in Jerosolymam, jam fuisse Eljakimum super domum, & Sebnam remansisse scribam, & tamen sese occultasse, ac scidisse vestimenta sua ob verba Rab=Sakis unà cum aliis, perinde ac si fuisset sermo illius durus in oculis ipsius.

V. 21. *Et induam eum tunica tua, & balteo tuo:* per modum similitudinis, quia tunica est vestimentum decoris, & ornatus ad magnificentiam, balteus verò est cingulum super lumbos, idemque est symbolum fortitudinis, quòd nimirum non labetur de magnitudine

sua.

sua. *& erit in patrem*, i. e. consiliarius fidelis, & gubernator bonus, veluti *& posuit me in patrem Pharaoni*; *Gens.* 45. *v.* 8. scilicet consiliarium, & gubernatorem regni illius.

V. 22. *Et ponam clavem:* symbolicè, quia erit consiliarius Regis Jehudae, & ad nutum oris sui faciet claudere & aperire. Quamvis autem non ferat homo clavem super humerum suum, tamen dicit *super humerum ejus clavem* ad exprimendum duplex symbolum: ait *clavem*, quia in manu ejus erit administratio domus regiae ad aperiendum, & ad claudendum; ait *super humerum ejus*, quia hujusmodi administratio est veluti onus, quod portat homo super humerum suum, volens innuere, eum laturum ac moderaturum res & negotia regni. Probabile verò est fuisse Eljakimum filium Chilkiae Sacerdotis, invenimus enim Chilkiam in genealogia Verborum dierum *Et Sallumus genuit Chilkiam, & Chilkias genuit Azariam* 1. *Par.* 5. *v.* 39. Azariam verò istum probabile est eumdem fuisse ac Eljakimum, binaque nomina fuisse ei, invenimus enim Azariam fuisse Antistitem Domus Dei in diebus Ezechiae 2. *Par.* 31. *v.* 13.

V. 23. *Et figam illum clavum in loco fideli:* prosequitur loqui metaphoricè de magnitudine ac principatu, qui erit ei, donec sit in gloriam omnibus filiis generis sui, qui omnes erunt suspensi in eo instar parvuli, qui pendet a majori, & super eum innititur. Assimilat verò eum clavo fixo in loco fideli, scilicet forti ac stabili, quia ab eo suspenditur quaelibet res, neque timent, ne rumpatur, aut moveatur de loco suo.

V. 24. *Et suspendent super illum:* quia a clavo res suspenduntur, ideo ait metaphoricè, quòd omnes filii generis ipsius se honore extollent in eo, & erunt super eum suspensi. הצאצאים & הצפיעות (a) significant filios & filias, Jonatan verò reddit *filii & nepotes*. *omnia vasa parvi*, ait, etiam parvi se honore extollent, & gloriabuntur in eo, adeo expansa erit magnificentia ejus: dicit autem *vasa* per modum metaphorae, quia assimilavit eum clavo, quo suspenduntur res magnae & parvae juxta firmitatem clavi. *vasa parvi* significant vasa sive instrumenta usus minoris; quia verò instrumenta frequentioris usus suspenduntur clavo, idcirco dixit *a vasis craterum*

(a) Magna sententiarum varietas est circa voces istas: ego primam sumo in significatione ramorum a radice seu trunco immediatè prodeuntium, prout sumitur inferius *cap.* 44. *v.* 3. alteram verò accipio de frondibus, quae se per ramos latè diffundunt, ideoque longius a radice distant, siquidem apud Arabas Verbum צפע significat *manu extensa verberare*. Idem sensisse videtur Jonatan, qui explicans hanc metaphoram vertit *filii & filii filiorum*, i. e. nepotes, licèt meo judicio intelligenda sit altera vox non de descendentibus, sed de collateralibus aetate ipsius Eljakimi viventibus, ita enim suadent verba illa *Et suspendet super illum*, nisi dicatur τὸ *super illum* habere vim etiam post mortem Eljakimi ob ipsius merita.

usque ad omnia vasa nabliorum. Conjunctio verò vasorum craterum & vasorum nabliorum hoc sibi vult, quòd inter crateras sunt magni & parvi ad usus diversos: pariter inter nablia hoc diversum est ab isto quoad clavos aut nervos, sed omnia vocantur nablia. Jonatan *vasa parvi* reddit *a magnis usque ad parvos*, illud verò *a vasis craterum usque ad omnia vasa nabliorum* vertit *a Sacerdotibus indutis Ephod, & usque ad filios Levi tenentes nablia*.

V. 25. *In die illa . . . . clavus fixus in loco fideli*: haec autem est parabola de Sebna, qui existimabat se mansurum in gloria sua firmiter usque ad diem mortis suae, quemadmodum ait supra *sicut qui excidit in altitudine sepulchrum suum*. *& abscidetur onus, quod est super illum*, quemadmodum fracto & elapso clavo, franguntur cadunt & abscinduntur vasa suspensa & elata super illum, eoquòd unà cum eo cadant, ita postquam fractus fuerit Sebna, frangetur etiam familia ipsius, & universus coetus ejus, scilicet qui ab eo pendebant.

JESAIAE CAP. XXIII.

1. ONus *prophetia onerosa* Tyri: ululate naves Tarsis, quia vastata est a domo a veniendo; de terra Cittìm revelatum est eis. 2. Silete habitatores insulae: egotiator Tzidonis transiens mare implerunt te. 3. Et 1 aquis multis semen Sichor, messis rivi *fluminis* proventus jus: & fuit negotiatio gentium. 4. Erubesce Tzidon, iam dixit mare, fortitudo maris dicendo: non dolui neque peperi, neque magnificavi juvenes *neque* exaltavi virgines. 5. Quando rumor *pervenerit* Aegyptiis, dolebunt secundum auditum Tyri. 6. Transite in Tarsis: ululate habitatores insulae. 7. Numquid haec vobis exultabunda? a diebus antiquis antiquitas ejus, ducent eam pedes ipsius a longe ad peregrinandum. 8. Quis consuluit hoc super Tyrum coronantem? cujus negotiatores principes, mercatores ejus inclyti terrae. 9. Dominus exercituum consuluit hoc: ut profanaret superbiam omnis gloriae, ut vilipenderet omnes inclytos terrae. 10. Transi terram

tuam

tuam instar rivi: *fuge ad* filiam Tarsis, non est robur amplius. 11. Manum suam extendit super mare, commovit regna: Dominus praecepit ad *super* negotiatorem *Chenaan* ad disperdendum munitiones ejus. 12. Et dixit, non adjicies ultra ad exultandum: *o* oppressa virgo filiae Tzidonis *ad* Cittìm surge transi, etiam ibi non erit requies tibi. 13. Ecce terra Chaldaeorum, iste populus non fuit, Assur fundavit eam desertícolis: erexerunt arces ejus, confregerunt aedes ejus, posuit eam in ruinam. 14. Ululate naves Tarsis, quia vastatum est robur vestrum. 15. Et erit in die illa, & oblivioni tradetur Tyrus septuaginta annis juxta dies regis unius: a fine septuaginta annorum erit Tyro veluti canticum meretricis. 16. Sume citharam, circui civitatem meretrix oblivioni tradita: benefac pulsare *stude bene pulsare*, multiplica cantum, ut memoreris. 17. Et erit a fine septuaginta annorum, visitabit Dominus Tyrum, & revertetur ad mercedem suam: & fornicabitur cum universis regnis terrae super faciem terrae. 18. Et erit merx ejus & merces ejus sanctitas Domino, non reponetur in thesaurum neque recondetur: quia habitantibus ad conspectum Domini erit merx ejus, ad comedendum ad saturitatem, & in operimentum vetus *durabile pretiosum*.

COMMENTARIUS.

V. 1. O*Nus Tyri*: vaticinatur contra Tyrum, quòd vastabitur; haec autem erat civitas mercaturae, sicut hic ait, idcirco clamat veluti coram Tarsis, quae est secus mare, quae pariter erat civitas mercaturae, & veniebant assiduò naves ex Tarsis in Tyrum, ideo dixit *ululate naves Tarsis*, quasi dicat, lugete ac plangite, quia non est amplius vobis locus, quo eatis illuc, quia Tyrus vastabitur, & id est, quod ait *vastata est a domo a veniendo*, scilicet vastatae sunt domus vestrae, & locus vester, quo veniebatis, nunc pariter vastatus est, ne illuc veniat ullus mercator. *a domo*, scilicet ne sit domus neque locus, veluti *& cessare faciam te a meretrice*, *Ezech.* 16. *v.* 41. i. e. ne sis meretrix, *& rejiciam te a rege*. 1.

Sam. 15. *v.* 23. i. e. ne sis rex, *& removit eam ab hera*, 1. *Reg.* 15. *v.* 13. scilicet ne esset hera. *de terra Cittim revelatum est eis*, vertit Jonatan *de terra Cetim venerunt contra eos;* nos autem videmus, quòd Nebucadnetzar vastavit eam, sicuti declaratur in Ezechiele, Cittim verò fuerunt ex filiis Javan. Quae quum ita sint, quare dixit *de terra Cittim revelatum est?* declarat Dominus Pater meus, cujus memoria sit in benedictione, quòd Cittim fuerunt negotiatores, qui adibant Babylonem, & sollicitaverunt Babylonios, ut venirent ad Tyrum, asserentes facile posse capi, ac pollicentes sese auxiliaturos, & cum eis venturos per viam maris.

V. 2. *Silete habitatores insulae:* o qui habitatis in insulis secus mare, negotiantes & euntes in navibus, nunc silete, quasi dicat, tacete ac dolete, quoniam civitas negotiationis vestrae devastata est: Jonatan דמו vertit *fracti sunt. negotiator Tzidonis transiens mare implerunt te*, numerus singularis collectivè, sicuti *Et est mihi bos, & asinus &c. Gens.* 32. *v.* 5. *nisi equus ligatus, asinus ligatus*, 2. *Reg.* 7. *v.* 10. *sic dicetis quisque Jer.* 23. *v.* 35. *Jabesc Gilad*, 1. *Sam.* 11. *v.* 9. & similia hisce. *implerunt te*, alloquitur Tyrum, & sensus est, implerunt te mercibus: מלאוך Lamed est leve, sed deberet daghessari, quia est ex conjugatione Daghessata.

V. 3. *Et in aquis multis*: versus hic est per metathesim, nimirum & semen fluminis Sichor, quod abundat aquis, & messis rivi, est proventus Tyri, quasi dicat, quòd de Aegypto veniebat ad eam quidquid erat ei necessarium de proventu, Aegyptus enim abundat frumento, eoquòd non indigeat pluviis, quia flumen, quod appellatur Sichor, irrigat terram illam, idque est, quod ait *in aquis multis. & fuit negotiatio gentium*, Tyrus fuit negotiatio gentium, quia omnes mercabantur in ea.

V. 4. *Erubesce Tzidon:* quandoquidem vastatus est locus negotiationis tuae, erubesce, ac rubore te suffunde, quoniam ecce dixit mare (i. e. Tyrus, quia erat negotiatio ejus per mare, & ipsa Tyrus erat robur maris, scilicet robur ac munitio omnium civitatum marittimarum) postquam vidit vastationem suam, ecce hodie factum est, perinde ac si non doluissem, neque peperissem, neque enutrivissem juvenes meos, neque exaltavissem virgines meas, quia sum hodie desolata & orbata, quod dicitur per modum similitudinis, urbem assimilando mulieri dolenti ac parienti filios, & enutrienti ac exaltanti eos, & ita dixit *nam doluit, etiam peperit Tzion filios suos; Jes.* 66. *v.* 8. Jonatan *nam dixit mare* vertit *quoniam dixit occidentalis, qui sedet in potentia maris*, & illud *non dolui neque peperi* vertit *utinam non aegrotassem, neque concepissem neque nutrivissem pueros, neque delicatè educassem virgines*, quasi dicat, utinam non fuisset mihi gloria tanta, quid enim prodest, quandoquidem finis ejus est, ut sim devastata.

V. 5.

V. 5. *Quando rumor Aegyptiis*: quum audiverint Aegyptii vastationem Tyri, pavebunt ac timebunt propter sese, quemadmodum timuerunt habitatores Tyri, quando audiverunt Nebucadnetzarem venientem contra se ad pugnandum, prius enim Nebucadnetzar vastavit Tyrum, ac deinceps vastavit Aegyptum, ut declaratur in Libro Ezechielis.

V. 6. *Transite in Tarsis*: alloquitur negotiatores Tyri, transite in Tarsis, quoniam Tyrus vastabitur; Tarsis autem erat ea quoque ad mare, quam negotiatores adibant, sed non ita frequenter, ut Tyrum. Nunc igitur, quum non sit vobis amplius negotiatio in Tyro, transite in Tarsis. *ululate habitatores insulae*, o habitatores insularum maris ululate, quoniam vastata est civitas negotiationis vestrae. Juxta mentem verò Jonatanis alloquitur homines Civitatis, vertit enim *Migrate in provinciam maris: ululate habitatores insulae*.

V. 7. *Numquid haec vobis*: alloquitur viros civitatis, num istam existimatis futuram vobis rupem, eo quòd sit laeta ob magnitudinem gloriae suae, & subsistat a diebus antiquis? nunc autem abducent eam pedes ipsius ad peregrinandum a longe, quasi dicat, in exilium e terra sua, & ad peregrinandum in terram longinquam. Dicit autem *pedes ipsius*, quia invitam abducent eam pedes ipsius, ut eat in exilium, idque ut habetur in Succà pag. 53. „ Pedes filii hominis sunt „ sponsores vel fidejussores pro eo, in locum, ubi requiritur, du„ centes eum „ קדמתה autem est nomen substantivum, sicuti *quae antequam emergat, exaruit*. *Psal.* 129. *v.* 6. He verò est suffixum foemineum, & ideo habet Mappik, quasi dicat, antiquitas hujusce Civitatis est a diebus antiquis: Jonatan *a diebus antiquis* vertit *ab antiquo afferebant munus a terra longinqua? ecce nunc migravit, ut longe habitaret*.

V. 8. *Quis consuluit*: quis fuisset consiliator vastandi Tyrum, ut subsisteret consilium ejus, nisi consuluisset Deus benedictus, cujus sanè consilium subsistit? Tyrus enim erat Civitas magna & coronans, quae nimirum tribuebat coronam regi ac populo suo propter abundantiam divitiarum, & magnitudinem gloriae suae. Et cuinam ascendit in cor vastare eam, quandoquidem negotiatores ejus sunt principes? scilicet reputabantur tamquam principes, & mercatores ejus velut inclyti terrae: significatus rei duplicatus est cum vocabulis diversis. כנעניה negotiatores ejus, & ita *Negotiator in manu sua bilances doli*, *&c. Hos.* 12. *v.* 8. nisi quòd hoc est ex forma alia; Jonatan reddit *dominatores ejus*.

V. 9. *Dominus exercituum consuluit hoc: ut profanaret superbiam omnis gloriae, ut vilipenderet omnes inclytos terrae*: duplicat rem cum dictionibus diversis; sensus autem hujus versus est, Deus exercituum praebuit consilium hoc, quia gloriabatur in affluentia opum suarum, ac tribuebat coronam sibi, non Deo, idcirco praecepit ut vastaretur. *ut profanaret superbiam omnis gloriae*, i. e. omnem terram decoris & desi-

desiderii, tunc humiliabitur superbia eorum ac profanabitur, quando enim videbunt vastationem Tyri, facient argumentum in semetipsis, & erunt in oculis suis viles & profanati.

V. 10. *Transi terram tuam*: scilicet velociter, & migra inde. *instar rivi*, sunt qui explicant, instar rivi Aegypti (*a*), qui egreditur de loco suo, seque expandit, ita egredieris de loco tuo huc & illuc; aut interpretatio est, sicuti flumen, quod transit velociter, quo sensu alibi dictum est per similitudinem *quum venerit ut flumen hostis*, *Jes.* 59. *v.* 19. quo verò transibis? ad filiam Tarsis, scilicet ad congregationem Tarsis, & ita saepe invenitur *filia Tzionis Thr.* 2. *v.* 13. & alibi. Tarsis etiam secus mare est, non procul a Tyro; ideo verò jubet eam transire in Tarsis, quia non est robur amplius, quia scilicet non est tibi amplius robur in terra tua. *filiam Tarsis*, deest Lamed servile, sicuti *& venit Jerosolymam* 2. *Par.* 20. *v.* 28. & alibi frequenter.

V. 11. *Manum suam extendit*: Deus benedictus extendit manum suam super mare, h. e. super Tyrum, quae est secus mare, & omnes opes ejus ex mare, videlicet extendit quodammodo Deus benedictus manum suam super mare, ne veniat amplius ad Tyrum per mare viator ullus maris, commovit enim regna contra Tyrum, quae est Mercatrix, quasi dicat eam esse Civitatem mercaturae, sicut explicatum est τὸ כנעניה. *praecepit*, scilicet Nebucadnetzari, ut veniret super eam ad disperdendas munitiones ejus; aut sensus hujus versus est, quòd rursus redit ad id, quod dixit superius *Dominus exercituum consuluit hoc*, videlicet ne sit hoc mirabile in oculis vestris, si Dominus praecepit, ut vastetur Tyrus, quia sic praecepit, ac extendit manum suam super mare in submersione Pharaonis & Aegyti, & ita conturbavit & concussit regna plura, veluti Sichon, Og *Num.* 21. *v.* 24. *&* 35. & alia, idque est, quod praecepit super terram Chenaan, ut disperderentur munitiones ejus; quamvis enim fuerint in terra ipsorum Civitates munitae, Deus tamen jussit disperdi omnes munitiones illas, & Israelitae ipsius praecepto ac voluntati obsequentes subegerunt omnia, neque fuit civitas, quae eriperetur ab eis. לשמיר pro להשמיר, & ita cum defectu litterae He *ad faciendum cadere femur*, *Num.* 5. *v.* 22. *& ad faciendum cessare pauperes terrae*. *Amos.* 8. *v.* 4. & similia hisce. מעזניה Nun stat pro littera duplicata, proprietas enim ejus esset מעוזזיה, sed ad lenitatem lectionis mutant litteram duplicatam in Nun, & ita *quia non sunt consumptae*, *Thren.* 3. *v.* 22. ubi תמנו est pro תממו

V. 12. *Et dixit*: ita Deus dixit ad Tyrum, dum verò ait *non adjicies ultra ad exultandum*, τὸ *ultra* non significat perpetuitatem, namque post septuaginta annos rediit ad potentiam suam, sed significat longitudi-

(*a*) Scil. Nili: Nilus & Tigris passim appellantur in Scriptura nomine *Rivi*, eo quòd ex illis multi rivi deducuntur, sicut & ex Euphrate: Vide *R. Salom. ad Genes. cap.* 41. *v.* 1.

tudinem temporis, veluti *& non addiderunt ultra turmae Aramiae*, 2. *Reg.* 6. *v.* 23. *& laboris ſui non recordabitur ultra*. *Prov.* 31. *v.* 7. *o oppreſſa*, ſcilicet etiam tu filia Tzidonis, ſurge tranſi in terram Cittim, quia vaſtata eſt Tyrus, quae veniebat ad te cum mercibus, quaeque erat vicina tibi, non eſt amplius tibi ſtatio, tu quoque oppreſſa es propter Tyrum; probabile enim eſt Tzidonem quoque vaſtaſſe Nebucadnetzarem, quum vaſtaret Tyrum, proximae enim erant, ideoque dicit *o oppreſſa*, quia oppreſſerunt eam unà cum Tyro, & re quidem vera de utraque prophetavit Joel dicens *Et etiam quid vos mihi Tyre & Tzidon* .... *velociſſimè reddam retributionem veſtram in caput veſtrum*. *c.* 3. *al.* 4. *v.* 4. ſed quum Tyrus eſſet civitas principalis, ideo edita fuit prophetia contra Tyrum, quam vocat virginem, quia non fuit ſubacta uſque ad hunc diem, & ita *virgo filiae Tzionis*: *Thr.* 2. *v.* 13 *virgini filiae Jehudae Thr.* 1. *v.* 15. Vocat igitur civitatem virginem, antequam ſubjiciatur, & ſit in poteſtate alterius, quia eſt veluti virgo, antequam veniat in poteſtatem viri. כתיים ſcriptum eſt cum duobus Jodìn, ſed alterum non legitur, quia Chirik eſt ſub Thau, non ſub Jod, ſed tamen idem eſt, veluti עבריים & עברים

V. 13. *Ecce terra*: ecce Babylo & Nineve & universla reliqua terra, quae hodie eſt terra Chaldaeorum, iſte populus non fuit ibi ab antiquo, quia Aſſur fundavit eam deſerticolis, quemadmodum dicitur in Lege *De terra illa egreſſus eſt Aſſur*: *& aedificavit Nineven, & plateas Civitatis, & Chelach*. *Genſ.* 10. *v.* 11. Chaldaei autem fuerunt filii Cheſed filii Nachor, qui ſubegerunt terram hanc, quae appellatur hodie terra Chaldaeorum, ſed Aſſur fundavit eam ab antiquo, idcirco vocatur terra iſta generaliter Aſſur, & qui regnant in ea, vocantur reges Aſſur: Verùm hodie pertinet ad Babylonios & Chaldaeos, quia iſti ſubegerunt eam, & ipſi erexerunt turres eas, quae hodie conſpiciuntur, & confregerunt palatia ejus, quae fuerant in ea ab initio, & poſuerunt eam in ruinam. Dum verò dicit *poſuit eam* in numero ſingulari, loquitur de rege illorum, & generaliter de populo. לציים intelligendum eſt juxta illud *& ad faciem ejus incurvabunt ſe deſerticolae*, *Pſal.* 72. *v.* 9. *populo deſerticolarum Pſ.* 74. *v.* 14. ſcilicet habitantibus in deſerto in terra ſiticuloſa, ait enim quòd Aſſur fundavit hanc terram, ut habitarent in ea illi, qui antea degebant in tentoriis in locis aridis. Refert autem ſignificationem hujus verſus ad Tyrios, quaſi dicat, ne ſit res haec mirabilis in oculis veſtris, ſi vaſtabitur Tyrus, quoniam ecce terra Chaldaeorum, quorum exercitus venit ad vaſtandam eam, fuerat aliorum ab initio, ac deinceps occupaverunt eam ipſi expulſis prioribus incolis, iiſdem verò rurſus ejectis, alii occupabunt eam, talis enim eſt conditio Mundi, unus aſcendit, alter deſcendit, ad oſtendendum Deum eſſe Dominum univerſae terrae. בחוניו turres ejus, ſicuti עפל ובחן *Jeſ.* 32. *v.* 14. עורדו confregerunt, veluti *confringendo confringetur*, *Jer.* 51. *v.* 58. Alii inter-

interpretantur *Ecce terra Chaldaeorum* de Tyro, quasi dicat, haec civitas nunc terra Chaldaeorum est, etsi non aedificavit eam populus iste, sed Assur fundavit eam pro navibus suis, interpretantes לציים *navibus*, juxta illud *navis magna Jes.* 33. *v.* 21. populus enim Assyriae erexerunt turres ejus, nunc autem venerunt Chaldaei cum Nebucadnetzare, & confregerunt palatia ejus, & posuerunt eam in ruinam. Alii denique ita explicant *Ecce terra Chaldaeorum*, isti potentiores sunt te, & tamen Creator vastaturus est eam per manus Persarum & Medorum, qui vastabunt ac desolabunt eam, donec dicant videntes eam, iste populus non fuit: & ita devastabit Deus terram Assyriorum, & erit fundata pro animalibus feris & bestiis; illi enim erexerunt turres, ipse autem posuit eam in ruinam.

V. 14. *Ululate*: vos, qui veniebatis cum navibus mercaturae gratia in Tyrum aut in Tzidonem, nunc ululate, quoniam vastatum est robur vestrum, scilicet Tyrus. Etenim quamplurimae naves erant in Tarsis, & negotiatores ibant illuc cum navibus, ut proficiscerentur in Tyrum aut in Tzidonem, quae postquam vastatae sunt, ululate, quia periit merces vestra, Tyrus enim erat robur ac praesidium vobis, qui contendebatis illuc cum negotiatoribus.

V. 15. *Et erit in die illa*: in die, qua vastabitur Tyrus, sancietur super eam, ut oblivioni tradatur septuaginta annos, quin reaedificetur. *juxta dies regis unius*, exponunt Interpretes, juxta dies regis Davidis, sed non explicant, cur dederit signum hoc: mihi autem videtur ideo dixisse *juxta dies regis unius*, quia dies hominis utplurimum sunt septuaginta anni, quemadmodum ait *Dies annorum nostrorum in ipsis septuaginta anni*, *Ps.* 90. *v.* 10. quo tempore dicit cessaturam a regno, & quia erat ei regnum magnum & gloria magna; quasi dicat, quanto tempore poterit vivere rex ejus, tanto erit absque regno. Verbis autem eorum, qui exponunt juxta dies regis Davidis, videtur mihi hujusmodi sensus inesse, quia regi Davidi erat foedus cum Chiramo rege Tyri, & post mortem Davidis & Salomonis non servaverunt foedus, sed mala intulerunt Israelitis pro modo ipsorum potentiae, ideo dicit, quòd hoc tempore cessabit illorum regnum, ut recordentur foederis Davidis, quod erat ei cum rege ipsorum, quodque ipsi non custodierunt, & ut sciant, quòd ob hanc transgressionem evenit sibi decretum hujusmodi. *a fine septuaginta annorum erit Tyro veluti canticum meretricis*, quia erat Tyrus multa negotiatione, & de omnibus gentibus & regnis egrediebantur, & veniebant ad eam negotiationis ergo, ideo assimilat eam meretrici, quam adeant plurimi, & interdum adeo tradatur oblivioni, ut ne unus quidem adeat eam, sic erit Tyrus, oblivioni tradetur ab iis, qui scortabantur post eam, scilicet a negotiatoribus; in fine verò septuaginta annorum erit ei visitatio, veluti canticum meretricis, meretrix enim postquam oblivioni tradita est multum temporis, videns scortatores transeuntes, quin respiciant in se, extol-

extollit vocem suam cum cantico, ut veniant ad se; sic Tyrus in fine septuaginta annorum rursus aedificabitur, & revertentur negotiatores ad eam, perinde ac si elevasset vocem suam in cantico, ut respicerent & reverterentur ad se.

V. 16. *Sume citharam:* dicit ad eam per similitudinem, ut faciat, quemadmodum facit meretrix oblivioni tradita, scilicet ut sumat citharam in manu sua, & circumeat civitatem, postquam latuit in domo sua, viditque neminem respicere in se, sumat, inquam, citharam, & circumeat civitatem, fortasse videbit ac audiet eam aliquis, cui suavis sit vox ejus, & veniet ad ipsam, ideo *circui civitatem meretrix oblivioni tradita &c.*

V. 17. *Et erit a fine .... visitabit Dominus:* ipse visitabit eam, ut sciat, a Domino evenisse sibi; Propheta enim prophetavit super eam in nomine Domini, & quidem antequam vastaretur, prophetavit vastationem & visitationem ejus. *& scortabitur*, scilicet mercaturam exercet, quemadmodum explicavimus, & ita vertit Jonatan *& sufficient merces ejus universis regnis populorum, qui sunt super facies terrae.*

V. 18. *Et erit merx ejus:* versus iste continet prophetiam futuram in diebus Messiae, aut fortassis extitit in diebus Templi secundi, sed vero similius est nondum extitisse, sicut & id, quod habetur in Capite sequenti.

JESAIAE CAP. XXIV.

1. Ecce Dominus evacuans terram & excidens eam: & pervertet faciem ejus, & disperget habitatores ejus. 2. Et erit sicut populus sic Sacerdos, sicut servus sic Dominus ejus, sicut ancilla sic Domina ejus: sic emens sicut vendens, sic mutuans sicut accipiens mutuum, sicut foenore accipiens sic foenerans ipsi. 3. Evacuando evacuabitur terra, & diripiendo diripietur: quia Dominus loquutus est verbum hoc. 4. Luxit *desolata est* decidit terra, languit decidit orbis: elanguerunt celsitudo *excelsi* populi terrae. 5. Et terra poenas luit in mulctam habitatorum suorum: quia transgressi sunt leges, mutaverunt statutum, irritum fecerunt foedus saeculi. 6. Ideo perjurium devoravit terram, & desolati sunt habitantes in ea:

ideo

ideo exarserunt habitatores terrae, & relinquentur homines pauci. 7. Luxit *desolatum est* mustum, elanguit vitis: gemuerunt omnes laeti corde. 8. Cessavit gaudium tympanorum, desiit strepitus exultantium: quievit gaudium citharae. 9. In cantico non bibent vinum: amara erit sicera bibentibus illam. 10. Perfracta est civitas inanitatis: clausa est omnis domus ab ingrediendo. 11. Vociferatio super *propter* vinum in plateis: obtenebrata est omnis laetitia, migravit gaudium terrae. 12. Remansit in Urbe desolatio: & vastatione conteretur porta. 13. Quia sic erit in interiori terrae, in medio populorum: sicut excussio oleae, sicut racemi, quando finita est vindemia. 14. Hi elevabunt vocem suam, praeconia dicent: in excellentia Domini hinnierunt *hinnient* a mari. 15. Idcirco in vallibus glorificate Dominum: in insulis maris nomen Domini Dei Israelis. 16. Ab ala terrae cantiones audivimus, oblectationem justo, & dixi, macies mihi macies mihi: vae mihi, praevaricantes praevaricati sunt, & praevaricatione praevaricantium praevaricati sunt. 17. Pavor & fovea & laqueus super te habitator terrae. 18. Et erit, fugiens a voce pavoris cadet in foveam, & ascendens de medio foveae capietur in laqueo: quia cataractae de excelso apertae sunt, & contremuerunt fundamenta terrae. 19. Confringendo confracta est terra; dissipando dissipata est terra, nutando nutavit terra. 20. Commovendo commovebitur terra sicut ebrius, & agitabitur sicut tugurium: & gravis erit super eam praevaricatio ipsius, & corruet & non adjiciet surgere. 21. Et erit in die illa, visitabit Dominus super exercitum excelsi in excelso: & super reges terrae in terra. 22. Et congregabuntur *ut* congregatione vincti in carcerem, & claudentur in clausura: & a multitudine dierum visitabuntur. 23. Et erubescet luna, & pudore afficietur sol: quia regnavit Dominus exercituum in monte Tzionis & in Jerosolyma, & coram senibus suis *erit in* gloria.

COM-

COMMENTARIUS.

V. 1. Ecce *Dominus evacuans*: Interpretes exponunt parasciam hanc de migratione decem Tribuum, & ita videtur ex Verbis Magistrorum nostrorum, quorum memoria sit in benedictione, & ita pariter sentit Jonatan; sed rectius est in oculis meis, quòd respiciat futurum, quemadmodum clarius innotescit ex fine parasciae. בוקק *evacuans*, quasi dicat, ego evacuabo eam, ut sit vacua viris suis, sed *vitis vacua*, *Hos.* 10. *v.* 1. illic Verbum est intransitivum, hic autem est transitivum. ובולקה *& excidens eam*, ne sit habitabilis, & ita *evacuatio & excisa*, *Nach.* 2. *v.* 11. juxta quam significationem in Verbis Magistrorum nostrorum, quorum memoria sit in benedictione, invenitur „ Neque Chillekum novimus, neque Billekum novimus „ nimirum divisionem annuli, & excisionem ejus. Dominus verò Pater meus, cujus memoria sit in benedictione, interpretatur in significatione aperitionis ex Arabico بلقة الكتاب, scilicet *aperitio januae*. Igitur בולקה significat *aperiens eam*, ut egrediantur viri ejus ex ea, & ad hoc inclinat mens Interpretis Chaldaei, qui ובולקה vertit *& tradet eam inimicis suis*. *& pervertet*, ait id metaphoricè, pervertet faciem terrae, quia non invenietur in ea ullus vivens: Jonatan vertit *& operiet confusio facies principum, eo quòd transgressi sint legem*. Omnibus verò hujusmodi verbis repetitur corruptio terrae, duplicatio enim significatus cum vocabulis diversis, quemadmodum mos est Scripturae, fit roborandi significatus gratia.

V. 2. *Et erit sicut populus*: omnia ista sunt Capphìn similitudinis, & unumquodque est subjectum simul & praedicatum, quapropter venit Caph praefixum cum utroque, videlicet hic sicut iste, & iste sicut hic, & ita *sic tu sicut ipsi*, *Jud.* 8. *v.* 18. *sic tu sicut Pharao*. *Genes.* 44. *v.* 18. Dum verò dicit *sicut populus sic Sacerdos*, *sicut servus sic Dominus ejus*, & sic de caeteris omnibus, vult ostendere, quòd in corruptione terrae non distinguent in ea corruptores honorabilem, neque rationem habebunt magnatis, sed omnes erunt aequales in decisione, eritque magnus sicut parvus, & parvus sicut magnus. Omnes verò isti, quorum meminit, sunt alter super alterum, quia Sacerdos est Dominus populi, veluti *Jetus Sacerdos Midjanis Exod.* 18. *v.* 1. emptor etiam stat supra venditorem, qui enim vendit possessiones suas, propter paupertatem vendit, emptor verò dives est, & dives est veluti dominus pauperis, uti dicit Scriptura *Dives in pauperes dominabitur*, *Prov.* 22. *v.* 7. pariter is, qui mutuum dat, est veluti dominus mutuum accipientis, uti dicit Scriptura *& erit servus mutuum accipiens viro mutuanti*, *Prov.* 22. *v.* 7. Dum verò ait *sicut foenore accipiens sic foenerans ipsi*, postquam dixit *sic mutuans sicut mutuum*

 acci-

accipiens hoc sibi vult, quòd alterum est debitum pecuniae, alterum cibi. כנושה significat foenore accipientem, נושה בו verò significat foenerantem ei, & praepositio Bet distinguit inter utrumque.

V. 3. *Evacuando . . . . quia Dominus exercituum loquutus est*: postquam ipse loquutus est, non poterit quisquam decernere contra eum, quia in veritate fiet, ut evacuetur terra & diripiatur.

V. 4. *Luxit*: videlicet desolata & corrupta est terra, & ita dicit *Luxit mustum h. cap. vers.* 7. נבלה idem ac נפלה, & ita *sicut decidit folium de vite*, *Jes.* 34. v. 4. geminat autem rem ad roborandum. *celsitudo populi terrae*, magnates uniuscujusque populi deficient.

V. 5. *Et terra poenas luit*: perinde ac si ostendisset improbitatem suam, quia fuit desolata, neque dedit fructus suos: & cur accidit hoc ei? propter iniquitatem habitatorum ejus, תחת enim significat *in mulctam*, veluti *in mulctam ejus, quòd non coluisti Deut.* 28. v. 47. *quia transgressi sunt leges*, si de Tribubus loquitur, quemadmodum exponunt Interpretes, hoc intelligendum est juxta simplicem sensum, nimirum quòd propter magnitudinem iniquitatum suarum deportatae sint; sed juxta expositionem, quòd prophetia haec futura sit contra nationes Mundi, verba ista *quia transgressi sunt leges* intelligenda sunt de servitute, qua premunt Israelitas durius, quam par est, quemadmodum ait Sanctus ille benedictus *ego iratus sum parum, & ipsi auxiliati sunt mihi in malum*. *Zach.* 1. v. 15. quocirca transgressi sunt leges, & excesserunt praeceptum in servitute Israelitarum. *irritum fecerunt foedus saeculi*, quemadmodum ait de Edomaeis *& non recordati sunt foederis fratrum*. *Amos* 1. v. 9. & ita Ammonitae Moabitae & Ismaelitae fratres fuerunt Israelitarum, & universi mala intulerunt eis. Calamitates autem, quae obvenerunt nationibus Mundi, in ultionem Israelitarum venerunt illis; & ita futurum est, ut Gogo & Magogo caeterisque nationibus in ultionem Israelitarum id mali eveniat, quod eventurum est.

V. 6. *Ideo*: quamvis ob caeteras quoque transgressiones, mulctati sint Israelitae, caeterique populi, perjurium tamen eorum, qui jurant in nomine Dei mendaciter, contra omnes generaliter est, & ob illud evenit utplurimum desolatio terrae; & ita dixerunt Magistri nostri, quorum memoria sit in benedictione „ De omnibus transgressio-
„ nibus, quae fiunt in Legem, sumitur ultio contra transgressorem,
„ hìc autem contra eum, & contra Mundum universum, quia dictum
„ est *Pejerare, & mentiri, &c. Hos.* 4. v. 2. itemque dictum est *pro-*
„ *pter perjurium desolata est terra*, *Jer.* 23. v. 10. „ אכלה ארץ cum Caph. ויאשמו cum Scevà sub Aleph & sub Scin, & significat desolationem. חרו significat ariditatem & combustionem, h. e. consumptionem.

V. 7.

V. 7. *Luxit mustum*: desolatio terrae fit, quando deficiunt fructus ejus, quia non dat frumentum mustum & oleum, & si desint cultores terrae, desunt quoque fructus. *Luxit*, videl. desolatum est mustum, & ita *propter hoc lugebit terra*, *Jer.* 4. *v.* 28. *gemuerunt laeti corde*, frumentum & mustum in causa sunt, ut dum multiplicantur, gaudeant homines, dum verò deficiunt, ingemiscant.

V. 8. *Cessavit gaudium Tympanorum*: cum tympanis enim & cum citharis genio indulgebant in domo convivii exultantes & laetantes, nunc verò cessavit ac desiit.

V. 9. *In cantico*: sicuti mos est indulgentium genio, qui bibunt inter cantica & cantiones, isti verò ingemiscent, nec erit in ore eorum canticum, & parum illud sicerae, quod bibent, amarum erit ipsis, erit nimirum veluti amaritudo in ore ipsorum ob multitudinem angustiarum.

V. 10. *Perfracta est civitas inanitatis*: postquam perfracta est, civitas inanitatis est, & ita *coxi super carbones ejus panem*, *Jes.* 44. *v.* 19. et similia istis. *clausa est omnis domus ab ingrediendo*, dum dicit *omnis*, vult innuere plerasque, veluti *Et omnis terra venerunt in Aegyptum*, *Genes.* 41. *v.* 57. etenim vastabuntur pleraeque domus, ideoque non erit facultas ingrediendi eas.

V. 11. *Vociferatio super vinum*: in plateis vociferabuntur super vinum illi, qui habent vinum vendendum, neque invenient emptorem, vociferantes verò sunt transeuntes per viam, aut pauci illi, qui superfuerunt in urbe: aut sensus est, vociferatio & ejulatus erit propter vinum in plateis, quia deficiet ab eis. ערבה כל שמחה obscurata est omnis laetitia, laetitia enim est in vino, sicut ait *Vinum laetificat cor hominis*, *Ps.* 104. *v.* 15. ערבה autem est a ערב *obscurari*, etenim laetitia lux est, contrarium verò illi tenebrae. *migravit gaudium terrae*, migravit & abiit gaudium de terra eorum.

V. 12. *Remansit*: gaudium & laetitia migraverunt ex urbe, & non remansit in ea nisi desolatio & vastatio. *in urbe*, scilicet in unaquaque urbe nationum Mundi. *vastatione*, scilicet in vastatione conteretur janua civitatis, quia non erit qui exeat, & ingrediatur. שאיה est nomen Synonymon שמה, veluti *donec desolentur civitates absque habitatore*, *Jes.* 6. *v.* 11. Tota autem ultio magna ista, cujus meminit, erit in diebus Messiae, in Gogum & Magogum, & in caeteras gentes; tresque illi versus, qui sunt in fine hujus parasciae, testantur de expositione nostra, quòd extitura sit prophetia haec in diebus Gogi & Magogi, quibus deficient populi plerique, & relinquentur pauci, quemadmodum ait *& relinquentur homines pauci*. *sup. v.* 6. & in versu sequenti pariter ait *sicut excussio oleae*.

V. 13. *Quia sic erit*: omnia, quorum mentio facta est, erunt in intimo terrae in medio populorum, donec superstites sint veluti excussio oleae, aut veluti racemi, postquam perfecta est vindemia. *sicut ex-*

cussio

cussio oleae, scilicet juxta decussionem arboris olivarum, quando enim quis excutit & decutit eam, relinquuntur paucae olivae, quae non ceciderunt in excussione, una hic, & altera istic, & ita postquam vindemiaverit aliquis vineam suam, relinquuntur in ea pauci racemi; ita erunt populi, plerique enim deficient, paucique relinquentur, & superstites confitebuntur Deum ejusque potentiam, quòd ipse est Dominus omnium, & in manu ejus sunt omnia, quum viderint cladem Gogi & Magogi, & de istis dictum est *ut invocent omnes ipsi nomen Domini, & colant eum humero uno. Tzeph.* 3. *v.* 9. & revera qui superfuerunt de exercitu Assyrio, postquam viderunt caedem ejus, conversi sunt ad serviendum Domino, sicuti scriptum est, & sicut explicavimus supra in Capite prophetiae Aegypti. אם כלה *quando finita est*, veluti *Et quando erit Jubilaeus filiis Israelis, Num.* 36. *v.* 4. *Et quando altare lapideum facies mihi, Exod.* 20. *v.* 25. & similia istis.

V. 14. *Hi elevabunt vocem suam*: in laude Dei, & cantabunt in excellentia Domini, quia viderunt, quòd exaltatus est super omnes populos, dum dejecit eos venientes contra Jerosolymam. *hinnierunt a mari*, pro *hinnient*, praeteritum enim saepe ponitur loco futuri. praesertim in prophetiis. *a mari*, scilicet ab Occidente, quasi dicat, illi, qui longè absunt a Jerosolyma, cantabunt, & vocem efferent in excellentia Domini.

V. 15. *Idcirco* באורים, scilicet *in vallibus*, veluti *de valle Chaldaeorum, Gens.* 15. *v.* 7. dicit autem *in vallibus*, quia pleraeque civitates sunt in convallibus, i. e. in planiciebus, non in montibus. Dum ait *Idcirco*, vult innuere id, quum videritis, & audiveritis potentiam Dei, & elationem ejus super populos, glorificate eum cum verbis laudationis, & ita in insulis maris longinquis glorificate Dominum Deum Israelitarum, quia propter eos fecit id, quod fecit in populos.

V. 16. *Ab ala terrae*: etiam ista parascia futura est, quemadmodum praecedens: ait Propheta, Ab ala terrae cantiones audivimus, oblectamentum justis. *Ab ala terrae*, scilicet ab extremitate terrae, & ita *Ad apprehendendum alas terrae Job.* 38. *v.* 13 scilicet extrema terrae, quasi dicat, e longinquo venit nobis fama, & nuncium hoc. Dicit autem *audivimus*, quia etiam Prophetae, qui fuerunt in diebus ejus, prophetarunt de re hac futura, sicuti scriptum est in ipsorum prophetiis. צבי significat oblectamentum & decorem, & ita *oblectatio est omnibus terris, Ezech.* 20. *v.* 6., & similia hisce, quasi dicat, cantiones hae, quas audivimus, cui sunt? justo, quia justum decet laetari ob eas, ipsius enim sunt istae modulationes, quemadmodum ait in principio Libri *In die illa erit germen Domini in decorem* (seu *oblectationem*) *& in gloriam cap.* 4. *v.* 2. & cuinam erit? reliquiis Israelis, scilicet justis, quemadmodum ait *oblectationem justo*, insuper ait *& erit relictus in Tzione, & residuus in Jerosolyma d. cap.* 4. *v.* 3.

v. 3 Dicit autem *macies mibi macies mibi*, quasi dicat Propheta, quando vidi ultionem venturam in Israelem in diebus redemptionis, quando defaecabuntur, & non remanebunt nisi justi, dixi רזי לי, i.e. *macies mibi*, quasi dicat, pinguedo carnis meae macruit propter hoc, & propterea vae mihi, quia plurimi praevaricatores erunt inter illos, qui omnes consumendi sunt: aut sensus est, quamplurimi praevaricatores praevaricabuntur inter eos: aut denique sensus est, quòd indicet quatuor regna, nimirum per בוגדים intelliguntur Babylonii, qui perfidè egerunt in Israelitas & alios, per בגדו Medi & Persae, qui hostiliter egerunt in Babylonios, per ובגד בוגדים intelliguntur Graeci, qui subjecerunt Medos & Persas, denique per בגדו Romani, qui vicerunt Graecos; qui omnes servitute subegerunt Israelitas, & praevaricati sunt in eos, dum exularent inter ipsos. Magistri verò nostri, quorum memoria sit in benedictione, mysticè exponentes dixerunt ,, ,, Exiit filia vocis, & dixit *macies mibi*, *macies mibi*; ait Propheta, ,, usquequo? rursus exiit filia vocis, & dixit *praevaricantes praevaricati sunt &c.* donec venerunt praedatores, & praedatores prae- ,, datorum ,, Jod in רזי est tertia radicalis verbi, sicut Jod in נקי. רזי autem habet accentum in penultima propter dictionem לי ad latus ipsius, quae est monosyllaba. Jonatan exponit רזי in significatione *secreti*, veluti *& omne secretum non facit negotium tibi*, *Dan.* 4. v. 6. ita enim reddit hunc versum *De domo Sanctuarii*, *unde futurum est*, *ut egrediatur gaudium omnibus habitatoribus terrae*, *laudes audivimus justorum*. *Dixit Propheta*, *secretum*, *praemium justorum monstratum est mibi*: *secretum*, *vindicta impiorum revelata est mibi*, *Vae illis*, *qui vim faciunt*, *quia vim patientur*; *& direptoribus*, *quia ecce diripientur*.

V. 17. *Pavor*: dicit hoc velut in conspectu populorum Mundi, Christianorum scilicet, Ismaëlitarum, & aliorum, qui habitant terram, & dominantur in ea, quos inter exulant Israelitae: ait igitur, ne putetis, quòd Israelitis tantùm futura sit angustia, quoniam vos etiam universi, qui putatis dominaturos & habitaturos terram, vagabimini de medio ejus, & quaelibet gens amovebitur de loco suo, Israelitae verò liberabuntur ex angustia, & justi scribentur ad vitam, sed vos nequaquam eripiemini.

V. 18. *Et erit*: versus hic est explanatio versus praecedentis. הפחת significat foveam magnam. *quia cataractae de excelso apertae sunt*, quia decreta descendunt e Coelo, ideo assimilat ea pluviae vehementi, ut dictum est de diluvio *& cataractae Coeli apertae sunt Gens.* 7. v. 11. & ita erunt decreta descendentia e Coelo ob nimiam multitudinem, instar diluvii, & propter hoc commovebuntur fundamenta terrae, quae non erit stabilis habitatoribus suis.

V. 19. רעה התרעעה significatio confractionis, itemque פור התפוררה, veluti *tu contrivisti in fortitudine tua mare*, *Psal.* 74. v. 13.

v. 13. omnis autem duplicatio inservit ad roborandas calamitates magnas, quae erunt in tempore illo super universam terram.

V. 20. *Commovendo commovebitur terra .... ficut tugurium*: scilicet ut tugurium custodis vinearum, qui extruit tugurium suum in vertice montis, & custodit inde omnes vineas, ipsum verò tugurium constructum est lignis levibus, ideoque non est ei firmitas, quum non moretur in eo custos, nisi eo tantùm tempore, quo extant uvae in vineis, ut custodiat eas. Ipsum autem tugurium appellatur מלונה, quasi *pernoctatorium*, eoquòd etiam noctu moretur ibi custos, & quando ventus percutit ipsum tugurium, agitatur huc & illuc, & propter levitatem suam persistit in agitatione sua, neque cadit in terram (*a*); sin autem sit in vertice ejus aliquid, quod aggravet illud, tum cadet: sic erit terra, nutabunt habitatores ejus huc & illuc, neque erit eis firmitas, quia verò praevaricationes eorum aggravabunt super eos, propterea cadent in terram, neque addent surgere super eam amplius.

V. 21. *Et erit in die illa, visitabit Dominus super exercitum excelsi in excelso*: nonnulli explicant hoc de atrore luminarium, quod est signum & portentum calamitatis gentium, idcirco dixit *& super reges terrae*. Sapiens verò R. Abrahamus filius Ezrae, cujus memoria sit in benedictione, opinatur exercitum excelsi esse Angelos, qui uni genti auxiliantur, alteri verò genti adversantur, quemadmodum declaratur in libro Danielis, idcirco ait *& super reges terrae*, quia regnum regum conjunctum est cum regno Angelorum.

V. 22. *Et congregabuntur congregatione vincti*: deest Caph similitudinis, pro *ut congregatione*; quemadmodum noctu congregant vinctos (scilicet captivos vel mancipia) in carcerem subterraneum, eosque claudunt in claustro usque ad matutinum tempus, quo abducunt eos quemque ad servitium suum, ita congrebuntur populi; nimirum erunt veluti captivi & vincti propter Israelitas, ne sit eis potestas elevandi manum & pedem, donec deprimantur depressione perfecta coram illis. *& a multitudine dierum*, scilicet post dies multos visitabuntur, & erunt omnes populi unusquisque in regno suo, quia postquam assuefacti fuerint per dies plures depressioni, non inferent amplius mala, & revertentur omnes gentes unaquaeque ad regnum suum. Dominus autem pater meus, cujus memoria sit in benedictione, interpretatur versum hunc de Israelitis, qui persistent in exilio quamplurimis diebus, & claudentur velut in carcere inter varios populos, sed post multitudinem dierum visitabuntur omnes gentes, & posteaquam transegerint dies plurimos in exilio, miserebitur eorum Deus, & visitabuntur.

V. 23. *Et erubescet Luna*: scilicet & erubescet gentibus Mundi luna, & pudefiet ipsis sol, quasi dicat, obscurabitur Mundus super eas ob multitudinem angustiarum; & hoc eveniet in bello Gogi & Magogi, quo tempore apparebit regnum Domini exercituum in monte Tzionis & in

(*a*) Vide *Aesop. fab.* 143. *de Olea & Arundine*.

& in Jerosolyma, eoquòd ibi castra ponent contra Jerosolymam, itemque subjicient medietatem Urbis; sed egredietur Deus, pugnabitque adversus gentes illas, & cum cognoscent omnes superstites ex universis populis, Domini esse regnum, ac erit coram senibus populi sui in gloriam & decorem, quemadmodum ait in principio Libri *erit germen Domini in decorem & gloriam &c. cap.* 4. *v.* 2. itemque dixit *Et erit relictus in Tzione &c. ibid. v.* 3. senes verò ejus sunt illi, qui supererunt ibi.

JESAIAE CAP. XXV.

1. DOmine Deus meus *es* tu, exaltabo te, confitebor nomini tuo, quoniam fecisti mirabile: consilia a longe veritas firmitas. 2. Quia posuisti de urbe in acervum, civitatem munitam in ruinam: palatium exterorum ex urbe, in saeculum non reaedificabitur. 3. Ideo glorificabunt te populus fortis: civitas gentium formidabilium timebunt te. 4. Quia fuisti fortitudo tenui, fortitudo pauperi in angustia ei *ejus*: protectio ab innundatione, umbraculum ab aestu; nam spiritus formidabilium sicut innundatio parietis. 5. Sicut aestus in loco sicco tumultum exterorum deprimes: *sicut* aestus in umbra nubis excisio formidabilium humiliabitur *excisionem formidabilium humiliabit Deus*. 6. Et faciet Dominus exercituum omnibus populis in monte hoc potum pinguedinum, potum faecium: pinguedinum medullatarum, faecium colatarum. 7. Et absorbebit *disperdet* in monte hoc faciem operimenti operti *expansi* super omnes populos: & tegminis obtecti *extensi* super omnes gentes. 8. Absorbebit mortem in sempiternum, & delebit Dominus Deus lachrymam ab omnibus faciebus: & opprobrium populi sui auferet ab universa terra, quia Dominus loquutus est. 9. Et dicet in die illa, ecce Deus noster iste, expectavimus eum, & servabit nos: iste Dominus, expectavimus eum, exultabimus & laetabimur in salute ejus. 10. Quia re-

requiescet manus Domini in monte isto : & conculcabitur Moab sub se, sicut conculcatur palea in sterquilinio. 11. Et extendet manus suas in medio ejus, quemadmodum extendit natans ad natandum: & humiliabit superbiam ejus cum cubitis manuum suarum. 12. Et munitionem sublimitatis murorum tuorum depressit humiliavit, pertingere fecit ad terram usque ad pulverem.

COMMENTARIUS.

V. 1. *Domine Deus meus:* & tunc dicet in diebus illis unusquisque ex senibus, quorum meminit dicens *& coram senibus suis (erit in) gloria. cap. sup. v. ult. Domine Deus meus es tu*, scilicet judex meus es tu, quia sumpsisti judicium meum de gentibus Mundi, nunc ego verè cognosco te esse Deum meum, quapropter exaltabo te, & confitebor nomini tuo, quasi dicat, dabo tibi in laudatione mea exaltationem, quia exaltatus & elatus es super omnes populos. Dicit autem *exaltabo te*, simulque *nomini tuo*, quia ipse est nomen suum, & nomen suum est ipse. *quoniam fecisti mirabile*, scilicet rem mirabilem in oculis nostris, qui cepisti nos de medio gentium, quas inter dispersi eramus, & quibus serviebamus. Praeterea quia post congregationem captivitatum congregabuntur contra nos Gogus & Magogus, aliique populi multi, qui cum illo erunt, & eos omnes dejicies super montes Israelis, quemadmodum scriptum est in prophetia Ezechielis, & in prophetia Zachariae, miraculum magnum erit hoc. *consilia a longe veritas firmitas*, consilia, quae statuisti a tempore longinquo per Prophetas tuos, subsistent firmitate stabili, idque est *veritas firmitas*, juxta illud רעים ונאמנים, scilicet stabiles & perseverantes, *Deut.* 28. *v.* 59. pariter *in loco fideli*, scilicet firmo & stabili, *Jes.* 22. *v.* 23.

V. 2. *Quia posuisti de Urbe:* de eo loco, ubi erat civitas, fecisti acervum, vid. convertisti in cumulum lapidum, nam plurimae ex Civitatibus gentium destruentur in diebus illis: repetitio ejusdem rei cum vocabulis diversis fit ad roborandum significatum. לכפלה cum Tzere sub Phe. *palatium exterorum ex urbe*, cessabit esse urbs quia in saeculum non reaedificabitur. Dicit *palatium exterorum* de Roma, quia est veluti Palatium, i. e. Metropolis, omnium civitatum Christianorum, & hi sunt exteri & alienigenae.

V. 3. *Ideo:* etiam fortes ac formidabiles, qui sunt inter nationes Mundi, timebunt & glorificabunt te, quum viderint id, quod feceris in Gogum & Magogum & exercitum ejus.

V. 4

V. 4. *Quia fuisti fortitudo tenui*: tenues & pauperes sunt Israelitae: assimilat angustias & exilium inundationi aquarum & aestui Solis, Deus autem fuit refugium & umbra illis, ne deficerent in exilio. Deinde explicat parabolam dicens *nam spiritus formidabilium sicut inundatio parietis*, videlicet indignatio tyrannorum gentium contra Israelitas fuit ipsis velut inundatio aquarum dejiciens parietem, & nisi fuissent misericordiae Dei, non evenisset nobis surrectio. *spiritus* hic significat indignationem, veluti *Ne festines in spiritu tuo ad irascendum*, *Eccl.* 7. *v.* 10. *Totum spiritum suum profert stultus*, *Prov.* 29. *v.* 11. *requiescere fecerunt spiritum meum Zach.* 6. *v.* 8.

V. 5. *Sicut aestus in loco sicco*: sicut ab aestu & a calore in loco torrido non est hominibus effugium neque receptus, sic tu depressisti turbas exterorum illorum, adeo ut nullum fuerit ipsis effugium & asylum. *aestus in umbra nubis*, idem aestus gentibus erit veluti calor vehemens in loco arido, Israelitis verò erit sicut aestus in umbra nubis densae; nimirum angustiae magnae erunt in illis diebus nationibus Mundi, simulque Israelitis, quemadmodum scripsimus in Capite praecedenti vers. *Et erubescet Luna*, verùm Israelitae eripientur ab ista calamitate, ut scriptum est *omnis inventus scriptus in libro*. *Dan.* 12. *v.* 1. erit enim ipsis hujusmodi aestus velut aestus, quem superveniat umbra frigefaciens illum, gentibus verò erit exterminatio, quia deprimet eas. זמיר significat excisionem & amputationem, veluti *& vineam tuam non putabis*. *Lev.* 25. *v.* 4. יענה significat humiliationem, veluti *humiliari coram me*: *Exod.* 10. *v.* 3.

V. 6. *Et faciet Dominus . . . . . in monte hoc*: scilicet in monte Tzionis, quia ibi congregabuntur omnes gentes contra Jerosolymam. *potum pinguedinum*, שמנים propriè significat lardum, & est metaphora calicis, quem bibent illic, quemadmodum ait *Quia sicuti bibistis super montem sanctitatis meae*, *bibent omnes gentes Obad.* 1. *v.* 16. & totum hoc est per modum metaphorae, quemadmodum pariter ait *ponam Jerosolymam calicem ebrietatis omnibus populis Zach.* 12. *v.* 2. Dicit, quòd potus ille, quem faciet Dominus, erit potus pinguedinum medullatarum, scilicet rerum pingium valde, ex significatione τȣ̃ מוח, i. e. medullae, quamvis non sit ex eadem radice, sed ex מחה. Potus verò pinguedine abundans, quando quis bibit ex illo, aggravat cor, & premit illud; quantò magis igitur potus faecium, quae sint fusae & expurgatae ex vino? totum autem hoc est metaphora turbationum, quae erunt in illis, quippe sese invicem interficient alter alterum, ut ait *& ascendet manus ejus super manum proximi sui*, *Zach* 14. *v.* 13. Jonatan vertit *Et faciet Dominus exercituum omnibus populis in monte isto prandium & convivium*, *& putabunt*, *quod sit in gloriam*, *& erit eis in ignominiam*, *& in plagas fortes*, *plagas ex quibus non liberabuntur*, *& in quibus deficient*, ubi שרו significat convivium, & זמנא, quòd invitabit, ut veniant ad convivium hoc, ad quod propositum

 pari-

pariter dictum est *& ascendere faciam te a lateribus Aquilonis, & adducam te super montes Israelis. Ezech. 39. v. 2.*

V. 7. *Et absorbebit*: videl. disperdet, quemadmodum ait *sicut disperdit impius justiorem se. Chabak. 1. v. 13.* & similia his. הלוט הלוט primum est nomen substantivum, alterum verò participium passivum, sicuti etiam והמסכה הנסוכה; & quamvis sit cum Cholem, tamen est Toar: versus autem duplicatus est cum vocabulis diversis, quia operimentum opertum idem valet ac tegmen obtectum. Versus igitur hic significat absconsionem & operimentum, quo latuerunt gentes usque ad hunc diem, quae fuerunt in tranquillitate & in principatu; verùm disrumpet Deus operimentum ipsum, & revelabuntur, eruntque destinatae calamitati venturae super ipsas, neque erit eis tegmen neque effugium ex ea. Vox *faciem* id significat, quòd usque in diem hunc ita latuerunt, perinde ac si facies eorum non esset conspecta, juxta illud *viro, cujus via abscondita est*; *Job. 3. v. 23.*

V. 8. *Absorbebit mortem:* perdet ac cessare faciet mortem, scilicet mortem accidentalem, non verò naturalem, h. e. occisionem, qua occidebant ipsos gentes in exilio, tunc cessare faciet hujusmodi mortem & lacrymas, quae erant super omnes facies, videlicet super omnes facies populi Israelitici, qui assiduè flebat in exilio propter afflictiones, quas inferebant ei gentes; tunc, inquam, delebit Deus lacrymas a faciebus eorum, neque erit eis amplius angustia. *& opprobrium populi sui auferet ab universa terra*, fuerunt enim dispersi in universam terram, eratque ipsis opprobrium in omni loco, verùm Deus auferet hujusmodi opprobrium. *quia Dominus loquutus est*, verè erit hoc, quia Dominus loquutus est, id autem, quod loquitur, subsistet omnibus modis.

V. 9. *Et dicet:* populus ejus, cujus meminit, dicet in die illa, quum viderint salutem magnam, ecce Deus noster hic est, cui praestolati sumus in exilio, ut salvaret nos, ecce hic est, qui salvabit nos: deinde repetit eamdem rem, & ait *iste Dominus, expectavimus eum*, nunc, quia salvabit nos, exultabimus ac laetabimur in salute ejus.

V. 10. *Quia requiescet manus Domini*: ad percutiendas gentes. *& conculcabitur Moab*, ait id, etsi nationes sint confusae, neque dignoscatur hodie, quinam sint Ammonitae, quinam Moabitae, quinam Edomaei, & sic de caeteris nationibus, & ita ne in illis quidem diebus dignoscentur populi: & ita scriptum est in prophetia Danielis *& hae eripientur de manu ejus, Edom, & Moab, & primitiae filiorum Ammon. cap. 11. v. 41.* scilicet de manu regis Aquilonis; sed si eripientur de manu regis Aquilonis, nequaquam eripientur de manu Dei in bello Gogi & Magogi. Sensus igitur est, quòd licèt non dignoscantur, & sint invicem permixti, probabile tamen est, quòd inter eos extiturae sint familiae notae; aut forsan appellat Edom nationem illam, quae habitat in terra Edom, & appellat Moab nationem eam, quae habitat in terra Moab, &

sic

sic de omnibus. Hic verò mentionem facit Moabitarum, quia isti erunt auxilio gentibus venientibus contra Jerosolymam unà cum Gogo & Magogo. Praeterea quia Moabitae habitant propè terram Israelitarum, eisque proximi sunt, parabunt illis venientibus viam, & erunt cum ipsis, idcirco meminit Moabitarum speciatim. Ait *conculcabitur Moab sub se*, i. e. in loco suo, quemadmodum vertit Jonatan *in locis ipsorum:* conculcabitur igitur, sicuti conculcatur palea in sterquilinio. מתבן idem ac תבן, & מדמנה significat sterquilinium, quia stercus, quod est in sterquilinio, appellatur דמן, veluti *fuerunt fimus terrae. Psal.* 83. *v.* 11. *sicut fimus super faciem agri*: *Jer.* 9. *v.* 22. Dominus autem Pater meus, cujus memoria sit in benedictione, sentit מדמנה esse nomen unius ex civitatibus Moabitarum, ut scriptum est in prophetia Moab *Cap.* 10. *v.* 31. & sensum hujus versiculi talem esse: & conculcabitur Moab in loco suo, scilicet in Madmena, sicuti conculcatur palea, i. e. sicuti conculcant paleam.

V. 11. *Et extendet*: Deus extendet manus suas in medio Moabitarum, quemadmodum extendit natator ad natandum (qui enim discurrit per aquas, extendit manus suas cum totis viribus) & humiliabit superbiam Moabitarum עם ארבות ידיו, i. e. cum cubitis manuum suarum, natans enim demittit quidquid sibi occurrit in aquis sub cubitos manuum suarum, dum illas extendit, sic Deus humiliabit omnem superbiam Moabitarum. Alibi etiam facit mentionem superbiae Moabitarum, ubi dicit *Audivimus superbiam Moab, superbus est valde &c. Jes.* 16. *v.* 6.

V. 12. *Et munitionem sublimitatis*: conjunctum post conjunctum, & ita *numerum numerationis populi* 2. *Sam.* 24. *v.* 9. & similia hisce. *usque ad pulverem*, ne sit ei amplius resurrectio.

JESAIAE CAP. XXVI.

1. IN die illa cantabitur canticum hoc in terra Jehudae: urbs fortitudinis nobis, salutem ponet muros & antemurale. 2. Aperite portas: & ingrediatur gens justa custodiens veritates. 3. Figmentum fultum *super te* custodies, pacem pacem *tribues ei*: quia in te confisum *est*. 4. Confidite in Domino usque in saeculum: quia in Domino Deo rupes saeculorum. 5. Etenim depressit habitatores excelsi, Civitatem sublimem: humiliabit eam, humilia-

liabit eam usque ad terram, pertingere faciet eam usque ad pulverem. 6. Conculcabit eam pes: pedes pauperis, gressus tenuium. 7. Semitam justo rectitudinum *parabis: o* recte orbitam justi diriges. 8. Etiam *in* via judiciorum tuorum Domine expectavimus te: ad nomen tuum & ad memoriam tuam desiderium animae *nostrae*. 9. Animâ meâ desideravi te in nocte, etiam spiritu meo in medio mei mane = quaeram te: nam quando judicia tua in terra, justitiam didicerunt habitatores Orbis. 10. Gratiam consequetur impius, *qui* non didicit justitiam? in terra aequitatum iniquè aget: & non videbit sublimitatem Domini. 11. Domine elevata est manus tua, non videbunt: videbunt & pudore afficientur zelo populi, etiam ignis hostes tuos devorabit. 12. Domine dispones pacem nobis: quia etiam omnia opera nostra operatus es nobis. 13. Domine Deus noster, dominati sunt nobis domini praeter te: tantùm in te *spes nostra*, memorabimus nomen tuum. 14. Mortui non vivent, manes non resurgent: propterea visitasti & disperdidisti eos, & perire fecisti omnem memoriam eorum. 15. Addidisti genti Domine, addidisti genti, glorificatus es: elongasti *in* omnes fines terrae. 16. Domine in angustia visitaverunt te: effuderunt orationem, *dum erat* castigatio tua eis. 17. Quemadmodum praegnans, quando proxima est partui, dolet clamat in doloribus suis: sic fuimus a facie tua Domine. 18. Concepimus doluimus, quasi peperimus ventum: *negotium* salutum non factum est *in* terra, nec ceciderunt habitatores Orbis. 19. Reviviscent mortui tui, *ut* cadaver meum (*cum cadavere meo*) resurgent: expergiscimini & cantate habitatores pulveris, quia ros olerum ros tuus, & terra manes *mortuos* ejiciet. 20. Vade popule mi, ingredere in penetralia tua, & claude ostium tuum post te: absconde te ut paululum momenti, donec transeat ira. 21. Quoniam ecce Dominus egrediens e loco suo ad visitandum iniqui-
ta-

tatem habitatoris terrae super eum: & revelabit terra sanguines suos, & non operiet ultra interfectos suos.

COMMENTARIUS.

V. 1. IN *die illa:* totum hoc eveniet in tempore salutis; canticum verò, quod tum cantabitur, sunt versus sequentes. Dicit *in terra Jehudae*, quia ibi erit bellum & salus. Dicent igitur de Jerosolyma, quòd ipsa est urbs fortitudinis nobis, quia posuit Sanctus ille benedictus muros & antemurale ejus salutem, sic alibi *& vocabis salutem muros tuos, Jes.* 60. *v.* 18. Antemurale verò est murus parvus ante murum magnum. In Verbis Magistrorum nostrorum, quorum memoria sit in benedictione „ Quid est חיל וחומה *Thr.* 2. *v.* 8.? „ murus, & filius muri „ חל propriè significat excavationem, quae est circa murum, nam Targumistae pro גיא reponunt חילתא.

V. 2. *Aperite:* metaphoricè ait, quòd terra Israelis aperietur eis, quia est hodie quodammodo clausa in conspectu ipsorum. *custodiens veritates*, quia custodierunt in exilio fidem Dei, neque coluerunt cultum exterum, quemadmodum ait *Si obliti sumus nominis Dei nostri: & expandimus palmas nostras ad Deum alienum. Psal.* 44. *v.* 21.

V. 3. *Figmentum fultum:* dicit veluti coram Deo formatore, figmentum, quod est fultum & inixum super te, servabis, quia in te confidit; vid. quia speravit in te, custodisti illud, eique dedisti pacem pacem, quae duplicatio roborat pacem. בטוח est nomen adjectivum juxta formam Paul (*a*).

V. 4. *Confidite in Domino* עדי עד, i. e. usque in saeculum, aut etiam עדי significat saeculum, & replicatur, quasi dicat, in omnibus saeculis sperate in eum, & ita vertit Jonatan *in saeculum & saecula saeculorum. quia in Domino Deo rupes saeculorum*, quia in eum decet confidere, quum sit rupes saeculorum, scilicet fortitudo temporum omnium. צור est nomen adjectivum, sic *Deus fortis, perfectum est opus ejus, Deut.* 32. *v.* 4 Licet etiam explicare ut nomen substantivum, scil. fortitudo saeculorum, & hoc modo perinde est, ac si dicatur vita saeculorum. ביה יהוה, primum est nomen Toar docens de existentia Mundi ab eo, alterum verò tetragrammaton est nomen proprium.

V. 5. *Etenim depressit:* in hoc cognoscetis bonum esse confidere & sperare in eum (vos enim, Domus Israelis, speravistis in eum) nam

(*a*) Ego ita planius redderem hunc versum *Figmentum fultum*, i. e. innixum super te, *custodies incolume incolume*, i. e. prorsus incolume, *quia in te confisum est:* sumpto nomine שלום non pro substantivo, sed pro adjectivo, juxta formam קרוב.

nam depressit & humiliavit inimicos vestros, qui habitabant altitudinem civitatis excelsae, & unamquamque civitatem illorum excelsam humiliavit; aut loquitur de aliqua peculiari civitate illorum, quam deprimet &c. repetitio autem roborat significatum.

V. 6. *Conculcabit eam:* postquam ceciderit in terram, conculcabit eam pes: & quinam pes? pedes pauperum, i. e. Israelitarum. *gressus tenuium*, replicatio rei cum vocabulis diversis juxta morem, vult dicere, quòd conculcabunt Israelitae superbiam & elationem eorum, eruntque domini super eos, pro eo quod fuerunt servi subter eosdem.

V. 7. *Semitam justo rectitudinum*, pro *semitam rectitudinum justo*: sensus autem est, tu dabis justo, & parabis ante eum viam rectitudinum, & diriges orbitam ejus. ישר est casus vocationis veluti coram Deo benedicto, ait enim, tu es Deus rectus, & dirigis orbitam justi, qua ratione dixerunt „ Qui venit, ut mundetur, adjuvant eum „ תפלס significat directionem, & ita *dirige semitam pedis tui: Prov. 4. v. 26.* & hinc virga bilancium appellatur פלס, quia dirigit pondus, veluti *& ponderavit in statera montes, Jes. 40. v. 12.*

V. 8. *Etiam via*: etiam in via judiciorum tuorum Domine expectabamus te, quasi dicat, etiam in tempore, quo perveniebant judicia tua super nos, quando castigabas nos in exilio propter peccata nostra, tamen expectabamus te, nec abjiciebamus spem redemptionis, sed ad nomen & memoriam tuam erat desiderium animae nostrae. *ad nomen tuum*, scilicet ad recordationem tui, desiderabamus enim prophetam, qui commemoraret nobis nomen tuum, diceretque nobis verbum ex te.

V. 9. *Anima mea desideravi te:* quando loquitur in persona Israelis, interdum loquitur in numero plurali, habita ratione individuorum, interdum loquitur in numero singulari; ait igitur, in anima mea desideravi te, quasi dicat, cum tota vi & voluntate mea concupivi te. *etiam spiritu meo in medio mei*, quoadusque erit spiritus meus in medio mei, studiosè pervestigabo te, ac praeveniam te in oratione mea. *nam quando judicia tua in terra*, quamvis judicia tua veniant super nos, tamen ob id me non prohibeo, quin sequar & concupiscam te, quia video judicia tua bona esse, quando enim judicia tua veniunt super terram, ista corripiunt, ac docent facere justitiam habitatores Orbis; isti verò sunt, quos Deus tangit in corde, quia propter eos Mundus subsistit, sed improbi non consequentur gratiam, & id est, quod ait:

V. 10. *Gratiam consequetur impius?* interrogativè ait, gratiam consequetur impius? is non didicit justitiam propter judicia tua, dixit enim, non sunt ad eruditionem, sed casus operatur in Mundo, non est judicium neque judex. *in terra aequitatum iniquè aget*, in terra, ubi conversi fuerint ad faciendas aequitates, & eruditi fuerint propter judicia tua, quae tetigerunt ipsos, ille non ita faciet, verùm iniquè

aget,

aget, operabitur iniquitatem secundum judicium suum. *& non videbit sublimitatem Domini*, nonnulli explicant id per modum fatuitatis, quòd non videbit impius celsitudinem Domini, nimirum quòd non videbit bonitatem, sed rectum est, ut intelligatur per modum iniquitatis, quemadmodum ait *iniquè aget*, & quare? quia non videt celsitudinem Domini, neque existimat, Deum respicere res humanas, ideo extollet se super eos, ut retribuat illis secundum iniquitatem ipsorum.

V. 11. *Domine elevata est manus tua, non videbunt* (a): impii non vident, quando elevatur manus tua, quasi dicat, non existimant ultionem venientem super impios esse a manu tua. *videbunt & pudore afficientur zelo populi*, videbunt in tempore salutis, quando zelotypus eris populi tui, & salvabis eum, videbunt, inquam, & pudore afficientur, quemadmodum ait *zelatus sum Jerosolymam & Tzionem zelo magno. Zach.* 1. *v.* 14. etenim tunc non poterunt dicere, casus est hic, quia videbunt populum parvum ereptum e populis multis, & tum erubescent ac afficientur confusione. *etiam ignis hostes tuos devorabit*, ignis devorabit eos, quia quum quis erubescit, convertitur facies ejus in ignem, quemadmodum ait *facies flammarum facies eorum. Jes.* 13. *v.* 8.

V. 12. *Domine* תשפות, i. e. dispones, ex illo *dispone ollam* 2. *Reg.* 4. *v.* 38. ait, dispones pacem nobis, quia in manu tua est facere, quemadmodum operatus es; tu operatus es omnia, & fecisti nobis omnia opera nostra, quidquid enim vicissitudinum accidit nobis, sive bonum sive malum, tu operatus es omnia, neque fuit per casum. Quandoquidem igitur in manu tua sunt omnia, dispone nobis pacem, quia per plurimos dies fuimus in angore propter exilium, & hinc ac inde da nobis pacem. Dominus verò Pater meus, cujus memoria sit in benedictione, ita interpretatur: dispones pacem nobis, quia cum dederis nobis pacem, jam omnia opera nostra operatus fueris, siquidem nobis omnia pendent a pace.

V. 13. *Domine Deus noster*: recordare nobis, quòd firmos ac fortes nos exhibuimus tecum in exilio, licèt enim gentes dominatae sint nobis, & egerint in nos crudeliter, tamen non commemoravimus nisi nomen tuum, si enim commemoravissemus nomen Deorum alienorum, sicut inimici nostri, quibus suberamus, liberati essemus de manu eorum, & fuissemus in dignitate excelsa, & in magnitudine, sicut ipsi; verùm noluimus, & potius pertulimus miseriam, immo commemoravimus nomen tuum coram inimicis nostris, & diximus in te esse spem nostram, neque mutaturos te in alium.

V. 14. *Mortui non vivent*: hi sunt populi illi, ad quos non respeximus in exilio, quia sunt mortui, nec est in eis quidquam solidi. *non vivent*, scil. non est in eis vita seu vivacitas, & ipsi sunt veluti mortui, qui non resurgent, quemadmodum ait *e loco suo non movebit se: Jes* 46. *v.* 7. *propterea visitasti*, scilicet tu super eos, & su-

 per

(a) Melius fortasse verti posset *Domine elevatum manum tuam non videbunt*.

per cultores eorum, & ita disperdisti illos e Mundo, ut non remanserit memoria eorum. *omnem memoriam*, i. e. omnimodam recordationem, veluti *omne opus non facietis: Lev.* 23. *v.* 3. *&* 31.

V. 15. *Addidisti genti Domine*: illorum nomina delevisti & perdidisti, genti verò tuae addidisti, & auxisti omne bonum: quia verò glorificatus es in illa, & non in gentibus aliis, idcirco amandasti eas usque ad extremitates terrae, quasi dicat, exagitasti eas huc & illuc, & emigrare fecisti de terra sua usque ad extrema terrae.

V. 16. *Domine in angustia visitaverunt te*: quum essent Israelitae in angustia propter exilium, visitaverunt te, quasi dicat, te solummodo visitaverunt in tempore angustiae ipsorum, non alium. *effuderunt orationem, castigatio eis*, in tempore, quo erat castigatio tua illis, effundebant in conspectu tuo precem, quia sciebant calamitatem, quae ipsis obvenerat in exilio, esse castigationem tuam, neque accidisse casu, verùm te castigare ipsos ob iniquitatem suam, ideo confitebantur, & precabantur coram te, & ita fuit consuetudo & modus ipsorum per totum tempus, quo fuerunt in exilio. צקון Nun est paragogicum, sicut Nun *neque cognoverunt patres tui, Deut.* 8. *v.* 3. deficit autem prima radicalis Verbi, nam radix ejus est יצק · לחש verò significat orationem, quae ita vocatur, quia dicitur submissa voce; Jonatan vertit *Domine in tribulatione erant memores timoris tui; in angustia sua docebant doctrinam legis tuae tacitè*. vult dicere, temporibus persequutionis in exilio, quia decernebant contra eos, ne discerent Legem, & ne exequerentur praecepta, ipsi tamen clam discebant, ac exequebantur.

V. 17. *Quemadmodum praegnans*: Dominus Pater meus, cujus memoria sit in benedictione, exponit versum hunc ut conjunctum praecedenti *effuderunt orationem, castigatio eis*, & ait, quotiescumque percutis eos & castigas, ipsi convertuntur ad te, & diligunt te veluti praegnans, quae propè est, ut pariat, etenim in tempore, quo proxima est partui, dolores ejus magis crescunt, & quamvis sciat, maritum suum causasse hoc sibi, non ideo tamen eum odit, immo in eadem hora, qua dolores ipsius fiunt vehementiores, amat illum, ita nos sumus, quo enim tempore affligis & castigas nos, amamus te magis, & convertimur ad te in toto corde.

V. 18. *Concepimus doluimus, quasi peperimus ventum*: ita explicat Dominus Pater mejus, cujus memoria sit in benedictione, mulier pariens, postquam peperit, scit se jam liberatam esse, verùm hìc sensus est, nos fuimus veluti mulier, quae sit proxima partui ante tempus suum, & non pariat, idque est *quasi peperimus ventum* (*a*), tum enim illa non laetatur in cessatione dolorum, certò enim scit, se mox staturam rursus in sella parturientium: ita fuimus nos in exilio, etenim

(*a*) Verba sic invertenda sunt *sed peperimus tanquam ventum*, i. e. non verum foetum, sed rem similem vento, q. d. non verè peperimus.

nim in tempore, quo liberati fuimus ex angustia, nequaquam gavisi sumus, quia sciebamus, quòd alia continuò sit connexa, & ventura post illam, & in statu hoc fuimus per omnes dies exilii, quia negotium salutis, quam sperare fecisti, non fuit factum in terra. *& non ceciderunt habitatores Orbis*, non exciderunt e regno nationes Mundi, quia hoc erit signum salutis & redemptionis nostrae, quum ceciderint illae, resurrecturos nos, & ideo quotiescumque fuimus liberati ex angustia, nequaquam gavisi sumus ob id, quia sciebamus, nondum pervenisse tempus salutis, quum non vidissemus cecidisse habitatores Orbis. נעשה Niphal intransitivum.

V. 19. *Reviviscent mortui tui:* ait, tunc in tempore salutis reviviscent mortui tui, Sanctus enim ille benedictus vivificaturus est mortuos in tempore salutis, quemadmodum habetur in prophetia Danielis *Et multi ex dormientibus in terra pulveris expergiscentur, cap. 12. v. 2.* & nos jam scripsimus in hujusce capitis principio, quod est *In die illa cantabitur canticum hoc*, quod canticum est argumentum capitis hujus ad hunc usque versum. Ait igitur Propheta, tunc reviviscent mortui tui, ubi pronomen possessivum refertur ad Deum, vult enim innuere justos, qui sunt Dei, quemadmodum dixerunt Magistri nostri, quorum memoria sit in benedictione „ Quia revivificatio mor„ tuorum, justorum est, non autem improborum „ & ita videtur ex hoc versu, ubi dicit *mortui tui*, & ita pariter in prophetia Danielis, ubi ait *Et multi:* deinceps ait נבלתי יקומון, ubi deest praepositio *cum*, aut adverbium similitudinis *ut*, i. e. *ut cadaver meum*, vel *cum cadavere meo*, nimirum quum resurget cadaver meum ex pulvere, resurgent quoque caeteri justi, ipse verò pro certo sperabat se resurrecturum, quia cognoscebat se ipsum justum. *expergiscimini & cantate*, tum dicet unusquisque socio suo, expergiscimini & cantate, qui jacetis in pulvere: aut egredietur vox de Coelo, quae dicet illis hoc. *quia ros olerum ros tuus*, אורות sunt olera, & ita *ad colligendum olera*, 2. *Reg.* 4. *v.* 39. Ait igitur metaphoricè, ros conveniens oleribus ros tuus est, scilicet ut ros revivificans olera, & faciens illa germinare, ita ros tuus est, ubi loquitur veluti coram Deo, qui revivificabit mortuos. *terra manes ejiciet*, terra projiciet mortuos ab se foras. תפיל est vocabulum mulieris abortientis. וארץ pro והארץ, deest enim He demonstrationis, vel Thau in תפיל refertur ad Deum, scilicet vivificabis mortuos tuos, verùm impios (& hi sunt *manes*) cadere facies in terram, quia non vivificabis eos.

V. 20. *Vade popule mi:* versus hic loquitur de bello Gogi & Magogi, cujus causa erit angustia Israelitis per parum temporis: ait igitur metaphoricè, Vade popule mi, ingredere in penetralia tua, & claude januam tuam post te. Haec, inquam, metaphora est, ut abscondat se in operibus bonis, & in conversione perfecta, etenim quasi parum momenti erit indignatio, & transibit, & boni eripientur, quemadmo-

madmodum ait *omnis inventus scriptus in libro*. *Dan.* 12. *v.* 1. חבי, utitur genere foeminino loquens ad populum, quem commemoravit dicens עמי, quia τὸ עם invenimus etiam in genere foeminino, veluti *Quare rebellis est populus iste? Jer.* 8. *v.* 5. *& peccati reus judicatur populus tuus*. *Exod.* 5. *v.* 16. sed utplurimum est generis masculini. Alii autem exponunt hujusmodi vocem per nomen substantivum, juxta formam שבי, צבי. דלתיך scriptum est cum Jod, quod indicat numerum pluralem, sed legitur דלתך in numero singulari per modum universalitatis. Non est autem ex forma דלת cum duplici Saegol, quia in singulari dicit דלתך (*a*), veluti *& perforavit foramen in ostio ejus*, 2. *Reg.* 12. *v.* 9. יעבור scriptum est cum Vau, sed legitur absque Vau cum Kametz = Chatuph propter Makkaph.

V. 21. *Quoniam ecce Dominus egrediens e loco suo*: per quemdam loquendi modum, veluti eodem sensu ait *Et egredietur Dominus, & praeliabitur contra gentes illas*: *Zach.* 14. *v.* 3. & omnis iniquitas eorum, quae praecesserit, visitabitur super eos in tempore illo, itemque omnis sanguis innocens, quem effuderint, visitabitur super eos; quum enim nondum vindicatus est sanguis, perinde videtur, ac si tegatur sub terra, quum verò fuerit vindicatus, perinde est, ac si pateat, quemadmodum ait Jobus *Terra, ne operias sanguinem meum*, *cap.* 16. *v.* 18. idcirco dixit *& non operiet ultra interfectos suos*. Meminit autem sanguinis, & non meminit iniquitatum aliarum, quia sanguis est maxima iniquitatum, quemadmodum ait in prophetia Joelis *Et mundabo sanguinem eorum, quem non mundaveram*: *cap.* 3. *v.* 26.

JESAIAE CAP. XXVII.

1. IN die illa visitabit Dominus cum gladio suo duro & magno & forti super Livjatanem serpentem oblongum, & super Livjatanem serpentem tortuosum: & occidet balaenam, quae *est* in mari. 2. In die illa, vinea rubedinis, cantate ei. 3. Ego Dominus custodiens eam, ad momenta irrigabo eam: ne forte visitet super eam *hostis*, nocte & die custodiam eam. 4. Indignatio non *est* mihi: *alioqui* per eam, quae dat mihi veprem *&* sentim in bello, pro-

(*a*) Kametz sub Lamed indicat esse ex forma דָלָת, non ex forma דֶלֶת, hoc enim casu scribendum esset דַלְתְּךָ

progrederer *&* succenderem eam simul. 5. Aut apprehendet fortitudinem meam, faciet pacem mihi: pacem faciet mihi. 6. Venientibus *diebus* radicabit Jaacobus, florebit & germinabit Israel: & implebuntur facies Orbis proventu. 7. Num juxta percussionem percutientis eum percussit eum? num juxta occisionem occisorum ejus occisus est? 8. In sato *mensura* in pomario ejus judicabit eam: removit cum vento suo duro in die Euri. 9. Idcirco in hoc expiabitur iniquitas Jaacobi, & hic erit omnis fructus removere peccatum ipsius: quum posuerit ipse omnes lapides Altaris sicut lapides calcis dissipatos, non resurgant Luci & Statuae subdiales. 10. Nam civitas munita *erit* solitaria, habitaculum dimissum & derelictum veluti desertum: ibi pascetur vitulus & ibi accubabit, & consumet ramos ejus. 11. Quum aruerit ramus ejus, conterentur, mulieres venientes succendent eam: quia non populus intelligentiarum est; idcirco non miserebitur ejus Factor ipsius, & Formator ejus gratiam non faciet ei. 12. Et erit in die illa, excutiet Dominus a fluxu fluminis usque ad torrentem Aegypti: & vos colligemini hic cum illo *singillatim* filii Israelis. 13. Et erit in die illa, clangetur in tuba magna, & venient qui perierunt in terra Assyriae, & expulsi in terram Aegypti: & prostrabunt se Domino in Monte Sanctitatis in Jerosolyma.

COMMENTARIUS.

V. 1. I*N die illa .... duro & magno & forti*: ista replicatio fit ad roborandam excisionem gladii in gentibus, cui numquam similis fuit; totum autem hoc eveniet in bello Gogi & Magogi, quemadmodum explicavimus. Livjatan autem est parabola de regibus nationum potentium, Livjatan enim est maximus piscium maris, quem vocat etiam *Tannin*, videlicet balaenam, quia sic scriptum est *Et creavit Deus balaenas magnas*, *Gens.* 1. *v.* 21. idcirco assimilat reges magnos Livjatani & balaenae, תנין enim significat balaenam, serpentem. Appellat autem oblongum ac tortuosum, quasi transcurrat

mare

mare ab extremo usque ad extremum prae nimia sua magnitudine, & in aliquibus locis torquet se ob nimiam longitudinem suam, idcirco appellatur tortuosus. Dicens autem *Livjathanem*, *Livjathanem*, *balaenam* tribus vicibus, innuit regnum Graecorum, & Ismaelitarum, & tertium regnum Romanorum. Sunt qui per serpentem oblongum intelligunt Draconem Coelestem, qui pariter transcurrit ab extremo ad extremum, & ipse quoque tortuosus est, deque eo dictum est *formavit manus ejus serpentem oblongum*. *Job*. 26. *v*. 11. & etiam secundum hanc interpretationem est parabola de regibus nationum; & ita in Capitulis Rabbi Eliezeris „ Draco est planeta errans, & ex„ tendens se ab extremo usque ad extremum, veluti oblongus serpens „ tortuosus „

V. 2. *In die illa*, *vinea rubedinis*, *cantate ei*: hìc innuitur congregatio Israelis, cantate ei, & laudate eam. *vinea rubedinis*, vinea, quae facit vinum bonum; quia verò Propheta initio prophetiae suae appellaverat eam vineam facientem labruscas, & non uvas *Cap*. 5. *v*. 4. ideo dicit, quòd in tempore illo, i. e. tempore salutis, tunc vocabunt eam vineam rubedinis, facientem uvas bonas, ex quibus exibit vinum aestimatum rubrum bonum, חמר enim significat rubedinem, & ideo vinum appellavit rubens, volens innuere, quòd rubedo vini in eo erit, quia aestimatio vini rubedo ejus est, quemadmodum ait *ne intuearis vinum*, *quum rubescit*, *Prov*. 23. *v*. 31. ruber verò Arabicè dicitur الاحمر

V. 3. *Ego Dominus custodiens eam*: contra id, quod dixerat *removere sepem ejus*, *& erit ad pascendum*, *cap*. 5. *v*. 5. *ad momenta irrigabo eam*, contra id, quod dixerat *& nubibus mandabo*, *ne pluant super eam imbrem*. *cap*. 5. *v*. 6. *ne forte visitet* עליה, Dominus pater meus, cujus memoria fit in benedictione, interpretatur עליה ex illo *folium olivae*, *Gens*. 8. *v*. 11. ait enim, in momenta irrigabo eam, ne deficiant folia ejus, multo verò minus fructus: aut expositio est, ne forte visitet hostis super eam, noctu & interdiu custodiam eam. Sensus verò mysticus istorum verborum *Ego Dominus custodiens eam* est hic, erit providentia mea jugiter super eam, quemadmodum ait *& ponam oculum meum super eos in bonum*, *Jer*. 34. *v*. 6. *ad momenta irrigabo eam*, quia effundam copiosè super eos spiritum scientiae, ac spiritum prophetiae instar aquarum multarum, quemadmodum ait *quia plena erit terra scientia Domini*, *sicut aquae mare operientes*. *Jes*. 11. *v*. 9. pariterque dictum est *effundam spiritum meum super omnem carnem*, *Joel* 3. *v*. 1. ubi illud *omnem carnem* ego intelligo tantùm de Israelitis, quemadmodum postea subdit *& prophetabunt filii vestri*, *& filiae vestrae &c*. *d*. *v*. 1. אצרנה in quibusdam exemplaribus invenitur cum Kametz = Chatuph sub Tzade.

V. 4. *Indignatio non est mihi*: quia non est ea ex proprietatibus & attri-

attributis meis, sed longanimitas *Nachum* 1. *v.* 3. & quamvis scriptum sit *ulciscens Dominus, & compos irae*, *Nachum* 1. *v.* 2. postea tamen explicat *ulciscitur Dominus de hostibus suis*, hi verò sunt populi Mundi, de quibus ulciscitur, & reservat odium in tempus, quo veniat pernicies eorum; & si protrahat illis per tempus multum, facit id, ut eos disperdat, ac exterminet omnino, sicuti dictum est *Et rependens odio habentibus se ad faciem ipsius, ut perdat eum: Deut.* 7. *v.* 10. pariter *ut exterminentur usque in perpetuum*. *Psal.* 82. *v.* 8. Cum Israelitis verò non ita facit, sed postquam peccaverunt, paulatim visitat peccatum eorum, neque reservat illis, donec absumat eos, ut ait *Tantùm vos cognovi ex omnibus cognationibus terrae: idcirco visitabo super vos omnes iniquitates vestras Hamos*. 3. *v.* 2. ideo dixit *Indignatio non est mihi*, scilicet contra Israelitas: quod si esset mihi indignatio, per eam, quae praebet mihi sentim & veprem, i. e. per vineam, quae praebet mihi sentim & veprem loco uvarum, si esset mihi indignatio, progrederer gradu uno, totamque incenderem simul. *in bello*, scilicet quando pugno contra eam propter iniquitates ejus: ita exponit Dominus Pater meus f. m. versum hunc, quae optima est inter expositiones. *sentim veprem*, deest Vau servile pro *sentim & veprem*, veluti *sol luna Chab.* 3. *v.* 11. *Reuben Simeon*, *Exod.* 1. *v.* 2., & similia his; sentis autem & vepres sunt species spinarum.

V. 5. *Aut apprehendet fortitudinem meam*: i. e. legem meam, quasi dicat, conficerem eam (vineam, h. e. Israelitas) aut apprehenderet fortitudinem meam, scilicet legem meam, quae est fortitudo eorum. *faciet pacem mihi*, quasi dicat, veniet adhuc tempus, quo faciet pacem mecum. *pacem faciet mecum*, replicatio inservit ad roborandam pacem, quòd non erit amplius bellum inter Deum & inter Israelitas, idque erit tempus salutis: & hoc est, quod ait postea:

V. 6. *Venientibus*: scil. in diebus venientibus, idque est tempus salutis, veluti *Ecce dies veniunt, dicit Dominus, & suscitabo Davidi germen justum &c.*, *Jer.* 23. *v.* 5. & tunc in diebus illis *radicabit Jaacobus*, i. e. aget radices, quemadmodum ait *& percutiet radices ejus instar Libani*. *Hos.* 14. *v.* 6. quia nunc in exilio est velut is, cui non est radix, verùm in diebus illis radicabit subter, & florere faciet germen supra. *& implebuntur facies Orbis proventu*, scilicet *quasi proventu*, quemadmodum ait *& florebunt in Civitate sicut herba terrae*. *Ps.* 72. *v.* 16. nam in voce תנובה deest Chaph similitudinis, veluti *Cor laetum benefaciet medicina: Prov.* 17. *v.* 22. i. e. ut medicina.

V. 7. *Num juxta percussionem percutientis eum percussit eum*? nunc sanè in tempore isto potestis cognoscere & scire, non esse indignationem Deo contra Israelem, quemadmodum ait *Indignatio non est mihi*, *h. cap. v.* 4. nam si contra esset, juxta percussionem percutientis eum percussisset eum: per *percutientem eum* intelligit percussores Israelis, veluti Pharaonem, Sancheribum, & reliquos: & nunc an juxta omnia ea, quae peccavit Israel, percussit eum Deus, quemadmodum percussit per-

percussorem Israelis, quem percussit decem plagis? *num juxta occisionem occisorum ejus occisus est?* per repetitionem rei dicit, numquid occisus est Israel, quemadmodum interfecti fuerunt occisi ejus? scilicet hostes Israelis, etenim pronomen *ejus* refertur ad Deum, nam occisi Dei sunt, quos occidit Israelitarum gratia; aut pronomen refertur ad Israelem, & ait *occisorum ejus*, quia propter Israelem fuerunt occisi, ideoque perinde est, ac si ipse Israel occidisset eos.

V. 8. *In sato:* בסאסאה idem est סאה, nisi quòd duplicatur prima & secunda radicalis: ait, non fecit Deus cum Israelitis, quemadmodum fecit cum inimicis suis, etenim effudit indignationem suam contra eos, perdiditque eos e Mundo; non fecit sic cum Israelitis, sed postquam peccaverunt coram ipso, in mensura ultus est de eis, non ultra mensuram, nimirum cum effusione indignationis, sed cum mensura lineatim ulciscitur de eis, & mensura, quam immittit in eos, judicat eam, quasi dicat, judicat congregationem Israelis in pomario ejus (quod nomen complectitur agros proventus, & arbores fructiferos) immittendo in eos adustionem, & rubiginem, & locustas, & bruchos, & similia istis. *removit cum vento suo duro*, abstulit fructus cum vento suo duro, quem immisit in eos. *in die Euri*, scilicet in die, quo inflat ventus Eurus vehemens: ventus suus ille est, quem immittit in eos, ut ulciscatur de eis devorando proventus & fructus eorum, non ut effundat indignationem suam super eos absque mensura, quoadusque conficiat illos, hoc non facit Deus cum Israelitis; & id est, quod praecedit *Indignatio non est mihi*, v. 4. sed *Num juxta percussionem percutientis eum* v. 7. Pomarium autem est nomen substantivum commune hortis & agris proventus, veluti *piscinae pomarii juxta hortum Regis*, *Neh.* 3. v. 15. *Pomaria tua Paradisus malorum Punicorum*, *Cant.* 4. v. 13. Dominus verò Pater meus b. m. sic exponit hunc versum: in mensura, qua mensa est, voluisti contendere cum ea, & judicare eam, & בשלחה in gladio ejus voluisti occidere eam, ut judicares eam in igne juxta mensuram Sedomitarum, eo quòd opera eorum fuerint, sicut opera istorum, verùm clementia usus est Deus, & abstulit ignem auferendo eum cum vento Euro vehementi alium in locum, quia ignis conspersus jam erat super civitatem, uti habetur apud Ezechielem *cap.* 10. v. 2. הגה significat remotionem, veluti *Remove scorias de argento*, *Prov.* 25. v. 4. *Remove impium coram Rege*, *cit. loc.* v. 5.

V. 9. *Idcirco in hoc expiabitur iniquitas Jaacobi*: quamvis sint in eis iniquitates aliae, praecipuae tamen iniquitates eorum sunt Luci & Statuae subdiales, quas illi colunt; si verò diruerint Altaria, quae fecerunt τῷ Baalim, evellant ac dissipent ea omnino, tanquam lapides calcis dissipatos, idque cum conditione, ne surgant amplius Luci ac Statuae subdiales, si enim eas modò diruant, & post aliquod temporis rursus aedificent, non est conversio eorum perfecta, sed ut eradicent

fidem

fidem earum e corde suo, & adeo diruant ac dissipent eas, ut ne revertantur ad construendas eas amplius, in hoc expiabitur iniquitas eorum. *& hic erit omnis fructus removere peccatum ipsius*, quòd si fiat remotio, quisnam erit fructus remotionis? subtractio cujusque peccati, etenim postquam eradicaverint idololatriam, multò facilius convertentur a caeteris iniquitatibus, nam quum deleverint idololatriam ex opere & cogitatione, revertentur ad Deum conversione perfecta, & exequentur praecepta ejus, quia idololatria est radix omnium iniquitatum. גיר significat calcem, & ita Chaldaicè *super calcem parietis palatii Regis*, *Dan.* 5. *v.* 5.

V. 10. *Nam Civitas munita:* eo quòd nunc studeant idololatriae, civitas, quae erat munita, evasit solitaria absque habitatore, & illud, quod erat habitaculum hominum, desolatum est. *dimissum & derelictum veluti desertum*, scilicet evasit locus pascui bestiarum; aut *Nam civitas munita solitaria* habet sensum futuri, quasi dicat, ob iniquitates vestras civitas, quae nunc est munita, erit solitaria, quod quidem dicit de Jerosolyma, vel de Somerone, quando enim edita fuit prophetia haec, nondum deportatae erant Tribus, ait enim *Vae coronae superbiae ebriorum Ephraimi*, *cap.* 28. *v.* 1. Per *habitaculum* intelligit domum regiam, vel Sanctuarium; quod ait vastatum iri propter iniquitates eorum, eritque dimissum & derelictum, veluti desertum, ac ibi pascentur vituli & caeterae bestiae, quod intelligendum est juxta simplicem sensum, vel etiam metaphoricè. *& consumet ramos ejus*, ait *ramos ejus*, eoquod assimilaverat congregationem Israelis vineae *cap.* 5. nunc igitur ait, quòd vitulus depascet eam, & consumet ramos ejus, quemadmodum dixerat in priore prophetia *removere sepem ejus, & erit ad pascendum*. *c.* 5. *v.* 5. Dominus verò Pater meus, cujus memoria sit in benedictione, interpretatur vitulum metaphoricè de Rege Aegypti, ob illam denominationem *vitula formosa Aegyptus*, *Jer.* 46. *v.* 20. & id, quando cepit Jehoachazum. Sapiens verò Rabbi Abrahamus filius Ezrae interpretatur *ramos ejus* metaphoricè, de pagis Civitatum. Igitur si *vitulus* est parabola Pharaonis, erit *ramos ejus* metaphora argenti & auri, quia Pharao mulctavit terram 2. *Par.* 36, *v.* 3.

V. 11. *Quum aruerit ramus ejus*: קציר significat ramum arboris, veluti *& ros morabitur in ramo meo*. *Job.* 29 *v.* 19. *mittes ramum ejus usque ad mare*, *Psal.* 80. *v.* 12. *ramus ejus* hoc nomen singulare intelligendum est collectivè, ideoque de singulari ait pluraliter *conterentur*, i. e. frondes & rami: ait igitur metaphoricè, quemadmodum arbor, pòstquam exaruit in ea ramus, ex se ipsa conteritur, sic Israelitae, quum advenerit tempus ultionis eorum, conterentur ex se ipsis & etiamsi veniant mulieres, מאירות אותה, i. e. inflammabunt & succendent eam, postquam enim exaruit arbor, non est digna, nisi ut crematur. *eam*, i. e. congregationem Israelis: vult autem dicere, quòd quaelibet natio, etiamsi fuerit debilis instar mulierum, nocebit,

& perdet eam. *quia non populus intelligentiarum est*, nunc Israel non est populus intelligens, quòd si fuisset populus intelligens, intellexisset in animo suo, & consideravisset omnes hasce calamitates ideo evenisse sibi, quòd dereliquisset Dominum. *idcirco non miserebitur ejus*, quia non considerat opera sua, neque convertitur ad Deum venientibus super se calamitatibus, non miserebitur ipsius ille, qui fecit eum, & magnificavit super omnem populum. *& Formator ejus*, i. e. qui formavit eum, ut esset ipsi in servum, sed non ita se gessit, quapropter non miserebitur ejus, neque faciet ei gratiam, immo abscondet faciem suam ab eo, ut sit in escam, & invenient eum angustiae multae & calamitates, tunc enim fortasse convertetur. Jonatan interpretatur binos hos versus de nationibus Mundi, quasi dicat, si removebit Lucos & Statuas subdiales, erit ea solùm civitas munita inter nationes Mundi, sic enim vertit *Quoniam civitas, quae erat munita, sola manebit, & erit instabilis, & derelicta quasi desertum: illam expugnabunt justi, & diripient substantiam ejus, & consument exercitum ejus, ne ultra crescant.*

V. 12. *Et erit in die illa*: scilicet in tempore salutis. *excutiet*, sicut is qui excutit tritica de sacco, & sicut is qui excutit olivas ex arbore, ita excutiet Deus benedictus Israelitas ex gentibus, quia sunt in medio populorum instar tritici in medio sacci, & instar olivarum in medio arboris oleae, unde colligunt homines bonum, i. e. fructum, & postea dimittunt saccum, & arbores. *a fluxu fluminis*, fluxus est vehementia cursus fluminis, veluti *& fluxus inundavit me*. *Psal.* 69. *v.* 3. flumen verò istud est flumen Sabbation (a), quemadmodum ait de Tribubus *& disperget eos trans flumen*. 1. *Reg.* 14. *v.* 15. Dicit *usque ad torrentem Aegypti*, quia usque ad Aegyptum venient, & illic aggregabuntur fratribus suis filii exilii hujus, & inde ascendent in Jerosolymam. Dum dicit *vos*, alloquitur filios exilii Jehudaeos & Binjamitas, qui dispersi sunt in omni angulo, idcirco ait *& vos colligemini*, quasi dicat, vos filii Israelis, qui estis trans flumen, colligemini hic cum illo, quemadmodum ait in prophetia Jeremiae *& assumam vos unum de civitate, & duos de familia, & introducam vos in Tzionem*. *Cap.* 3. *v.* 4. *hic cum illo*, i. e. quisque cum socio suo, quasi dicat, unus hinc & alter inde simul congregabuntur. Dicit autem *usque ad torrentem Aegypti*, quia in Aegypto erit finis regni populorum, quando pugnabit Rex Aquilonis adversus Regem Austri, veniet enim rex Aquilonis usque in Aegyptum *Et dominabitur in thesauris absconditis auri & argenti, & in omnibus rebus pretiosis Aegypti &c.* sicuti scriptum est in visione Danielis *Cap.* 11. *v.* 43. qui pariter ait *Et in tempore illo stabit Michael princeps magnus, qui stat super filios populi tui &c. cap.* 12. *v.* 1.

V. 13.

(a) Ultra hunc fluvium fabulantur Hebraei captivas detineri decem Tribus. *Vid. Buxtorf. in rad.* סבט *in Lexico Magno.*

V. 13. *Et erit in die illa*: replicat eamdem rem roborandi gratia. *clangetur in tuba magna*, ita congregabuntur, perinde ac si buccinatum fuisset in tuba magna, ut clangor audiretur in universo Mundo, ut dictum est de hoc *& Dominus Deus in tuba clanget*, *Zach.* 9. *v.* 14. ista ratione venient ex omni angulo, quasi buccinassent ad eos in tuba, ut venirent. *qui perierunt*, i. e. Tribus, quae deportatae fuerunt trans flumen, quo deportavit rex Assyriae, & hoc est *in terra Assyriae*, ubi fuerunt tanquam perditae, neque adhuc exierunt inde, namque exules Babylonis, qui fuerunt Jehudaei & Binjamitae, postea redierunt in fine septuaginta annorum, sed deinceps migraverunt secunda vice, & isti sunt expulsi in omnem angulum, ac dispersi. Dicit autem *in terram Aegypti*; quia illuc venient, quemadmodum explicavimus, & inde ascendent, & adorabunt Dominum. *in Monte Sanctitatis in Jerosolyma*, i. e. in Monte Sanctitatis, qui est in Jerosolyma. *in Monte Sanctitatis*, hic est mons Moria, scilicet locus Sanctuarii.

JESAIAE CAP. XXVIII.

1. VAe coronae superbiae ebriorum Ephraimi, & flori deciduo decoris gloriae ejus: quae super caput vallis unguentorum contusorum vino. 2. Ecce *dies* validus & fortis Domino, sicut inundatio grandinis, *sicut* turbo excisionis: sicut procella aquarum vehementium inundantium dejecit in terram cum manu *forti*. 3. Cum pedibus calcabuntur corona superbiae ebriorum Ephraimi. 4. Et erit flos deciduus decoris gloriae ejus, qui super caput vallis unguentorum, sicut fructus praecox ante aestatem, quem quum viderit videns ipsum, simul ac fuerit in manu sua, deglutiet illum. 5. In die illa erit Dominus exercituum in coronam ornamenti, & in diadema decoris residuo populi sui. 6. Et in spiritum judicii sedenti super judicium, & in fortitudinem avertentibus praelium ad portam. 7. Et etiam ipsi in vino erraverunt, & in sicera erraverunt: Sacerdos & Propheta erraverunt in sicera, absorpti sunt a vino, erraverunt propter siceram, erraverunt

in visione, vacillaverunt *in* judicatione. 8. Quoniam omnes mensae plenae sunt vomitu *&* sorde absque loco. 9. Quem docebit scientiam, & quem intelligere faciet auditum? ablactati a lacte, translati ab uberibus. 10. Nam praeceptum ad praeceptum, praeceptum ad praeceptum, linea ad lineam, linea ad lineam: parum ibi, parum ibi. 11. Quia cum blaesitatibus labii, & in lingua altera loquetur ad populum istum. 12. Qui dixit ad eos, haec requies, requiem praestate lasso, & haec requies: sed noluerunt audire. 13. Et erit eis verbum Domini praeceptum ad praeceptum, praeceptum ad praeceptum, linea ad lineam, linea ad lineam, parum ibi, parum ibi: propterea ibunt & corruent retrorsum & contererentur, & illaqueabuntur & capientur. 14. Idcirco audite verbum Domini viri derisionis: dominatores populi hujus, qui *est* in Jerosolyma. 15. Quia dixistis, percussimus foedus cum morte, & cum sepulchro fecimus visionem: flagellum inundans quum transierit, non veniet nobis, quia posuimus mendacium spem nostram, & in falsitate occultati sumus. 16. Ideo sic ait Dominus Deus, ecce ego fundator *sum* in Tzione lapidis; lapidis arcis anguli pretii fundamenti fundati, credens ne festinet. 17. Et ponam judicium ad lineam, & justitiam ad perpendiculum: & verret grando spem mendacii, & latibulum aquae inundabunt. 18. Et abolebitur foedus vestrum cum morte, & visio vestra cum sepulchro non stabit: flagellum inundans quum venerit, eritis ei in conculcationem. 19. Quando transibit, tollet vos, quia in mane in mane transibit in die & in nocte: & erit tantùm commotio intelligere auditum. 20. Quia breve fuit stratum a redundando: & operimentum angustum fuit in colligendo se. 21. Quia sicut *in* monte Peratzìm, surget Dominus, sicut *in* valle *Ajalon &* in Gibon fremet ira: ad faciendum opus suum, extraneum opus ejus, & ad operandum operationem suam, extranea operatio ejus. 22. Et nunc ne derideatis, ne for-

forte roborentur castigationes vestrae: quia consumptionem & quidem decisam audivi a Domino Deo exercituum super universam terram. 23. Auribus percipite & audite vocem meam: attendite & audite eloquium meum. 24. Numquid tota die arabit arator ad seminandum? solvet & occabit terram suam. 25. Nonne quum adaequaverit facies ejus, tunc disperget nigellam, & cyminum sparget: & ponet triticum mensuratum, & hordeum designatum, & speltam *in* termino ejus? 26. Et erudiet illum ad judicium, Deus ejus docebit eum *pluere faciet illi*. 27. Quia non cum tribula triturabitur nigella, & rota plaustri super cyminum *non* circumagetur: sed cum virga excutietur nigella, & cyminum cum baculo. 28. Panis comminuetur, sed non in perpetuum triturando triturabit illum: & *non* conteret *eum* rota plaustri ejus, & cuspidibus suis non comminuet eum. 29. Etiam hoc a Domino exercituum exivit: mirificavit consilium, magnificavit sapientiam.

COMMENTARIUS.

V. 1. **V***Ae coronae superbiae*: nunc loquitur de viris generationis suae in regno Ephraimi, i. e. de Tribubus, quae nondum erant deportatae, seque oblectabant in felicitate sua, & omnis earum occupatio erat in cibo ac in potu, simulque in oblectatione unguenti aromatibus conditi, donec pervenirent ad ebrietatem, ac vomerent instar ebriorum, & traherentur post voluptates Mundi, & obliviscerentur Deum ejusque praecepta, quemadmodum ait *impinguatus est rectus, & recalcitravit... & dereliquit Deum, qui fecit eum, Deut.* 32. *v*, 15. Dixerunt Magistri nostri b. m. „ Vinum Prugiati- „ num, & aquae Dormaskit amputaverunt decem Tribus ab Israeli- „ tis (*a*)„ Ait igitur Propheta de istis parabolicè *Vae coronae superbiae*, quia propter superbiam fecerant sibi coronas, & gloriabantur in divitiis ac deliciis suis. Assimilat autem desiderabilia, & ornamenta eorum flori herbae aut arboris, qui pulcher est, dum egreditur, sed postquam ventus inflavit in illum, marcescit, ac decidit in terram, & tunc corrumpitur pulchritudo ejus, & redit in pulverem, sic erit

(*a*) Hoc est, voluptates & deliciae perdiderunt decem tribus. *Vid. Buxtorf. in* דיומס in ordine דיו.

erit gloria ornamenti Ephraimi, & corona superbiae eorum: nominat autem Ephraimum, quia est caput regni Israelitici. צבי significat oblectamentum, rem desiderabilem, & ornatum, veluti *ornamentum est omnibus terris*. *Ezech.* 20. *v.* 15. ait *quae super caput vallis unguentorum*, scilicet corona superbiae, & flos ornatus, quae sunt super caput vallis ebriorum istorum, qui sunt contusi vino, h. e. percussi a vino, quia vinum percutit eos ad terram, eo quòd cadant ebrii involuti in vomitu ac sordibus suis. Vocat autem *caput vallis unguentorum* (*a*) per hyperbolen ob copiam unguenti aromatibus conditi, quod diffundunt super caput, quasi sit vallis aquarum plena; & nunc ab eis poscit, quisnam futurus sit finis oblectationis ipsorum, & respondet:

V. 2. *Ecce validus & fortis Domino*: ecce dies validus Domini, qui veniet super eos veluti inundatio grandinis, quae dejiciat arbores, & frangat eas. *turbo excisionis*, i. e. *sicut turbo*, etenim Caph כזרם intelligitur replicatum: dicit verò turbinem de tempestate venti succidentis & excidentis omnia, quem praeterea comparat inundationi aquarum vehementium, quae veniant ac inundent omnia, quaecumque transeant, & dejiciant arbores excelsas in terram, sic erit dies ille validus & fortis. *dejecit in terram* pro *dejiciet*, praeteritum loco futuri, quod saepissime occurrit: ait igitur, hunc diem validum dejecturum superbiam eorum in terram cum manu, i. e. cum manu forti.

V. 3. *Cum pedibus calcabuntur*: nequaquam satis erit projicere coronam superbiae illorum in terram, sed calcabitur cum pedibus, postquam ceciderit in terram; quod totum est metaphora magnae abjectionis. Dicit autem *calcabuntur* in numero plurali, & postea dicit *corona* in numero singulari: ait *corona* collectivè, ait *calcabuntur* individuè de omnibus coronis, volens innuere omnes res, in quibus superbiunt, & ita *quum evenerint bellum*, *Exod.* 1. *v.* 10.

V. 4. *Et erit flos*: dicitur in genere masculeo ציץ, & in genere foemineo ציצת, & ita ציצה & נץ: hic autem ציצת non est constructum, sed Thau, ut saepe occurrit, stat pro He, sic *vitulam trimam*, *Jes.* 15. *v.* 5. *Ne des intermissionem tibi*, *Thr.* 2. *v.* 18. & similia hisce, ut scripsimus in Libro Miclol. Quia verò nominavit florem in genere masculeo & foemineo, ideo ait והיתה, & נובל: insuper assimilat florem ornamenti eorum fructui praecoci ante aestatem, dum ait *sicut fructus praecox ante aestatem*, quasi dicat, sicut ficus praecox, antequam exeant fructus aestivi, scilic. primitivus, quia venit in principio, hominesque irruunt super illum capiendi gratia, & qui primùm videt, capit illum. בעודה בכפו יבלענה, quasi dicat, simul ac

(*a*) Verba ista *quae super caput vallis unguentorum contusorum vino* sic intellige, quae sunt (scilicet corona & flos) super caput eorum unguentis delibutorum, & vino contusorum.

mul ac fuerit in manu sua, statim deglutiet illum prae nimio desiderio ejusdem; ita erunt divitiae Ephraimi, & eorum bona, hostis deglutiet ea repente. בכבורה He habet Mappik, verùm non est suffixum, sed pro euphonia juxta illud *& absconditum exire faciet in lucem*, *Job.* 28. *v.* 11. *& lecythus super caput ejus*, *Zach.* 4. *v.* 2. Dominus verò Pater meus f. m. exponit בכפו *in ramo suo*, juxta illud *& ramus ejus non viruit*. *Job.* 15. *v.* 32. quasi dicat, statim ac viderit illum adhuc in ramo, deglutiet eum prae nimio desiderio ipsius.

V. 5. *In die illa*: scilicet qua migrabunt decem Tribus, ut ait, in eodem illo tempore erit Dominus exercituum in coronam ornamenti, & in diadema decoris residuo populi sui, i. e. Jehudaeis ac Binjatis, qui relicti fuerunt, & super quos regnavit Ezechias, qui fecit rectum in oculis Domini, anno enim sexto Ezechiae deportatae fuerunt Tribus 2. *Reg.* 18. *v.* 10. Dicit autem *in coronam ornamenti*, contra illud *coronae superbiae v.* 1. quod dixerat de Tribubus: replicat verò eamdem rem dicens *in diadema decoris* ad roborandum significatum, siquidem corona & diadema sunt idem, & idem pariter sunt ornamentum ac decor; mos verò Scripturae est repetere eamdem rem cum diversis vocabulis ad roborandum significatum. צפירה significat circumdationem, ideo corona vel diadema capitis appellatur orbis, quia est circum caput. In Misna „ Cupa, in qua quis fecerit „ orbes duos, & cupa parva, cui fecerit orbem unum „, scilicet id, quod faciunt ex junco circa cupam. Ait igitur, quòd Deus erit illis in decorem & in ornamentum in diebus Ezechiae.

V. 6. *Et in spiritum judicii*: & erit Deus in spiritum judicii ei, qui praeerit juri dicundo, i. e. Ezechiae, qui erit Rex sedens super thronum regni ad faciendum judicium: dicit autem, quòd Deus erit ei in spiritum judicii, quasi dicat, quòd Deus dabit ei scientiam ac intelligentiam, ut faciat judicium veritatis: ait *spiritum*, ut dixit *Et requiescet super eum spiritus Domini, spiritus sapientiae & intelligentiae*, *cap.* 11. *v.* 2. sapientia enim & intelligentia sunt ex partibus spiritus, i. e. animae. *& in fortitudinem*, quia erit eis Deus in fortitudinem, ideo erit eis in pacem in castris Assyriae, neque indigebunt fortitudine hominum, quia Deus erit eis in fortitudinem; & ita quando praeliati sunt adversus hostes suos, & averterunt bellum in eos usque ad portam Civitatum eorum munitarum, Deus fuit ipsis in fortitudinem, & in fortitudine ejus superaverunt hostes suos, quemadmodum scriptum est *Ipse percussit Philisthaeos usque ad Azzam & terminos ejus, a Turre custodum usque ad civitatem munitionis*. 2. *Reg.* 18. *v.* 8 Jonatan binos hosce versus ita reddit *In tempore illo erit Christus Domini exercituum in coronam gaudii, & in diadema laudis residuo populi sui. In verbum veritatis judicii habitantibus in domo judicii, ut judicent judicium verum: & ut det victoriam*

egre-

egredientibus ad bellum, & ut reducat eos in pacem in domum suam. Pariter Magistri nostri b. m. interpretati sunt verba ista utpote respicientia dies Messiae, & dixerunt „ In coronam decoris facientibus vo„ luntatem Sancti illius benedicti, & in diadema gloriae speculantibus „ gloriam ipsius. „

V. 7. *Et etiam ipsi*: hic loquitur de Jehudaeis ac Binjamitis; quod enim superius dixit de Tribubus *ebriorum Ephraimi . . . . . contusorum vino. v.* 1. idem hic ait de Jehudaeis & Binjamitis, eo quòd etiam isti in vino erraverunt, & in sicera hallucinati sunt, quod accidit in diebus Achazi, ideoque etiam hi fuerunt digni, qui deportarentur sicut illi, nisi quòd super hos regnaturus erat rex, qui reduceret eos in viam bonam, & hic est Ezechias. *Sacerdos & Propheta*, Sacerdotes & Prophetae, quorum erat docere Legem, ipsi quoque erraverunt ut illi in conviviis ac in deliciis Mundi. Hic autem non loquitur de Prophetis veridicis, sed de Prophetis mendacibus, qui erant inter eos, qui seducebant eos, & speculabantur eis oblectamenta, & dicebant eis, pax erit vobis, ne timeatis, facite quod vultis; Jonatan vertit *Sacerdos & Scriba*, i. e. discipulus. *absorpti sunt a vino*, corrupti sunt ab nimiam potationem vini, & erraverunt a via recta ob nimiam potationem ficerae. *erraverunt in visione*, רואה est nomen substantivum juxta formam illius *pluviam tempestivam, & pluviam serotinam, Deut.* 11. *v.* 14. *Jer.* 5. *v.* 24. Sensus igitur est, hallucinati sunt in prophetia, scilicet in prophetia prophetarum veritatis, neque ambulaverunt in ea. Dominus verò Pater meus f. m. sic interpretatur „ Etiam in re conspecta oculis ipsi erraverunt „ פקו *vacillaverunt*, ex illo *& vacillatio genuum*, *Nach.* 2. *v.* 11. ubi פיק significat vacillationem, offensionem: ait, vacillaverunt in judicio, quandoquidem non judicaverunt judicium veritatis Sacerdotes & Prophetae, quorum erat judicare judicium veritatis. פליליה significat judicationem, juxta illud *& dabit secundum judices. Exod.* 21. *v.* 22.

V. 8. *Quoniam omnes mensae*: etiam mensae Sacerdotum plenae sunt vomitu sorde, i. e. vomitu & sorde, namque deest Vau servile, ut in istis *Sol Luna Chab.* 3. *v.* 11. *Reuben Simeon, Exod.* 1. *v.* 2. Ait igitur, quòd illi bibunt, quoadusque inebrientur, ac vomant, talis enim est consuetudo ebriosorum, quemadmodum ait *sicut errat ebrius in vomitu suo. cap.* 19. *v.* 14. & ecce ipsi vomunt per os, ac emittunt per foramina desuper & subter. *absque loco*, donec nullus sit locus purus in loco conviviorum ipsorum, sed quilibet est plenus vomitu ac sordibus.

V. 9. *Quem*: quandoquidem se inebriant, & omne studium eorum est in cibo & in potu, praeceptor, qui veniat ad instruendos eos, quem docebit scientiam, & quem intelligere faciet auditum? scilicet id quod audivit Propheta a Deo, ut praeciperet eis instruendi ac erudiendi eos gratia, quem, inquam, docebit scientiam, & quem intel-

telligere faciet auditum? quum non sint capaces scientiae & intelligentiae, immo sint veluti pueri, qui propriis excrementis inquinantur, neque est eis scientia eundi in locum aliquem evacuando ventri destinatum. *ablactati a lacte, translati ab uberibus*, isti sunt pueri parvuli post completam lactationem ipsorum, veluti *Et crevit puer, & ablactatus est*: *Genes.* 21. *v.* 8. *donec ablactetur puer*, 1. *Sam.* 1. *v.* 22. parvuli enim post completam lactationem suam incipiunt loqui, verùm non est eis adhuc intelligentia hominis provectioris, neque ulla differentia a brutis praeter sermonem, eoquòd non sit eis adhuc scientia ulla: tales sunt homines isti provecti, scilicet ut parvuli. *translati ab uberibus*, i. e. avulsi ab uberibus, ut ait *& transtulit se inde*, *Gen.* 12. *v.* 8. dicit autem עתיקי & גמולי in statu conjunctionis, ob litteram servilem, veluti *prophetantibus de corde suo*, *Ezech.* 13. *v.* 2. *Numquid Deus de propinquo*, *Jer.* 23. *v.* 23. *habitatorum in tentoriis Jud.* 8. *v.* 11.

V. 10. *Nam praeceptum ad praeceptum*: צו est nomen substantivum ut מצוה, neque alibi enunciatum est praeceptum cum vocabulo isto: dicens autem צו vult significare praeceptum parvum, dixerat enim illos esse tanquam parvulos, parvulis autem praecepta tradenda sunt paulatim; eademque ratione sunt instituendi, quo libentius admittant, & facilius recipiant institutionem, quum non sit eis mens capax recipiendi nisi res paucas & exiguas. Sic intelligendum est *linea ad lineam*; linea enim est filum aedificii, quod aedificator tendit, donec perficiat ordinem unum, quodque postea detrahit, & superius tendit, ut alterum faciat ordinem, & ita facit paulatim, donec perficiat parietem. Talis est institutio & exercitatio puerorum, ac eodem modo instituendus est Prophetae populus iste, quia praeditus est intellectu exiguo, & insuper quia defatigatur audiendo verbum Domini, propterea quod non delectetur illo. Postquam verò dixit *praeceptum ad praeceptum, linea ad lineam*, rursus idem repetit roborandi significatus gratia. *parum ibi, parum ibi*, i. e. parum dicatur ad eos de re hac, & parum de re ista, tamen non recipiunt.

V. 11. *Quia cum blaesitatibus labii*: ait Propheta, is, qui loquitur ad populum hunc, similis reputatur ei, qui loquatur ad illum cum blaesitatibus labii, scilicet ei, qui sit blaesus labiis suis, adeo ut non possint homines bene intelligere verba ejus, aut ei, qui loquatur in lingua altera: ita isti efficiunt seipsos, ne intelligant verba Prophetarum.

V. 12. *Qui dixit ad eos*: Propheta non dicit eis nisi verba bona, in quibus requiescent, si audierint eum, & dicit eis *haec requies*, si audieritis verba Domini, & feceritis praecepta ejus, erit vobis requies in terra vestra, neque migrabitis ex ea. Praeterea dixit Sacerdotibus & Prophetis, requiem praestate lasso Israeli, qui fessus & defatigatus est ob tantas calamitates, quae obveniunt ei, requiem praestate illi, & docete eum verbum Domini, in quo requiescat, & ne seducatis

eum cum mendaciis vestris ac levitate vestra. *sed noluerunt audire*, אבוא scriptum est cum Aleph in fine (*a*), & ita *qui venerunt secum*, *Jehos.* 10. *v.* 24. sic dictio ista.

V. 13. *Et erit eis verbum Domini:* quia noluerunt auscultare illud paulatim, idcirco fuit ipsis in offendiculum iniquitas paulatim mensura pro mensura. *propterea ibunt & corruent retrorsum*, quasi dicat, quando credent se ambulaturos antrorsum, corruent retrorsum, & erit in ipsis manus hostium suorum, & conterentur, & illaqueabuntur, & capientur.

V. 14. *Idcirco audite ..... viri derisionis:* qui scilicet deridetis verbum Domini, neque reputatis illud quidquam. *dominatores populi hujus*, alloquitur principes Jehudae, qui dominabantur super populum illum, Achazus enim non patrasset abominationes tantas, si principes cohibuissent manum ejus, verùm quando Propheta reprehendebat eos, & ostendebat eis ultionem super eos venturam, subsannabant, ac dicebant, percussimus foedus cum morte.

V. 15. *Quia dixistis:* quia desperabatis (*b*) de ultione, ideo dicebatis per illusionem, percussimus foedus cum morte, quòd non veniet nobis; itemque flagellum, quando transibit per Mundum, non perveniet ad nos. חוזה est nomen substantivum sicut רואה, quod explicavimus *v.* 7. quasi dicat, visionem fecimus cum eo, ut is, qui coram respicit adversarium suum, ut faciat pacem cum eo. *quia posuimus mendacium* (*c*), isti sunt prophetae mendaces. *mendacium spem nostram*, non dicebant illi esse mendacium & falsitatem, verùm Propheta appellat hujusmodi spem mendacium. Haec autem sunt verba prophetarum falsorum, qui faciebant eos sperare in mendacio. שים scriptum est cum Jod, sed legitur שום cum Vau, litterae enim *Ehevi* saepissime inter se commutantur. עבור scriptum est absque Jod, quae est forma Infinitivi, sed legitur יעבור cum Jod formativa Futuri, significatio verò est eadem.

V. 16. *Ideo sic ait Dominus:* יסד est nomen Toar, quamvis habeat Patach: ait igitur, ecce ego fundo in Tzione lapidem, i. e. regem, quem assimilat lapidi grandi, quem ponunt pro fundamento aedificii, anguli enim domus fieri solent lapidibus magnis ad sustinendum aedificium. Innuit igitur, quòd regnabit rex bonus in Tzione, & per manum ejus eripietur Tzion ex hostibus; hic autem est Ezechias, qui convertet populum ad poenitentiam, & tollet impios. בחן significat ar-

(*a*) Fortasse Arabum more, quibus Axioma *Vau in fine dictionis, ne eam terminet, assumit Eliph otiosum*.

(*b*) Scilicet quia non timebatis ultionem, ideo &c.

(*c*) Ego extrema hujus versiculi verba ita redderem: *num posuimus mendacium spem nostram, & in falsitate occultati sumus?* quia talis interpretatio magis arridet.

arcem, veluti *erexerunt arces ejus*, *Jes.* 23. *v.* 13. *munitio arx Ies* 32. *v.* 14. יקרת est nomen substantivum pro יקר, & Thau stat pro He, neque enim est nomen constructum, sicut explicavimus dictionem ציצת *v.* 4. מוסד מוסד primum est nomen substantivum, alterum verò participium passivum, & est daghessatum non obstante Vau; sensus autem est, fundamentum firmissimum fundamentorum omnium erit fundamentum hoc, scilicet Ezechias. Dicit autem *credens*, quia plerique illorum non credebant in verba Prophetae, ideo dixit *credens ne festinet*, qui est credens inter eos, ne festinet, neque maturet videre istam prophetiam, nam omnibus modis videbit eam, & si non erit statim, non tamen respuat. (*a*)

V. 17. *Et ponam*: per hunc Regem, qui surget, ponam judicium ad lineam, non sicuti nunc est, etenim neque judicium, neque misericordia, neque scientia Dei est in terra, verùm in diebus regis istius erit judicium in rectitudine instar fili, quod tendunt ad dirigendum aedificium, & instar perpendiculi, quod est lapis stanneus, aut plumbeus, quem dimittunt secundùm aedificium videndi causa, an sit rectum, & per istiusmodi perpendiculum dirigunt aedificium, ita erit justitia in rectitudine. משקלת est nomen substantivum juxta formam משברת, & propter Atnach kametzatur Koph. *& verret grando*, assimilat hostem grandini, & aquis inundantibus, ut ait superius *sicut procella aquarum vehementium inundantium*, *v.* 2. יעה autem derivatur ex יעים, qua voce significantur emundatoria, quibus emundatur domus: quoad mendacium verò illud, quo dicebant *posuimus mendacium spem nostram*, *v.* 15. grando auferet hujusmodi spem; & occultationem illam, de qua dixistis *& in falsitate occultati sumus d. v.* 15. Inundabunt aquae, per quas innuit exercitum Assyrium, qui veniet in modum aquarum vehementium inundantium, quemadmodum ait supra *aquas fluminis vehementes & multas*, *cap.* 8. *v.* 7. & paulo inferius *Et permeabit in Jehuda inundabit ac transibit &c. d. cap.* 8. *v.* 8. & alibi *ascendit super omnes civitates Jehudae munitas & cepit eas*. *Jes.* 36. *v.* 1. 2 *Reg.* 18. *v* 13. 2. *par.* 32. *v.* 1. & tunc inundati fuerunt impii, qui erant in Jehuda, qui ponebant latibulum & spem suam falsitatem & mendacium.

V. 18 וכפר, scilicet abolebitur & abrogabitur, veluti *& vir sapiens abolebit eam*. *Prov.* 10. *v.* 14. *& visio vestra* (dixistis enim *fecimus visionem*: *v.* 15.) *non stabit*, ut opinati estis: & ita *flagellum*

inun-

(*a*) Hujusmodi verbis hic inest sensus: Qui verbum promissionis per fidem accepit, ne acceleret, nec, si statim non impleantur Dei promissa, idèo animum despondeat: neque enim tandem confundetur, aut frustrabitur. Eumdem sensum expressit Paulus *ad Rom.* 9. *v.* 23. *&* 10. *v.* 11. πᾶς ὁ πιστεύων ἐπ' αὐτῷ οὐ καταισχυνθήσεται *omnis qui credit in eum, non confundetur*.

inundans, dixistis enim *non veniet nobis*, *v.* 15. non equidem sicut dixistis, verùm eritis ei in conculcationem.

V. 19. *Quando transibit:* quando transibit ipsum flagellum, tollet vos. *quia in mane in mane transibit*, i. e. singulis diebus, quia a tempore profectionis suae in terram Israelis neque interdiu neque noctu quiescet, ut ait superius *non dormitabit neque dormiet*: *cap.* 5. *v.* 27. Dicit autem *in mane in mane*, licèt exercitus ambularet interdiu ac noctu, quia noctu non conspiciebantur, sed matutinis singulis conspiciebantur in terra, qui veniebant ad Jerosolymam. *& erit tantùm commotio intelligere auditum* (*a*), postquam intellexerint famam ejus, commovebuntur, & contremiscent, & pavebunt ab ea, quia modò non credunt. זועה significat commotionem, veluti *& non surrexit, neque movit se ab eo*, *Est.* 5. *v.* 9. qui enim timet, contremiscit & commovetur, & agitatur in corpore suo.

V. 20. *Quia breve fuit stratum:* קצר est Verbum praeteriti temporis, habet enim Kametz & Patach; pariter צרה est Verbum praeteriti temporis, habet enim accentum in penultima. Ait igitur per similitudinem, sicut is, qui accumbit super stratum curtum, non potest extendere pedes suos, neque longius se protendere in eo; itemque sicut is, qui se operit, dum jacet, cum operimento angusto, non potest se colligere, & recipere sub illo, ita erunt Israelitae, quando exercitus Assyrius diffundet se in terram eorum, tunc enim latitudo terrae ipsorum evadet angusta & arcta, quemadmodum ait *plenitudo latitudinis terrae tuae o Immanuel*, *cap.* 8. *v.* 8. neque enim superfuit eis ex universa terra ipsorum nisi Jerosolymi, quae erat angusta & arcta, adeo ut non possent universi recipi in ea. מהשתרע ex significatione illius *redundans*, *& contractus*, *Lev.* 22. *v.* 23. quod significat redundantiam. *in colligendo se*, quum voluerit recipere se sub illo, non poterit. התכנס significat collectionem, sicuti *ejectos Israelis colliget*, *Psal.* 147. *v.* 2.

V. 21. *Quia sicut monte Peratzim*: scilicet juxta pugnam, quam pugnavit David contra Philisthaeos in Baal=Peratzim, ubi erat mons, quemadmodum scriptum est *Et ascenderunt in Baal=Peratzim*, 1. *Par.* 14. *v.* 11. Facinus verò illud fuit prodigium magnum, percussit enim eos David cum populo, qui tunc erat cum eo, contra quos congregati erant omnes Philisthaei, & tum dixit David *divisit Dominus inimicos meos coram me secundum divisionem aquarum*, 2. *Sam.* 5. *v.* 20. quasi dicat, a Domino fuit hoc, & sicuti magnum fuit facinus illud, quia insurrexit Dominus, & pugnavit contra illos, ita modò insurget, ac pugnabit adversus Israelitas; & ut praelium Jehosuae in Gibon fuit prodigium magnum, dicitur enim *Et profligavit eos Dominus Jehos.* 10 *v.* 10. ita nunc profligabit Dominus Israeli-

(*a*) Ut planior fiat sensus postponenda hìc est vox *tantùm*, videl. *& erit commotio tantùm intelligere auditum*, h. e. famam seu rumorem.

litas, neque in ipsis erit vis standi coram hostibus suis. *sicut valle in Gibon*, i. e. ut fecit in valle Ajalon, & in Gibon. *ad faciendum opus suum, extraneum opus ejus*, quando insurget facturus opus suum in Israelitis, tunc dicent *extraneum opus ejus*, quia non ita fecit heri, & nudius tertius: replicat autem eamdem rem cum vocabulis diversis, quia *extraneum*, & *extranea* idem significant, idemque pariter sibi volunt *opus*, & *operatio*, opus enim Chaldaicè dicitur עובדא. Dominus verò Pater meus f. m. interpretatur *extraneum opus ejus*, quòd in monte Peratzim & in Gibon surrexit in auxilium Israelitarum, ut ulcisceretur de hostibus eorum, sed modò contra erit, quia de Israelitis nunc ulciscetur. Jonatan ita reddit versum hunc *Quoniam sicut commoti sunt montes, quando revelata est gloria Domini in diebus Oziae Regis, & in miraculis, quae fecit Dominus cum Jehosua in Valle Gibon, ut vindictam sumeret ab impiis, qui transgressi sunt verbum ejus: sic revelabitur, ut vindictam sumat ab iis, qui operantur opera extranea, & colunt cultum Idolorum in culto suo*.

V. 22. *Et nunc ne derideatis*: alludit ad id, quod dixerat de ipsis *viri derisionis* v. 14. & ob nimiam frequentiam actionis utitur conjugatione Hithpael, veluti *offendiculum ponis in anima mea*, 1. *Sam*. 28. *v*. 9. *pulsantes ad ostium*, *Jud*. 19. *v*. 22. & similia his. יחזקו cum Sceva sub Chet & sub Zain. מוסריכם castigationes vestrae; ait, cavete, ne derideatis ultra verba Domini, ne sint castigationes vestrae validae omnino juxta opera vestra, eo quòd ultio ventura sit, audivi enim a Domino consumptionem, & quidem decisam, consumptio, verò quae deciditur, erit. נחרצה significat *decisam*, & ita כליון חרוץ *consumptio decisa Jes*. 10. *v*. 22.

V. 23. *Auribus percipite*: praecipit eis metaphoricè, ut aures ad se advertant, & audiant ipsum; repetit autem eamdem rem cum dictionibus variis ad roborandam significationem.

V. 24. *Numquid tota die arabit arator?* assimilat judicia Dei, & praecepta ejus edita per prophetas rationibus arationis & sationis; & primùm afferemus interpretationem, postea verò exponemus allegoriam. Ait igitur, numquid arator, qui arat terram suam, ut serat in ea, arat tota die? non facit sic; sed quid facit? postquam aravit partem diei, solvit boves suos, & occat terram suam, i. e. contundit glebas, & hoc est וישדד, profectus enim in agrum frangit glebas ubi invenit eas.

V. 25. *Nonne quum adaequaverit facies ejus*: אם stat pro כאשר, & ita *quando erit Jubilaeus Num*. 36. *v*. 4. Ait, posteaquam complanaverit superficiem soli, quia fractione glebarum complanat superficiem novalis, ut semen cadat in planum, tunc disperget nigellam & cyminum, cuilibet enim speciei seminis est proprietas & ratio, qua serenda est; ita nigella & cyminum seri debent in loco, ubi terra multùm contrita sit, & comminuta valde. שורה significat mensuram, veluti *in pon-*

pondere, *& mensura*, *Lev.* 19. *v.* 35. & est Toar rei datae in mensura: ideo autem effertur in genere foemineo, quia est Toar frumenti, quod est generis foeminini. Ait igitur, & ita ponet frumentum in satione sua in loco, quem ipse scit ex qualitate terrae esse bonum pro satione tritici, quod ibi serit in mensura, i. e. neque addit super locum illum, neque imminuit a terra, quae bona est (*a*). Idem dicendum de hordeo designato, est enim ei certum signum in loco sationis hordeorum; speltam item ponit in termino ipsius sibi noto: uno verbo singulis seminibus est proprietas sua, & unumquodque in loco ipsi congruo serendum est. Meminit autem istorum, quia sunt fundamentum cibi hominum & brutorum, nigella verò & cyminum sunt species condimentorum necessariorum cibis hominum: talis igitur est ratio ac proprietas sationis. *mensuratum* autem, & *designatum*, & *termino ejus* idem sibi volunt, eadem enim res variis cum vocabulis effertur juxta morem. Nigella est semen nigricans ex speciebus condimentorum, cyminum notum est, & vulgò dicitur *Camino*.

V. 26. *Et erudiet illum ad judicium*: Deus instruxit serentem in ratione sationis, & docuit eum, scilicet Deus ejus instruxit in ratione sationis, & docuit eum, nimirum praebuit sapientiam hanc ei in corde ipsius. Dominus verò Pater meus b. m. ita exponit versum hunc: ait *Et erudiet illum ad judicium*, desumpta parabola a praeceptore, qui percutit, seminator enim percutit glebas duras complanandi causa superficiem soli juxta normam suam, quemadmodum postea dicit *& Deus ejus* יורנו, i. e. pluere faciet illi, ex significatione illius *pluviam tempestivam*, *& serotinam*, *Deut.* 11. *v.* 14. quasi dicat, seminator serit secundum judicium, & consuetudinem serendi, & postea sperat in Deum, ut impertiatur pluviam, & germinent semina.

V. 27. *Quia non cum tribula*: tribula est tabula lignea cum lapidibus (dentibus) minutis subter infixis ad triturandum: ait igitur, sicut est differentia inter semina circa modum & tempus sationis, siquidem proprietas unius non est ut proprietas alterius, ita est quoad tempus & rationem collectionis, quia non cum tribula trituratur nigella. *& rota plaustri super cyminum circumagetur*, יוסב habet Vau cum Daghes, & sensus est *neque rota plaustri &c.* negativa enim *non* intelligitur repetita: ratio est, quia nigella & cyminum sunt species seminum minutorum, ideoque triturari non solent cum tribula neque cum plaustro, sed cum virga excutiuntur; virga autem & baculus sunt idem.

V. 28. *Panis comminuetur*: vult dicere id, ex quo fit panis, h. e. frumenta, hordea, & speltas. *comminuetur*, scilicet per tribulam & plaustrum. Dicit autem *comminuetur* pro *triturabitur* de palea, quae tegit semen, quia ista comminuitur trituratione, donec reveletur semen, quod intra ipsum est. *sed non in perpetuum*, nihilominus non tri-

(*a*) Scilicet neque plus, neque minus, quàm par sit, seminabit.

triturabuntur in perpetuum, i. e. longo tempore, sed tempus praecisum est eis, quo intelligat is, qui triturat cum tribula aut plaustro, jam satis trituratum esse. אדוש est Makor, & Aleph est addititium. *& conteret rota plaustri ejus*, ut ait supra *rota plaustri* v. 27. rota enim & plaustrum idem sunt; quod si fieret id tempore multo, rota plaustri contereret ac frangeret semen. Idem pariter dicendum de tribula, quam cavere debet, ne diutius transire faciat super frumentum, ne conterant cuspides tribulae semen; cuspides verò sunt dentes tribulae, quibus conteritur palea tegens semen: quod si diutius id faceret, semen etiam contereretur, & frangeretur. Pronomen *triturabit illum*, & *comminuet eum* refertur ad panem, cujus meminit. Verbum verò *triturabit eum* ideo numeri singularis est, quia refertur ad rotam, itemque Verbum *comminuet eum*, quia refertur ad tribulam.

V. 29. *Etiam hoc*: quia dixerat in principio parasciae *vocem meam & eloquium meum* v. 23. ideo nunc ait, ne putetis, me loquutum esse vobis id ex animo meo, nam hoc etiam aenigma, ut & caetera verba, quae loquor ad vos, a Domino exercituum exiit, qui in hoc mirificavit consilium, & magnificavit in eo sapientiam, parabola enim haec est mirabilis & magna. תושיה significat sapientiam & legem, quia sapientia inest parabolae huic. Nunc igitur explanabimus parabolam: arator est Deus benedictus, & terra est Israel; sicuti verò arator disponit terram, ut sit apta ad recipiendum semen, ita Deus benedictus disposuit Israelitas, ut apti essent ad recipienda verba ipsius. Ab initio eduxit eos de Aegypto, ubi erant sicut ager incultus, & proferens spinas, sic erant in Aegypto in operibus malis, quae comparantur spinis, sed ipse misit ad eos Mosem prophetam, ac deinceps misit Aharonem, & reliquos prophetas, uti habetur in Ezechiele *Et dixi ad eos, unusquisque abominationes oculorum suorum projicite, & in Idolis Aegypti ne polluatis vos &c. cap.* 20. v. 7. postquam autem misit ad eos Mosem, fecit illis signa, & prodigia, donec crediderunt, quemadmodum ait, & credidit populus, & eduxit eos cum argento & auro, & percussit hostes eorum cum plagis notis, & ostendit eis columnam nubis interdiu, & columnam ignis noctu, & transire fecit eos per mare in ariditate, & excussit Pharaonem cum exercitu ejus *Psal.* 136. v. 15. & hoc totum est aptatio terrae ad recipiendum semen, nimirum ut recipiant praecepta & statuta ejus, & ita dixerunt *omnia, quae loquutus est Dominus, faciemus & audiemus. Exod.* 24. v. 7. Et ut dispositionem terrae, & complanationem faciei ejus non operatur arator in singulis diebus, ita Deus non ostendit mirabilia haec in omni tempore. Post dispositionem terrae incipit serere in ea, sic Deus descendere fecit Majestatem suam in Montem Sinai cum tonitribus, fulguribus, & facibus, & audire fecit illos verba sua, donec omnes fuerunt in gradu prophetarum, sed non fuerunt

omnes

omnes aequales, quemadmodum dixerunt Magistri nostri F. m. „ Mo„ ses habuit gradum ex se, & Aharon habuit gradum ex se „ & ita singuli secundum intellectum suum. Boni verò in intellectu suo, nimirum qui sunt subtiles in consideratione, comparantur loco optimo terrae minutae, in qua seminari possint nigella & cyminum, quae sunt semina minuta, quae quidem per se non sunt cibus, verùm ad gustum & saporem dumtaxat inserviunt. Per totum hoc intelligitur subtilitas rei, & parvitas corporeitatis, & ideo qui sunt inter eos minutae considerationis, suscipiunt ac perpendunt verba minuta spiritualia. In rebus quoque crassioribus, quales sunt triticum, hordeum, & spelta, una minutior est altera, pariterque inter eos, qui recipiunt, unius contemplatio melior est alterius, ut frumentum bonum comminutum pro cibo melius est hordeo & spelta, ideoque opus habet loco meliori terrae, in quo seratur; eademque ratione hordeum & spelta, unumquodque secundum id, quod est, unicuique enim rerum minutarum intellectualium inest proprietas quaedam, quemadmodùm unicuique illorum, qui recipiunt ac perpendunt, aliqua inest proprietas. Et ut qui seminat, expectat & confidit in semine suo, quòd proferat ipsi terra ex grano uno baccas plures, ita expectat Deus ab Israelitis, quòd addant super id, quod docuit eos, & considerent ac percipiant verbum e verbo; sicut enim terrae natura est proferre uberius, quàm seminatum est in ea, sic natura hominis est producere vi animae intelligentis copiosius, quam inditum est eidem, nimirum addere super id, quod doctus est, quo sensu ait Salomon *Da sapienti, & sapiens erit amplius: Prov. 9. v. 9. Et erudiet illum ad judicium v. 26.* scilicet arguendo illum jugiter. Per pluviam hominum intelliguntur illi, qui excitant eos, nimirum prophetae, siquidem Deus assiduè misit ad eos prophetas, qui excitarent & arguerent illos, qui quidem erant instar pluviae in terra, ut ait *& pluere faciet illi. d. v. 26.* Praeterea quia semen manet in terra per tempus praecisum, i. e. usque ad germinationem suam, & ad perfectionem maturationis suae, & deinde homines metunt ac triturant illud educendi cibi, & utilitatis percipiendae gratia ex eo, sic Israelitae, posteaquam posuit semen in ipsis, in sapientia lege ac praeceptis subsititerunt, seque illis assuefecerunt, idque respectu temporis mansionis seminis in terra, quo transacto, justum erat, ut inveniret seminator augmentum, & ostenderet, quid utilitatis in eo esset, coram omnibus, ut ait *quoniam haec est sapientia vestra, & intelligentia vestra in conspectu populorum: Deut. 4. v. 6.* quo circa debebant considerare id, & recta facere opera sua, ut de ipsis populi dicerent *tantùm populus sapiens & intelligens, gens magna est haec. d. vers. 6.* Trituratio est sermo prophetae, ejusque hortatio ad producendum fructum bonum, i. e. opera bona; & iis quidem, qui intelligunt, & considerant, sufficit monitio parva instar nigellae vel cymini, quae excutiuntur virga, vulgus verò opus habet monitione magna,

gna, & valida instar seminum crassiorum, frumenti scilicet, hordei, & speltae, quae triturari solent cum tribula, & rota plaustri. Neque verò erit hoc in perpetuum, prophetae enim non protrahunt monitiones suas in perpetuum, nam sicuti semen conteritur & corrumpitur nimia trituratione, sic prophetarum verba fiunt inania, quum ex illis utilitatem non percipiant, neque propter illa convertantur a via mala, immo agant contra id, quod requiritur ex eis, & contra spem, quae reposita est in illis, ideoque gentes dicent de ipsis *populo stulte, & absque corde*: *Jer.* 5. *v.* 21. contra id, quod dicebatur de illis, dum custodirent vias Domini, *tantùm populus sapiens, & intelligens*, *Deut.* 4. *v.* 6.

JESAIAE CAP. XXIX.

1. HEu Ariel Ariel, civitas *in qua* mansit David: addite annum super annum, agnos excident. 2.
Et coarctabo Ariel: & erit moeror & luctus, & erit mihi sicut Ariel. 3. Et castrametabor in modum sphaerae circa te: & obsidebo te turri lignea, & erigam circa te munitiones *obsidionales*. 4. Et humiliberis, de terra loqueris, & e pulvere demissus prodibit sermo tuus: & erit sicut pythonis de terra vox tua, & a pulvere eloquium tuum pipiet. 5. Et erit sicut pulvisculus tenuis multitudo ventilatorum tuorum: & sicut gluma transiens turba formidabilium, & erit in momento subitò. 6. A Domino exercituum visitabitur in tonitruo & in concussione *terraemotu* & voce magna: turbine ac tempestate, & flamma ignis vorantis. 7. Et erit sicut somnium visionis noctis multitudo omnium gentium militantium contra Ariel: & omnes militantes contra eam, & aedificantes munitiones contra eam, & afficientes eam angustiis. 8 Et erit quemadmodum somniat esuriens, & ecce comedit, & expergiscitur, & vacua anima ejus; & quemadmodum somniat sitiens, & ecce bibit, & expergiscitur, & ecce lassus, & anima ejus appetit: sic erit multitudo omnium gentium militantium contra montem Tzio-

Praefertim quum viderit ille natos fuos, opus manuum mearum in medio fui, fanctificabunt nomen meum: & fanctificabunt Sanctum Jaacobi, & Deum Ifraelis roborabunt. 24. Et fcient errantes fpiritu intelligentiam: & murmurantes difcent legem.

COMMENTARIUS.

V. 1. H*Eu Ariel Ariel*: Altare hic appellatur Ariel, ut & in Libro Ezechielis *& ab Ariel & fupra, cornua quatuor*, *Ezech.* 43. *v.* 15. & ita vertit Jonatan *Vae altari altari, quod aedificatum fuit in civitate, in qua habitavit David*. Magiftri noftri f. m. dixerunt Templum effe anguftum a parte pofteriori, & latum ab anteriori, ideoque fimile leoni, dictum enim eft *Ariel*; fiquidem leo eft anguftus a tergo, & latus a foronte &c. Repetit *Ariel* more lamentantium, qui repetunt verba fua, Propheta enim lamentabatur ob illud, & dicebat *Heu*. Verba illa קרית חנה דוד intelligenda funt juxta verfionem Chaldaeam; aut alterum אריאל conjunctum eft cum nomine קרית, quod non eft in forma conftructa, fed Thau ftat pro He in forma abfoluta, veluti *placentam azymi unam*, *Lev.* 8. *v.* 26. *veneuum eft eis*, *Pfal.* 58. *v.* 5. *flos deciduus Jef.* 28. *v.* 4. & fimilia his. Ideo verò facit mentionem Davidis, quia Davidi manifeftatus fuit locus Altaris ab initio in monte Moria, & erat oblatio ejus illic in beneplacitum, & placatus eft ibi Dominus in igne, & cohibita fuit peftis 2. *Sam.* 24. *v.* 25. Verùm id, quod offerunt illic modò, non eft in beneplacitum, quemadmodum ait *holocaufta veftra non ad beneplacitum*: *Jer.* 6. *v.* 20. quandoquidem ipforum opera mala funt, praetereaque facrificant Diis alienis, & qui mactat agnum, reputatur id ei, quafi exfcinderet ac decervicaret, & ita dixit *immolans agnum decervicans canem*, *cap.* 66. *v.* 3. ideo ait *agnos excident*, i. e. agni, quos jugulant, reputantur eis, ac fi abfcinderent eis cervicem, unde & Targum pro ערף habet נקף. חגים agni, & ita *ligate agnum cum funibus*, *Pfal.* 118. *v.* 27. Illud verò *addite annum fuper annum* hoc fibi vult, ut quid additis venire de anno in annum ad immolandas victimas? non funt victimae.

V. 2. *Et coarctabo Ariel*: appellat nomen Urbis Jerofolymae a nomine Altaris, quod in ea erat, & ait fe coarctaturum eam, ut revera accidit, omnia enim, quae in circuitu ipfius erant, cepit Rex Affyriae. *& erit moeror & luctus*, videlicet lugebunt in urbe Jerofolymae ob fratres fuos interfectos in civitatibus, quae in circuitu ipforum erant, & timebunt etiam fibimetipfis. *& erit mihi ficut Ariel*, Jerofolyma erit mihi ficuti Altare circumdatum victimis, fic erit illa cir-

circumdata interfectis in civitatibus, quae in circuitu ipsius sunt. Ideo verò dicit *mihi*, quia sicuti victimae Altaris meae sunt, quia offerunt eas mihi, ita sanguis interfectorum meus est, quia ex voluntate mea effusus est, quemadmodum etiam appellavit Regem Assyriae *virga furoris mei*, *& baculus indignationis meae*. *cap.* 10. *v.* 5.

V. 3. *Et castrametabor*: quando ponet castra Rex Assyriae circa Jerosolymam, ego ero ille, qui castrametabor circa eam, siquidem ex mandato meo & ex voluntate mea faciet id, quod faciet, & ita *obsidebo te turri lignea*, *& erigam &c.* כדור significat sphaeram, & ita in Misna = Sphaera, & mustricola = ita verò appellatur, eo quòd sit rotunda, & deest Caph, vel Beth servile. עליך circa te, כדור in modum sphaerae, & ita *sicut pilam* (vel *sphaeram*) *ad terram latam manibus*, *Jes.* 22. *v.* 18. & in forma alia *sicut rex paratus ad aciem*. *Job.* 15. *v.* 24. וצרתי ex significatione illius *Quum obsederis civitatem*, *Deut.* 20. *v.* 19. מצב turris lignea, quam construunt prope civitatem capiendi gratia. מצורות ex illo *& aedificabis munitionem obsidionalem*, *Deut.* 20. *v* 20. Quamvis verò scriptum non sit *infer*. *cap.* 37. *v.* 33. quòd aedificaverit Rex Assyriae circa Jerosolymam munitiones obsidionales, immo dixerit Propheta *non ingredietur urbem hanc*, *neque projiciet huc sagittam*, *neque praeoccupabit eam clypeo*, *neque effundet juxta eam aggerem*. *d. cap.* 37. *v.* 33. nulla tamen est contrarietas, dum enim ait *non ingredietur*, hoc sibi vult, non ingredietur in medium civitatis, ut potiatur ea: quod verò dicit *neque projiciet.... neque praeoccupabit eam.... neque effundet*, hoc quidem non fecit, sed tantùm se paravit eo die ad projiciendum, & ad effundendum postero die. Praeterea erexerunt turrem ligneam, & munitionem obsidionalem ad oppugnandum postero die, verùm noctu percussit eos Angelus Domini, & irritum factum fuit consilium ipsorum *d. cap.* 37. *v.* 36. *& obsidebo te turri lignea* Jonatan vertit *& aedificabo circa te vallum*, quemadmodum Onkelosus vertit illud *& aedificabis turrim ligneam*, *Deut.* 20. *v.* 20. *& aedificabis vallum*: illud verò *& erigam circa te munitiones obsidionales* vertit *& congregabo contra te aggerem*, sic illud *neque effundet juxta eam aggerem*. *d. cap.* 37. *v.* 33. vertit *neque congregabit juxta eam aggerem*.

V. 4. *Et humiliaberis*: tunc deprimeris; alloquitur Jerosolymam volens indicare eos, qui habitabant in ea. *de terra loqueris*, ait, loqueris in abjectione vocis, perinde ac si exeat vox de terra, & ita *demissus prodibit sermo tuus*, quasi exiret e pulvere, replicans eandem rem cum vocabulis diversis juxta morem: insuper repetit dicens *& erit sicut Pythonis de terra vox tua &c.* dicit *sicut Pythonis*, quia habentes Pythonem edebant vocem exilem de terra, quemadmodum explicavimus in libro Samuelis in Cap. de Pythonissa 1. *Sam.* 28. תצפצף refertur ad אמרה, & ita etiam תשח, ut ostendit formati-

va

va Thau; ait igitur, adeo exilis erit vox, ut non videatur sermo hominis, sed pipitus vel garritus avium, quo quidem modo loquuti sunt Eljakimus Sebna & Joachus ad Rabsakem *loquere quaeso ad servos tuos Aramitè, & ne loquaris ad nos Jehudaicè in auribus populi hujus* 2. *Reg.* 18. *v.* 26. quae verba exili voce dixerunt ad eum, ne audiret populus, verùm e contrario *Et stetit Rabsakes, & clamavit voce magna Jehudaicè d. c.* 18. *v.* 28. ut audiret populus.

V. 5. *Et erit sicut pulvisculus*: sicut pulvisculus minutus, qui agitatur respiratione oris, ita erit multitudo ventilatorum tuorum, qui velociter venient. *ventilatorum tuorum*, scil. eorum, qui castra ponent circa te, h. e. exercitus Assyrius. Praeterea repetit eamdem rem, & ait *sicut gluma transiens &c. in momento subito*, Lamed servile stat pro Bet, veluti *in momento subito*, *Num.* 6. *v.* 9. & ita *occidi in vulnere meo*, *Gens.* 4. *v.* 23. sic לפניכם, לחרב, & similia hisce, quasi dicat, veniet repente contritio eorum; & revera mane invenerunt omnes illos cadavera mortua 2. *Reg.* 19. *v.* 35. *in momento* idem est ac *subito*, duplicat enim significatum ad roborandum.

V. 6. *A Domino*: ait, quomodo erit hoc decretum tam magnum repente? quia veniet a Domino exercituum; comparat caedem tonitrui, terraemotui &c.

V. 7. *Et erit sicut somnium visionis noctis*: quidquid videt homo in somnio suo, vocatur visio, licèt non sit prophetia; Jonatan vertit *sicuti somnium imaginationis noctis*, idque declarat in versu sequenti. *circa Ariel*, i. e. circa urbem, in qua erat Altare, ut explicavimus. צוביה pro צובאיה. ומצרתה cum Cholem, & significat viros munitionis ejus, videlicet aedificantes munitiones contra eam ad capiendam eam.

V. 8. *Et erit quemadmodum somniat*: scilicet ut famelicus dormiens, cui videtur manducare in somno suo (& id est, quod cogitabat antequam dormiret) qui postquam experrectus est, vacua est anima ejus, quemadmodum fuerat ante somnum, omnis enim somnians, postquam experrectus est, non invenit quidquam ex omnibus iis, quae somniabat; & ita *sitiens .... & ecce lassus*, ubi *lassus* pro *sitiens*, quia lassus ex itinere sitit, ideo sitiens appellatur lassus, & ita terra sitiens dicitur lassa *sicut umbra petrae gravis in terra lassa*. *Jes.* 32. *v.* 2. שוקקה appetens, ex illo *& ad virum tuum erit appetitus tuus*. *Gens.* 3. *v.* 16. & est Toar ex Verbo quadrato juxta formam illius *sicut vacca refractaria*, *Hos.* 4. *v.* 16.

V. 9. *Tardate & admiramini*: haec prophetia respicit dies Achazi: ait *Tardate & admiramini* veluti coram viris Jehudae. התמהמהו significat *tardate*, juxta illud *Et tardavit*, *Gens.* 19. *v.* 16. hujusmodi verò tardatio fit in cogitatione. Ait igitur, prolongate cogitationes vestras, & cogitate in corde vestro cum mora & tarditate, ut intelligatis rem; & postquam intellexeritis rem, admiramini in vobis ipsis,

ipsis, quomodo factum sit in vobis malum hoc, nimirum quia dimisitis verba Dei viventis, quae dicunt vobis veri Prophetae, ac sinitis decipi a verbis Prophetarum mendacium, qui *clamaverunt & vociferati sunt* (*a*). Dominus verò Pater meus b. m. interpretatur *excaecati sunt ipsi, & excaecaverunt alios*, ex illo *& oculos ejus obline*, *Jes.* 6. *v.* 10. & isti sunt prophetae mendaces, qui excaecaverunt se, & excaecaverunt vos, ne videatis rectitudinem. *inebriati sunt & non vino*, hi sunt falsi prophetae: ait *& non vino*, quum superius dixisset *erraverunt in sicera*, *cap.* 28. *v.* 7. non dicit in hoc versu eos non inebriari, sed dicit eos etiam in tempore, quo non bibunt, ebrios esse, eo quod non intelligant, neque sapiant instar ebrii; repetit in hoc versu eamdem rem cum vocabulis diversis, quia *vatillaverunt* idem est ac *inebriati sunt*, quum ebrius moveat & agitet corpus suum, donec cadat.

V. 10. *Quoniam:* נסך *texit*, veluti *& tegminis obtecti Jes.* 25. *v.* 7. *& scutellas tegminis: Num.* 4. *v.* 7. quasi dicat, operuit vos vi soporis, quem projecit super vos, adeo ut reputemini tanquam soporati, quia non auditis eum, qui clamat ad vos. ויעצם *& clausit*, & ita ex conjugatione Kal *claudens oculos suos*, *Jes.* 33. *v.* 15. nimirum texit vos, & clausit oculos vestros, ne videatis, & non vos tantùm, sed etiam Prophetas, scilicet prophetas mendaces. *& Principes vestros videntes operuit*, isti sunt, qui claudunt oculos vestros usque dum non videatis: illud verò *Quoniam texit vos Dominus*, ita se habet, adeo vehemens est hujusmodi obtectio, ut videatur a Domino esse; aut intelligendum est juxta illud *Impingua cor populi hujus*, *Jes.* 6. *v.* 10.

V. 11. *Et erit vobis visio omnium*: i. e. prophetia omnium, quasi dicat, prophetia omnium Prophetarum Domini, qui prophetant vobis in nomine Domini, erit vobis veluti epistola sigillata, si enim praebeant epistolam scienti legere illam, dicet, non possum, quia sigillata est, nimirum inveniet hunc praetextum, quia non est ei voluntas legendi eam, si enim esset ei voluntas legendi eam, diceret, aperi eam, & legam illam. Ita dicunt sapientes, qui sunt inter vos; quia in verbis Dei sunt verba occulta, ideo non apponunt cor ad illa, si enim esset eis voluntas audiendi ac intelligendi ea, dicerent prophetae alicui, explica nobis hoc verbum occultum.

V. 12. *Et dabitur epistola ei, qui nesciat epistolam*: is dicet, nescio legere epistolam, etiamsi sit aperta, quia stulti, qui sunt inter vos, invenient hunc praetextum, non intelligimus verba Dei, dicite sapientibus nostris, & ecce sapientes & prophetae illorum seducunt eos, ideoque tam haec, quam illa epistola non legetur, sic verba Domini non audiuntur inter vos neque sapientibus, neque stultis. Rectius verò est

(*a*) In Libro Rad. videtur potiùs accipere verba haec in Imperativo *clamate & vociferamini*, quod & propter caetera in eodem contextu potiùs videtur. Vide Pagninum in radice שוע.

est exponere חזות הכל, quòd חזות non sit in statu regiminis, sed הכל sit pro לכל, nimirum prophetia est omnibus vobis tam sapientibus quam stultis ut verba litterae obsignatae. על אשר pro אל אשר, veluti *& ivit Elcana in Ramam ad domum suam*: 1. *Sam*. 3. *v*. 11. *& oravit ad Dominum*, 1. *Sam*. 1. *v*. 10. ubi על stat pro אל. Alii explicant הספר החתום, cujus verba sunt obturata & obsignata.

V. 13. *Et dixit Dominus*: כי נגש est dissentio in lectione vocis istius, nonnulli legunt eam cum Scin punctato in latere dextero, ut illud *appropinquavit Josephus & Rachel*, *Genes*. 33. *v*. 7. i. e. in significatione appropinquationis; & ita quidem est juxta Masoram, quae super hoc habetur, dicit enim „ Non est aliud sicut istud in hoc Libro „ cum Sin verò punctato in cornu sinistro, aliud habetur exemplum, nimirum *Oppressus est & ipse afflictus*, *cap*. 53. *v*. 7. Jonatan interpretatur eum Sin juxta illud *Et exactores urgebant*, *Exod*. 5. *v*. 13. vertit enim *pro eo quod magnificavit se*, & ita invenitur in quibusdam libris נגש cum Sin. Sensus igitur hujus versus, si legatur נגש cum Scin, talis est (& primùm animadvertendum est, quòd dictio יען innititur alteri לכן, quae est in vers. seq. ait enim, quia fecerunt hoc, ideo ego addo &c.) pro eo quod appropinquant ad me apparenter, & glorificant me, honorantque ore suo, & elongant cor suum a me &c. Si verò legatur cum Sin, ita exponendum est juxta mentem Targumistae, Pro eo quòd sunt magni in oculis suis, & ostendunt se tanquam exactores residuo populi ad honorandum Dominum ore suo, & ad precandum coram illo &c. Nos verò interpretabimur נגש *oppressus est*, juxta illud *Oppressus est*, *& ipse afflictus Jes*. 53. *v*. 7. scilicet in tempore, quo versantur in angustia, glorificant me ore suo, nimirum admovent ad me os & labia sua, cor verò elongant a me, & timor, quo me verentur, est praeceptum, quod docentur homines (*a*), is enim, qui facit tantùm id, quod praecipitur, neque addit ex se, non facit quidquam ex desiderio & voluntate sua.

V. 14. *Ideo ecce ego addo*: יוסף est participium cum Chirek pro Tzere, veluti *ecce ego addo diebus tuis*, *Jes*. 38. *v*. 5. *substentans sortem meam*, *Psal*. 16. *v*. 5. cum Chirik. Dicit *addo*, videlicet praeter calamitates, quas adduxi super vos, adhuc inducam aliam majorem super vos. *ad mirificandum*, ad inducendam calamitatem super illos, donec mirabilis sit in oculis respicientis, juxta illud *& descendit mirabilibus* (i. e. mirabiliter) *Thr*. 1. *v*. 9. idcirco geminavit dicens *mirabile & miraculum* (*b*). *& peribit sapientia sapientium ejus*, *& intelligentia intelligentium ejus*, in exilio & in deportatione peribit sapien-

(*a*) In Textu perperam reddidi *praeceptum hominum edoctum*, pro *praeceptum*, *quod homines docentur*, sed qui Hebraicum callet, non reprehendet me.

(*b*) Pro *ad mirificandum cum populo isto mirabile & miraculum* reddere possumus *ad mirificandum populum istum mirificatione & miraculo*.

pientia ipsorum, qua sunt sapientes, verùm sapientia eorum est ad nocendum ipsismet, non ad juvandum, quemadmodum ait *sapientes sunt ad malefaciendum, sed benefacere non noverunt*, *Jer.* 4. *v.* 22. aut *& peribit* hoc sibi vult, quòd quum supervenerit ipsis malum, peribit sapientia eorum, adeo ut non sit illis consilium & solertia, quo eripiantur ex eo, neque proderit eis tunc sapientia sua.

V. 15. *Vae profundantibus*: qui profundi sunt in cogitationibus suis, ut abscondant consilium suum a Domino, quasi dicat, ipsi arbitrantur Dominum non prospicere in negotia terrae, ideo faciunt omnem voluntatem suam, dicunt enim, nullus videt, nullusque scit. *in tenebris*, perinde ac si opera eorum essent in loco tenebroso respectu hominum, qui non vident ea, sic existimant omnia ipsorum opera latentia & patentia non videre Deum, & ita Jonatan *in tenebris* vertit *ut ii, qui versantur in tenebris*. לסתיר pro להסתיר.

V. 16. *Vertere vos verè*: אם significat *verè*, sicuti *Et verè creationem creabit Dominus*, *Num.* 16. *v.* 30 *Verè illusores ipse illudet*: *Prov.* 3. *v.* 34. & similia his, quae explicavi in Libro Miclol, in parte de Grammatica. Ait, in veritate mutatio vestra facilis est in oculis meis, sicut lutum figuli, sicut enim figulus, in cujus manu est lutum faciendi gratia ex eo vas aliquod, postquam perfecit illud, poenitentia ductus illud idem alia forma effingit, ut eidem figulo placet, ita facilis est mutatio vestra in manu mea, quia vos estis in manu mea, ut lutum in manu figuli, quomodo igitur asseritis me non videre opera vestra? *num dicet opus de factore suo?* admirativè, numquid dicet opus de factore suo, non fecit me, ecquid ei est, ut transmutet me de vase in vas? repetit deinde sermonem cum vocabulis diversis dicens *& figmentum dicet de formatore suo, non intellexit*. יצר verò est nomen substantivum vasis formati per manum figuli, & Lamed ליוצרו & לעושהו stat pro בעבור, ut Lamed in illo *dic de me*, *Gens.* 20. *v.* 13.

V. 17. *Nonne adhuc*: nonne adhuc post parum temporis videbitis mutationem, quam ego facturus sum in vobis? dicit *parum pusillum* per repetitionem significatus cum vocabulis diversis ad indicandam majorem brevitatem temporis: prophetia verò haec edita fuit in diebus Achazi, & ait propè esse, ut hoc fiat, nimirum in diebus Ezechiae. *& convertetur Libanus in Carmelum*, Libanus, i. e. nemus Libani, ubi sunt cedri excelsae & elatae; Carmelus verò est locus agrorum proventus, vinearum, & arborum humilium. Hanc verò parabolam dixit de superbis elatis, qui erant in diebus Achazi, qui evadent humiles in diebus Ezechiae, adeo ut non futura sit eis facultas loquendi, & convertentur inviti ad viam bonam. Per Carmelum intelliguntur humiles & mansueti, qui erant in diebus Achazi, quibus non erat potestas in manu sua reprehendendi illos; in diebus verò Ezechiae erunt exaltati sunt cedri saltus Libani, & addent in gloria & in magnitudine, quoadusque fiant similes cedris Libani, quemadmodum ait *Et addent mites in Domino laetitiam*: *infr. v.* 19. V. 18.

V. 18. *Et audient*: qui erant surdi, venient modò ad audienda verba epistolae, quique caeci erant, ad videnda ea, ut ait superiùs *Et erit vobis visio omnium sicut verba epistolae sigillatae*, *v.* 11. & de caligine ac de tenebris, quae erunt illis, nimirum de angustia, videbunt eorum oculi, quòd subsistet prophetia, in qua erant caeci, quum redargueret eos Propheta.

V. 19. *Et addent*: illi erunt in angustia, mansueti verò addent laetari in Deo, in quem credebant, antequam obveniret calamitas: modò, inquam, addent isti laetari, quum viderint subsistere prophetiam, & impiis esse angustiam, sibi verò requiem & gloriam. Deinde replicat eamdem rem cum vocabulis diversis dicens *& pauperes hominum*, scilicet pauperes inter homines, qui erant Jerosolymae, & hi sunt mansueti.

V. 20. *Quum defecerit*: laetabuntur & exultabunt, quum viderint defectum violentorum, & irrisorum, & festinantium ad iniquitatem, coram quibus non erat ipsis potestas loquendi, neque reprehendendi eos, quum viderint, inquam, ultionem eorum, exultabunt, quemadmodum ait *quum perierint impii, erit exultatio*. *Prov.* 11. *v.* 10. שקדי און, qui occupantur in iniquitate, & ad eam festinant, quique semper parati sunt, ut operentur eam.

V. 21. *Peccare facientes* (*a*): quando quis reprehendit eos verbis, reputant verbum ei ad peccatum, perinde ac si percuteret ipsos, sic *& increpanti in porta laqueos tendunt*, nimirum ei, qui increpat ipsos in porta, i. e. in frequentia populi, ut corrigantur, apponunt maculam, & impingere faciunt in verbis ipsius, quasi dicat, adstruunt ei omne malum, & calumniantur eum apud Regem, & pervertunt justum in vanitate & inanitate: Jonatan vertit *& pervertunt in mendacio judicium justorum*. יקשון ex Quiescentibus Ain, & habet significationem ex מוקש, יקש enim & קוש ejusdem sunt significantiae, & ita vertit Jonatan *quaerentes ei laqueum*. Fas etiam est interpretari יקשון ex significatione τȣ̃ קש, & ex radice ejus, nimirum ex קשש (*b*), & ita *congregate vos ipsos, & colligite vos*. *Tzeph.* 2. *v.* 1. qui locus exponitur ex illo *ut colligeret stipulam*, *Exod.* 5. *v.* 12. sicut enim qui colligit ligna aut stipulas, colligit hinc inde, & simul congregat, itidem qui probris afficit aliquem, colligit maculas ejus hinc inde, & illas dicit contra eum: sic isti faciunt ei, qui corripit ipsos, dicentes contra eum opprobrium & convicia, quae colligunt, Nonne tu fecisti sic & sic in tali & tali loco, in tali & tali tempore? quandoquidem fecisti sic, quomodo facis te correctorem?

(*a*) Hebraismus, pro *Reum facientes hominem propter verbum*, scil. reprehensionis.

(*b*) Verbum istud propriè significat *stipulas colligere*, quod fit accurata scrutatione; & hinc usurpatur de qualibet diligenti inquisitione.

V. 22. *Idcirco.... ad Domum Jaacobi, qui redemit Abrahamum:* sensus hujus versus talis est, Dominus, qui redemit Abrahamum, ait ad Domum Jaacobi, quòd pudore non afficietur Jaacobus, & ratio est, quòd omnes sint filii Jaacobi, ideo quando inter eos sunt homines improbi, tum perinde est, ac si Jaacobus ipsorum pater erubesceret ob illorum opera, si viveret, ut homo probus, cujus filius degeneret in pravam indolem, erubescit enim, & rubore perfunditur ob opera ejus. Sensus verò illius *qui redemit Abrahamum* est, quia sicut Abrahamus pater noster habitabat inter impios, & Dominus redemit eum de manu eorum, & eduxit de terra ipsorum, sic fuerunt mansueti illi, quorum meminit superius, inter iniquos, neque erat in manu eorum potestas tenendi palam vias Domini, nunc verò dicit, veniet tempus (& hoc erit in diebus Ezechiae) quo publicè tenebunt vias Domini, & sanctificabunt Sanctum Jaacobi, & ipsi verè appellabuntur Domus Jaacobi, neque erubescet Jaacobus ab operibus eorum, quin etiam gaudebit opere filiorum suorum in diebus Ezechiae, quia revertentur ad viam bonam, & exterminabuntur improbi in bellis, quae praecedent, & qui supererint ex eis, quia discent ex operibus illorum, neque erunt impii sicut illi, qui errabant spiritu, & male agebant, revertentur ad viam bonam, neque erubesceret Jaacobus ab operibus eorum, si viveret. פניו יחורו *facies ejus albescent*, Targumicè enim *albus* dicitur חור, quia vultus erubescentis fit albus, & ita in Verbis Magistrorum nostrorum f. m. „ Albescere faciens „ vultum socii sui inter multos „

V. 23. *Praesertim quum viderit ille:* i. e. quando videbit Jaacobus filios suos (nimirum qui sunt filii ejus verè, seu in fide) ambulantes in via bona, & quando videbit opus manuum mearum in medio sui, idque est, quod faciam in exercitibus Assyriis venientibus in terram suam, & quando videbit, quòd sanctificabunt filii sui nomen meum ob prodigium tantum (dicent enim, dum sanctificabunt nomen ejus, *Sanctus Jaacobi*, & *Deus Israelis*, qui est ipsorum pater) tunc non erubescet Jaacobus, sed laetabitur; totum verò hoc intelligendum est per similitudinem, ut explicavimus. יער צו, dabunt illi in hymnis suis potentiam & fortitudinem, quia percussit in Castris Assyriae noctu centum & octoginta quinque millia, neque profuit eis fortitudo & potentia, & multitudo exercituum ipsorum. Conjungit verò Sanctitatem Dei cum Jaacobo in omni loco, id quod non facit cum reliquis Patribus, quemadmodum ait *Sanctum Jaacobi h. loc. Quoniam sic dixit Dominus exercituum Sanctus Israelis, cap. 30. v. 15. fortis Jaacobi cap. 49. v. 26. & 60. v. 16. Sanctus Israelis servator tuus: cap 43. v. 3. redemptor vester Sanctus Israelis cap 43. v. 14. Sanctus Israelis, & plasmator ejus cap. 45. v. 11. redemptor Israelis Sanctus ejus, cap. 49. v. 7.* & quamvis nonnulla istorum locorum intelligi possint de universo Israele, quaedam tamen sunt ex istis, quae non

non possunt explicari nisi de Israele ipso. Ideo verò dicit hoc, quia Jacobus vidit Sanctitatem Dei per visionem prophetiae, nimirum in visione scalae constitutae in terra, cujus caput pertingebat ad Coelum *Genes.* 28. v. 12.

V. 24. *Et scient:* qui errabant spiritu ab initio, quando videbunt signum hoc magnum, scient intelligentiam, quasi dicat, intelligent opus Dei, & scient eum respicere opera hominum, itemque scient, quidquid dicebant ipsis Prophetae, scilicet Prophetae Dei, esse veritatem. Repetit verò eamdem rem cum vocabulis diversis dicens ורוגנים, scilicet errantes spiritu (*a*). לקח significat legem, veluti *Legem bonam dedi vobis, legem meam ne derelinquatis. Prov.* 4. v. 2.

JESAIAE CAP. XXX.

1. VAe filiis refractariis, dixit Dominus, ad faciendum consilium & non ex me, & ad occultandum consilium & non *ex* spiritu meo: ut addant peccatum super peccatum. 2. Qui proficiscuntur ad descendendum *in* Aegyptum, & os meum non interrogaverunt: ad roborandum se in fortitudine Pharaonis, & ad protegendum se in umbra Aegypti. 3. Et erit vobis fortitudo Pharaonis in pudorem: & protectio in umbra Aegypti in ignominiam. 4. Nam fuerunt in Tzoan principes ejus: & legati ejus Chanes attigerunt. 5. Omnis pudore affectus est propter populum, *qui* non proderunt ipsis: nec ad auxilium nec ad proficiendum, sed ad pudorem & etiam ad opprobrium. 6. Onus *prophetia onerosa* animalium Austri: in terra angustiae & afflictionis leaena & leo ex illis, vipera & serpens volans; ferent super humerum asellorum divitias suas, & super gibbum camelorum thesauros suos ad populum, *qui* non proderunt. 7. Et Aegyptii vanè ac inaniter auxiliabuntur: ideo vocavi Hanc, fortitudo eorum sedere. 8. Nunc ingredere, scribe istam in tabula

 apud

(*a*) R. Salomon exponit „ murmurantes contra verba Prophetarum„ quem ego in textus versione sequutus sum, ne bis in eodem versu repeterem *errantes spiritu*.

apud illos, & in libro exara eam: & erit in die novissimo in testimonium usque in saeculum. 9. Quoniam populus rebellionis est, filii mendaces: filii, *qui* noluerunt audire legem Domini. 10. Qui dixerunt Videntibus, non videtis, & Aspicientibus, non aspicitis nobis recta: loquimini nobis blanda, videte illusiones. 11. Recedite a via, declinate a semita: cessare facite a conspectu nostro Sanctum Israelis. 12. Idcirco sic dixit Sanctus Israelis, pro eo quod sprevistis verbum hoc: & speravistis in oppressione & perverso, & innixi estis ei. 13. Propterea erit vobis iniquitas haec sicut ruptura cadens, inflatio in muro excelso: cujus subitò in momento veniet confractio. 14. Et conteret eum juxta contritionem lagenae figulorum contritae, non parcet: & non invenietur in comminutione ejus testa ad capiendum ignem de foco, & ad hauriendum aquam de fovea. 15. Quoniam sic dixit Dominus Deus Sanctus Israelis, in quiete & requie salvi eritis, in tranquillitate & in fiducia erit fortitudo vestra: & noluistis. 16. Et dixistis, nequaquam, quia super equum fugiemus, ideo fugietis: & super levem equitabimus, ideo leves erunt persequentes vos. 17. Mille unum a facie increpationis unius, a facie increpationis quinque fugietis: donec relinquamini sicut malus in vertice montis, & ut signum super collem. 18. Et ideo sperare vos faciet Dominus, quòd miserebitur vestri, & propterea exaltabitur, ut misereatur vestri: quia Deus judicii Dominus; beati omnes qui sperant in eum. 19. Nam populus in Tzione habitabit, in Jerosolyma flendo non flebis: miserendo miserebitur tui ad vocem clamoris tui, statim ac auscultavit, exaudivit te. 20. Si dedit vobis Dominus panem angustiae & aquam oppressionis: sanè non elongabitur ultra pluvia tua, & erunt oculi tui videntes pluviam tuam. 21. Et aures tuae audient verbum a tergo tuo, dicendo: haec via, ambulate in ea, quando dextrabitis, & quando sinistrabitis. 22. Et contaminabitis obductionem Sculptilium argen-

argenti tui, & amictum Fusilis auri tui: disperges ea veluti languidam *menstruatam*, egredere, dices ei. 23. Et dabit pluviam seminis tui, quando seminabis terram, & panem proventus terrae, & erit uber & pinguis: pascet pecus tuum in die illa pascuum latum. 24. Et boves & aselli colentes terram pabulum purum comedent: quod ventilatur cum pala & cum ventilabro. 25. Et erit *erunt* super omnem montem excelsum, & super omnem collem elevatum rivi deductiones aquarum: in die occisionis magnae, quando cadent turres. 26. Et erit lux Lunae sicut lux Solis, & lux Solis erit septempliciter, sicut lux septem dierum: in die, quo ligabit Dominus contritionem populi sui, & transfossionem plagae ejus sanabit. 27. Ecce nomen Domini venit de longinquo, ardens furor ejus, & gravitas oneris: labia ejus plena sunt ira, & lingua ejus tanquam ignis devorans. 28. Et spiritus ejus velut torrens inundans usque ad collum dimidiabit, ad ventilandum gentes in ventilabro vanitatis: & fraenum errare faciens in maxillis populorum. 29. Canticum erit vobis sicut nocte, *qua* sanctificatur solemnitas: & laetitia cordis, ut eunti cum tibia, ad ingrediendum in Montem Domini ad Rupem Israelis. 30. Et audire faciet Dominus Majestatem vocis suae, & descensionem brachii sui ostendet in aestu furoris, & flamma ignis vorantis: dispersione & inundatione & lapide grandinis. 31. Quia a voce Domini conteretur Assur: cum virga percutiet. 32. Et erit omnis transitus virgae fundationis, quam requiescere faciet Dominus super eum, cum tympanis & cum citharis: & in bellis elevationis pugnabit in eam *in eos*. 33. Nam ordinatus ab heri Tophteh, etiam ipse regi paratus est, profundavit dilatavit: pyra ejus ignis & ligna multa, halitus Domini sicut torrens sulphuris ardentis in ea *succendentis eam*.

COM-

COMMENTARIUS.

V. 1. VAe *filiis refractariis*: dictum est in principio Libri, Jesaiam prophetasse in diebus Oziae, Jotami, sed non videmus hosce reges quaesivisse auxilium ab Aegyptiis, ut ait in istis parasciis, in quibus ob id redarguit ipsos. Quòd si dicatur, eum hic prophetare de generatione Tzidkiae, quae fuit post ipsum, & contra eam exclamare, Vae illis, qui mittent in Aegyptum pro auxilio, id quod reverà fecerunt, non quadrabit id cum harum parasciarum materia, in quibus loquitur de salute, quae facta fuit in diebus Ezechiae, idcirco dicendum est evenisse hoc in diebus Achazi, licèt id non reperiatur scriptum in Libro Regum, neque in Verbis dierum, aut in diebus Ezechiae ipsius, eo quòd tunc boni non fuerint principes Jehudae, quum eos magnopere invitos ad probitatem aegrè convertisset Ezechias, quocirca rex Assyriae ascendit super omnes Civitates Jehudae munitas, & cepit eas 2. *Reg.* 18. *v.* 13. si enim fuissent boni, non evenisset eis id, & hoc rectum est juxta sensum parasciarum sequentium. In omnibus verò parasciis istis dicitur *Sanctus Israelis*, quia sanctificatus est in Israele ob caedem exercitus Assyriae. Ait *Vae filiis refractaris*, i. e. vae illis, qui appellantur filii, sicut scriptum est *Filii estis Domino Deo vestro*: *Deut.* 14. *v.* 1. verùm sunt refractarii, veluti *vitula refractaria*, *Hos.* 4. *v.* 16. declinant enim a via bona, & derelinquunt Patrem suum, qui in Coelis est, & quando obvenit illis calamitas, non convertuntur ad eum, neque ab eo quaerunt auxilium, sed requirunt auxilium ab inimicis suis, & in omnibus, quae faciunt, nequaquam rogant os prophetae, qui requirat os Domini super operibus suis, sed operantur ex consilio suo. *& non ex me*, scilicet hujusmodi consilium non est ex me: deinde repetit eamdem rem cum vocabulis diversis dicens *ad occultandum consilium*, *& non spiritu meo*, i. e. & non ex spiritu meo, neque ex verbis meis. ולנסוך מסכה *& ad occultandum consilium*, quia consilium fit in secreto & in occulto, & ideo לנסוך מסכה significat operimentum & occultationem consilii, vel *ad consulendum consilium*, ut vertit Jonatan *& ad consulendum consilium*, *sed non interrogant Prophetas meos*: aut לנסוך מסכה significat *ad operiendum se operimento*, quia putabant se tectum iri in umbra Aegypti. *ut addant peccatum super peccatum*, non sufficit illis iniquitas & peccatum ipsorum, nisi superaddant peccatum hoc alterum, nimirum quòd in conspectu meo petant auxilium ab alio, qui non sit in potestate mea, quae est rebellio maxima servi in Dominum suum, nimirum quòd in conspectu ipsius pendeat a Domino alio.

V. 2. *Qui proficiscuntur*: qui proficiscuntur e terra sua, ut descen-

scendant in Aegyptum ad quaerendum sibi auxilium: ait *ad descendendum*, quia is, qui proficiscitur a Jerosolyma, descendit.

V. 3. *Et erit fortitudo Pharaonis*: quam existimatis fore vobis fortitudinem, erit vobis in confusionem, quia non juvabimini ea, immo ignominiis afficiemini ex consilio vestro. *& protectio in umbra Aegypti*, חסות nomen substantivum juxta formam גלות.

V. 4. *Nam fuerunt principes ejus*: i. e. principes Jehudae, vel pronomen possessivum *ejus* refertur ad regem Jehudae.

V. 5. *Omnis pudore affectus est*: הבאיש cum duabus litteris quiescentibus Aleph & Jod, quam vocem cum aliis similibus jam explicavimus in Libro Miclol in parte de re Grammatica, & significat pudorem: sensus verò est, omnes pudore & ignominia affecti fuerunt, postquam venerunt ad populum, qui nihil proderit ipsis. על pro אל, veluti *& oravit ad Dominum* 1. *Sam*. 1. *v*. 10. *& ivit Elcana in Ramam ad domum suam*, 1. *Sam*. 2. *v*. 11. & similia his.

V. 6. *Onus animalium*: prophetia haec, qua prophetatum fuit, quòd egredientur animalia Austri, indicat feras deserti, quae vorabunt proficiscentes ad quaerendum auxilium ab Aegyptiis. נגב propriè significat terram aridam & squallidam, veluti *terram aridam dedisti mihi*, *Jehos*. 15. *v*. 19. quae est habitaculum ferarum noxiarum. Aegyptus verò appellatur *Auster*, quia est Australis respectu terrae Israelis. *in terra angustiae & afflictionis*, via illa, per quam transeunt, est angustiae & afflictionis, eo quod habitent in ea ferae noxiae. Ait quòd egredietur ex illis (*a*) leaena, & leo (*b*), vipera, & serpens volans (*c*) contra illos, qui portabunt super humerum jumentorum divitias suas; portabunt enim opus super jumentis & camelis dandi gratia Aegyptiorum regi, qui auxilietur ipsis contra regem Assyriae. דבשת gibbositas cameli, quae sustinet onus, ut כתף in asinis. על pro אל, ut explicavi in v. praec. Jonatan interpretatur במישא juxta illud *onus paris camelorum de terra*, 2. *Reg*. 5. *v*. 7. vertit enim *portantes super jumentis suis in via Australi*.

V. 7. *Et Aegyptii . . . . ideo vocavi Hanc*, i. e. Jerosolymam, *fortitudo eorum sedere*, nimirum fortitudo eorum, quòd supersedeant in civitate Jerosolymae, neque exeant ad quaerendum auxilium ab Aegyptiis, quia non proderunt ipsis. רהב fortitudo, veluti *& fortitudo eo-*

(*a*) Scilicet ex illis animalibus, vel ex illis partibus, seu locis.

(*b*) In expositione vocis לביא sequutus sum Bochartum, qui in *par*. 1. *lib*. 3. *cap*. 1. *Hieroz*. ubi omnia leonis nomina expendit, interpretatur *leaenam*, deducit enim ab Arabico Verbo لبأ, quod in prima conjugatione est *mulcere colostrum*, seu primum lac, in quarta *lactare colostro*. Vide Golium in *d. rad*. Nomen verò ליש, seu Chaldaeum & Arabicum ליח desumit a robore, quo praeditus est leo.

(*c*) De serpente alato vide *cap*. 14. *v*. 29. (*a*).

do eorum labor & molestia: Psal. 90. *v.* 10. Jonatan vertit *propterea occurri plurimis ex eis occisis*.

V. 8. *Nunc*: dicit Deus Prophetae, ingredere, & scribe istam prophetiam in tabula apud illos: ait *apud illos*, ut videant, quid scribis in tabula, & postea exara ipsam prophetiam in libro, ut sit testimonium ad diem novissimum. *in testimonium usque in saeculum*, scilicet ut videant ipsi & posteri deinde, me non sine causa induxisse super eos ultionem, sed propter iniquitatem ipsorum, quia populus rebellionis est, & me jam testificatum esse contra illos quotidie per prophetas meos, sed noluerunt audire; idcirco scribe reprehensionem & calamitatem hanc, quae ventura est super eos, ut sit in testimonium. חקה He habet Mappik, & significat *exara eam*, verùm juxta mentem Jonatanis He non habet Mappik, neque He כתבה, vertit enim *ingredere, scribe in tabula inter eos, & in columnis libri signa*.

V. 9. *Quoniam populus rebellionis est*: כחשים est Toar, & singulare est כחש, ex Verbis daghesciatis, & nisi adesset Chet, haberet Daghesc juxta analogiam אכר & אכריכם: Illud verò עם מרי significat juxta Targum *populus rebellis*, quia rebelles sunt in Deum, & in praecepta ejus. *filii mendaces*, quia fuerunt filii Dei, & negaverunt eum esse Patrem suum, quum non audirent eum; filius enim, qui non audit patrem suum, perinde est, ac si neget illum esse patrem suum.

V. 10. *Qui dixerunt Videntibus . . . . & Aspicientibus*: i. e. Prophetis Dei. נכוחות res rectas. *blanda*, quemadmodum dicunt prophetae mendaces, qui blandiuntur illis dicentes, pax erit vobis, facite secundum desiderium vestrum. *illusiones*, non dicunt illi has esse illusiones, verùm Propheta appellat verba prophetarum mendacium illusiones, quia illudunt cum illis, & dicunt eis, nolite timere: ipsi verò dicunt Prophetis Domini, prospicite nobis juxta verba prophetarum istorum, qui vident nobis pacem & prosperitatem; qui tamen neque illusiones, neque verba recta dignoscunt.

V. 11. *Recedite a via . . . . a semita*: utrobique Nun est cum Tzere: dicunt Prophetis Domini, recedite a via hac, & a semita ista, per quam vultis, ut nos ambulemus, & non faciamus juxta desiderium cordis nostri, cessare facite a conspectu nostro id, quod dicitis nobis quotidie in nomine Sancti Israelis.

V. 12. *Idcirco . . . verbum hoc*: i. e. verbum Prophetarum Domini, qui hortantur vos, ut eatis per viam bonam. *in oppressione & perverso*, confiditis in opibus vestris, quae sunt oppressio & direptio. נלוז significat perversum, i. e. judicium perversum, quasi dicat, pervertitis sententiam judicii oppressorum ob pecuniam, quam accipitis ab opprimente, ideoque divitiae vestrae sunt rapina & oppressio, quibus tamen vos estis innixi, & per easdem salutem consequuturos

ros confiditis, mittentes munus Regi Aegypti, qui vobis ferat suppetias contra Regem Assyriae, ut ait superius *ferent super humerum jumentorum divitias suas*, *v.* 6. Dicit autem *Sanctus Israelis*, de sperantibus in eum, quia sperantibus in eum, & sanctificantibus nomen ejus ipse erit auxilio, vos verò, qui confiditis in illis, cadetis instar rupturae muri.

V. 13. *Propterea . . . sicut ruptura cadens*: postquam cecidit aedificium, est ruptura, quia ruptura non cadit, sed ita dicitur habita ratione finis, veluti *& mole farinam*, *Jes.* 47. *v.* 2. idcirco declarat postea, quid sit ruptura, dicens *inflatio in muro excelso*: נבעה est locus tumens in pariete, ex significatione illius *ulcus inflationum*, *Exod.* 9. *v.* 10. quando verò adest in pariete locus tumens, prope est ut cadat. Ait *in muro excelso*, quia murus excelsus gravitat super locum tumentem, qui est in medio, vel subter medium ejus, idcirco cadet repente, & contereretur ob gravitatem altitudinis ejus: & ut ipse locus tumens causat ruinam muri excelsi, ita erit vobis iniquitas haec, qua quaeritis auxilium ab Aegyptiis, causabit vobis ruinam vestram, ruinam magnam cum fractione magna absque remedio juxta ruinam muri excelsi, cujus in ruina franguntur lapides, eo quod ruat casu vehementi ac praecipiti propter altitudinem ejus. Alio etiam sensu adhibet istam similitudinem *in muro excelso*, quia existimabant Pharaonem Regem Aegypti futurum sibi instar muri excelsi a facie inimici.

V. 14. *Et conteret eum*: Deus conteret istum murum, in quo incolumitatem vestram reponitis, juxta contritionem lagenae figulorum, scilicet ut conteritur lagena figulorum, seu vos testaceum, quia factor testarum appellatur simpliciter & absolutè *figulus*. Erit igitur hujusmodi contritio, quemadmodum frangit figulus vas absque misericordia, quia non est mens ipsius relinquere ex eo ne unum quidem fragmentum, quo capiatur ignis ex foco, vel hauriatur aqua ex fovea, verùm frangit illud, quoadusque redigatur in minuta fragmenta: locus verò, ubi ardet ignis, appellatur *focus*, & ita mos Mundi est sumere ignem de foco cum fragmento testae. לחתות *ad capiendum*, veluti *Numquid capiet quis ignem in sinu suo? Prov.* 6. *v.* 27. Fovea verò appellatur locus, in quo congregatur parum aquae, sicuti *Caenosa ejus & foveae ejus*, *Ezech.* 47. *v.* 11. Nequaquam verò potest quis aquam ex ea sumere cum vase, sed tantùm cum fragmento vasis, ut possit admovere labia vasis fracti ad fundum foveae, & capere parum aquae, quae in ea est. Postquam verò ceperit aquam e fovea, tum relinquitur fovea exhausta & detecta, idcirco ait *& ad hauriendum* (a), & ita *ad haurien-*

(a) Verbum חשף propriè significat *denudare*, *detegere*, in qua significatione cepisse videtur Kimchius noster; quia verò dum hauritur aqua ex. gr. ex fovea, restat eadem fovea quodammodo denudata & detecta, ideo translatum est hoc Verbum ad significandum etiam *haurire*.

riendum batos quinquaginta in torculari, *Chag.* 9. *v.* 17. sc. ad capiendum totum mustum, donec non relinquatur in torculari quidquam: Jonatan ולחשוף reddit ולמדלה, quod pariter significat haustionem aquae.

V. 15. *Quoniam sic dixit Dominus .... in quiete & requie*: repetit eamdem rem cum dictionibus diversis, iterumque replicat dicens *in tranquillitate & in fiducia*. Ait, ego dixi, si audieritis me, in quiete salvabimini, neque opus erit vobis, ut eatis cum labore ad quaerendum auxilium, sed tantùm ut sedeatis in civitate vestra, & haec erit fortitudo vestra, volens dicere, quòd Dominus pugnabit pro vobis, sed vos noluistis.

V. 16. *Et dixistis, nequaquam, quia super equum fugiemus*: si advenerit hostis, sunt nobis equi, quibus fugiamus a conspectu inimici, donec transeat, ac deinde revertemur in terram nostram. *& super levem equitabimus*, i. e. super equum aut camelum levem: & quidem erit secundum verba vestra, verùm non ea erit fuga vestra, ut possitis eripi de manu hostium, si enim equitabitis super levem, persequutores vestri leviores erunt vobis, & assequentur vos.

V. 17. *Mille unum* (*a*): ait *unum*, licèt opus non sit, verùm sic ait, quia mille est unum in ordine quarto, & unus est unus in ordidine primo; ait igitur, quòd multi fugient a conspectu paucorum. *a facie increpationis quinque fugietis*, scilicet omnes vos. *donec relinquamini*, אם pro אשר, interdum enim invenitur pro אשר, veluti *donec loquutus fuero verba mea*, *Genes.* 34. *v.* 33. & pro כאשר, veluti *Et quando erit Jubilaeus filiis Israelis*, *Num.* 36. *v.* 4. *& quando altare lapideum facies mihi*, *Exod.* 20. *v.* 25. & similia his. Ait igitur, adeo fugietis huc & illuc, donec superstites in vobis sint perpauci inter multos, ut malus in vertice montis, qui conspicitur unicus e longinquo, & ita *ut signum super collem*, significatus enim duplicatus est, quia נס interpretantur malum navis.

V. 18. *Et ideo sperare vos faciet Dominus, quòd miserebitur vestri*: יחכה hoc est Verbum transitivum, quasi dicat, facit vos sperare, ut confidatis in ipsum, quòd miserebitur vestri, adhuc enim miserebitur vestri, & auxiliabitur vobis, in qua significatione dictum est *in quo sperare fecisti me*. *Psal.* 119. *v.* 49. Alii interpretantur versum hunc cum parascia sequenti de tempore futuro; sed rectius est, si dicatur continuari argumentum hujus parasciae loquentis de generatione Ezechiae, & de iniquis, qui erant in ea, qui auxilium quaerebant ab Aegyptiis, de quibus loquitur usque ad versum hunc, versum verò hunc loqui de bonis, nimirum de Ezechia ejusque sociis. לחננכם quòd miserebitur vestri: לחנן juxta formam illius *non est pruna ad calefaciendum se*. *Jes.* 47. *v.* 14. *exaltabitur, ut misereatur vestri*, exaltabitur & extolletur super exercitum Assyriae, ut misereatur vestri. *quia*

(*a*) Videlicet *Chilias una*, Italicè *un migliaio*.

quia Deus judicii Dominus, & non perdit justos unà cum improbis. *beati omnes qui sperant in eum*, quia isti liberabuntur.

V. 19. *Nam populus in Tzione habitabit*: non ficuti caeterae Civitates Jehudae, quae captae fuerunt per manum Regis Assyriae, propterea quòd non speraverunt in Deum. *in Jerosolyma flendo non flebis*, tu, o popule, qui es in Jerosolyma, quia non exiisti ex ea, ut quaereres auxilium ab Aegyptiis, flendo non flebis, ut flent alii, qui capti fuerunt, quia Deus miserebitur tui ad vocem clamoris tui. *statim ac auscultavit, exaudivit te*, statim ac auscultavit clamorem tuum, exaudivit te, & id, quando laceravit Ezechias vestimenta sua, & operuit se sacco, & ingressus domum Domini deprecatus est Deum, & exaudivit eum Deus per Jesaiam prophetam, qui dixit *ne timeas a facie verborum, quae audivisti &c. cap. 37. v. 6.*

V. 20. *Et dabit vobis Dominus*: Glossatores ita exponunt *Et si dedit*, veluti כי אינך יוצא 2. *Sam. 19. v. 7.* videlicet *quòd si non fueris egressus*, וצמית והלכת, i. e. *quòd si sitieris, vade, Ruth. 2. v. 9.* & similia his, secundum quam expositionem Vau ולא יכנף est ut Phe rapharum in lingua Ismaelitica: ait igitur, si usque modò dedit vobis panem angustiae, & aquam tribulationis, non erit hoc ulterius, quia non prohibebitur amplius pluvia tua, מוריך enim est pluvia tua, ex illo *pluviam tempestivam & pluviam serotinam: Deut. 11. v. 14.* illud verò ולא יכנף & non colligetur neque detinebitur, cui simile habetur in Verbis Magistrorum nostrorum f. m. apud quos congregatio populi ejusque detentio dicitur כנופיא. Et re quidem vera in diebus Ezechiae fuit eis penuria, sed nunciavit ipsis satietatem, quemadmodum ait *comede isto anno sponte=natum, & in anno secundo sponte=renatum; & in anno tertio seminate, & metite &c. d. cap. 37. v. 30.* vel sensus istius ולא יכנף non elongabitur in extremum terrae, quasi dicat, non erit longinqua a vobis pluvia, sed proxima, quam oculi vestri videbunt jugiter. Licet etiam exponere מוריך ex illo *Et non audivi vocem docentium me, Prov 5. v. 13.* quod dicit de Ezechia, & si Jod in מוריך est signum numeri pluralis, intelligit de Ezechia & Principibus ejus, volens dicere, quòd non mittet legatos in extremum terrae, quemadmodum fecit Achazus, qui misit ad regem Assyriae, ut auxiliaretur sibi in bello Retzini & Phekachi, verùm Ezechias manebit fidenter in loco suo, neque opus habebit auxilio hominum, & oculi tui videbunt illum jugiter in Jerosolyma docentem te viam bonam & rectam. Jonatan interpretatur versum hunc de exercitu Assyriae, ita enim reddit *Et dabit vobis Dominus divitias odii & praedam afflictionis, & non tollet Majestatem suam ultra de domo Sanctuarii, & erunt oculi tui videntes Majestatem meam in domo Sanctuarii*, & recta quidem est interpretatio ejus. *aquam oppressionis*, מים habet Mem in regimine, ut in plurali absoluto.

V. 21 *Et aures tuae*: etiamsi clamet ad te praeceptor a tergo, & dicat tibi, per hanc viam incedite, audient aures tuae & intelligent, quantò magis quum docebit te facie ad faciem? vult dicere, quòd homines generationis Ezechiae in diebus illis satagent custodire legem & praecepta, & audient vocem praeceptorum suorum, etiamsi clament ad ipsos a tergo. *quando dextrabitis & quando sinistrabitis*, quum volueritis ire ad dexteram aut ad sinistram, non facietis nisi viam rectam in oculis vestris, ambulate per eam, non declinabitis ad dexteram neque ad sinistram mandatorum praeceptoris. תאמינו pro תימינו, Jod enim mutatum est in Aleph.

V. 22. *Et contaminabitis*: quando loquitur coram populo, interdum loquitur in numero singulari per modum universalitatis, interdum in numero plurali per modum specialitatis. *Et contaminabitis*, ponetis illud ut immunditiam, ita enim dixit Ezechias de Sculptilibus, quae fecit Achazus pater ejus, ait enim Levitis *& educite immunditiam de Sanctitate*. 2. *Paral.* 29. *v.* 5. & paulo post *& eduxerunt omnem immunditiam, quam invenerunt in Templo Domini, extra Domum Domini, & susceperunt Levitae educere ad Torrentem Kidronis foras cit. loc. v.* 16. excrementum verò & immunditia sunt Sculptilia & Fusilia. *amictum*, juxta illud *Et cingula amictus ejus*, *Exod.* 39. *v.* 5. juxta Targum significat ornamentum. *disperges ea*, disperges ea in locum longinquum. *veluti languidam*, veluti mulierem menstruatam, quae moratur in loco segregato a marito suo in diebus immunditiae (menstrui) ipsius. *egredere*, *dices ei*, dices Sculptili, exi foras: alii interpretantur צא pro excremento, quod projicies foras, ut est in Masora „ Non alibi occurrit in Scriptura צא in significatione stercoris seu immunditiae „ (*a*).

V. 23. *Et dabit*: dabit tibi Deus pluviam pro indigentia seminis tui, quod seres; pariter dabit tibi panem proventus terrae, quia non ingredietur in illum uredo & rubigo, neque devorabit illum locusta. Praeterea panis terrae tuae erit adeo pinguis & uber, ut etiam pecus tuum vescatur ex illo. *pascuum latum*, quia universa erunt plena proventu, ideo pascet pecus in latitudine. כר est locus pascui. מקניך scriptum est cum Jod, quia fortasse est plurale, aut quia in istam litteram mutata est tertia radicalis Verbi.

V. 24. *Et boves*: אלפים boves, veluti *emissioni boum tuorum*, *Deut.* 7. *v.* 13. *aselli*, isti sunt lactentes asinarum. *colentes terram*, i. e. quibus colunt terram. *pabulum purum comedent*, propter abundantiam pabuli, quae erit eis, praebebunt pro cibo bobus & asinis pabulum mundum, quod mundabunt eis, & ventilabunt, ac purum reddent ut frumenta pro esca hominum. בליל (*b*) pabulum, sicuti *num rugiet bos*

(*a*) Vide Pagninum in derivatis ex radice יצא.

(*b*) בליל Bocharto est *farrago*, quia בלל in genere significat *miscere*, in specie *miscere diversas fruges*, aut *foenum & paleam cum frugibus in pecorum aut jumentorum pabulum*.

bos super pabulum suum? Job. 6. *v.* 5. חמיץ (a) mundum, purum, juxta significationem suam, cui simile habetur in Lingua Arabica: Jonatan בליל vertit *pabulum impinguans*. רחת ex רוח, quia per eam ventilant & mundant paleam ex frumento (i. e. frumentum ex palea).

V. 25. *Et erit:* eodem sensu, quo dixit, quòd dabit pluviam super faciem terrae, ait modò, tanta erit affluentia aquarum, ut usque ad montes & colles ascensurae sint aquae, idque eveniet in die occisionis magnae, quando cadent turres. *in die* pro *in tempore*, ut *in die, quo percussi omne primogenitum. Num.* 3. *v.* 13. & 8. *v.* 17. *die clamavi, in nocte coram te. Psal.* 88. *v.* 2. quotiescumque enim dicit *in die illa*, hoc intelligendum est de tempore futuro. *occisionis magnae*, nimirum quando percussit Deus Castra Assyriorum, postea enim benedixit habitatoribus Jerosolymae & Jehudae in omni bono. *quando cadent turres*, i. e. principes magni, ut vertit Jonatan, & ut ait *& excidit omnem potentem exercitus, ducem & principem in castris Regis Assyriae:* 2. *Par.* 32. *v.* 21.

V. 26. *Et erit lux Lunae:* plerique Interpretes exponunt versum hunc de tempore futuro, alii prout sonat, quod non est rectum, alii denique interpretantur allegoricè de magnitudine bonitatis, quae futura est in diebus Messiae, quod rectum est, licèt rectius sit intelligere etiam hic metaphoricè de diebus Ezechiae, in quibus erit eis bonitas magna post caedem exercitus Assyrii, & re quidem vera salus magna inde fuit: quemadmodum verò calamitas appellantur tenebrae & caligo, ut ait *sol & luna nigruerunt, & stellae retraxerunt splendorem suum. Joel* 2. *v.* 10. & alia similia huic, ita salus appellatur lux, ut quum dicit *Jehudaeis fuit lux & laetitia: Ester.* 8. *v.* 16. non quòd auxerit illis lucem solis & lucem lunae, sed salus dicitur lux, & ita *Non occidet ultra sol tuus, & luna tua non deficiet; Jes.* 60. *v.* 20. & similia huic. *septempliciter*, vult dicere luces magnas valde, veluti *septempliciter vindicabitur Kain. Genes.* 4. *v.* 24. i. e. ultionibus multis, non bis septies tantùm, siquidem numerus *septem* vel *septies* adhibetur ad significandam computationem magnam, veluti *septies cadet justus, & resurget: Prov.* 24. *v.* 16. *septies super peccatis vestris. Lev.* 26. *v.* 18. & similia his. *sicut lux septem dierum*, per similitudinem, quasi ut lux septem dierum septimanae futura sit lux diei unius per additionem unius ad alterum. *in die, quo ligabit Dominus contritionem populi sui*, si ista futurum respiciunt, hunc habent sensum, in die, quo congregabit migrationes, aut post bellum Gogi & Magogi, ac eodem modo intelligendus erit secundùm hanc interpretationem versus praecedens *in die occisionis magnae*, quia post hujusmodi bellum non erit amplius angustia in Mundo, perinde ac si universus

(a) De ista voce vide eumdem Bochartum *par.* 1. *Hieroz. lib.* 2. *cap.* 7. ubi scribit hic significari *ferraginem subacidam*, qua jumentorum fastidienti stomacho subvenitur.

versus orbis futurus sit lux, si verò respiciunt dies Ezechiae, post caedem exercitus Assyrii; & quidem secundùm significationem versuum praecedentium & subsequentium videtur hoc esse referendum ad dies Ezechiae, ut explicavimus, & ita sentit magnus Magister Moses Maimonides f. m. Illud verò *ut lux septem dierum* innuit septem dies dedicationis Salomonis.

V. 27. *Ecce nomen Domini*: nomen Domini, quod conviciis affecerunt legati Regis Assyriae, venit ulturum ex eo: ait *de longinquo*, quia rex Assyriae existimabat Deum quodammodo abesse, neque posse sibi nocere, idcirco ait, ecce venit e longinquo. *ardens furor ejus*, cujus furor ardet in regem Assyriae & exercitum ejus. וכבד משאה He non est suffixum generis foeminini, quia est raphatum: ait *gravitas oneris*, quasi dicat, grave erit eis ferre onus ponderosum, quod imponet Deus super ipsos. *labia ejus plena sunt ira, & lingua ejus &c.* replicat eamdem rem cum vocabulis diversis: *labia ejus* & *lingua ejus* sunt verba prophetiae, quam prophetavit Propheta contra illos. Jonatan ממרחק vertit *sicut prophetaverunt de eo Prophetae ab antiquo*.

V. 28. *Et spiritus ejus*: i. e. & sermo ejus, & ita vertit Jonatan *Et verbum ejus*; quemadmodum dixerat superius *labia ejus*, & *lingua ejus*, ita dicit hic *Et spiritus ejus*, vel spiritus ejus est Angelus ejus, nimirum Angelus, qui percussit Castra Assyria, erit eis ut torrens inundans, qui inundabit eos. *usque ad collum dimidiabit*, ut aquae fluminis, quae pertingant hominem usque ad collum, adeo ut non sit ei facultas egrediendi ex illis, sed mergitur in medio illarum, aut prope est, ut mergatur, ita parum abfuit, quin exercitus Assyriae conficeretur universus, non enim superfuerunt nisi perpauci juxta mensuram capitis respectu corporis totius. *ad ventilandum gentes in ventilabro vanitatis*, להנפה est Makor pro להניף, sensus est, spiritus ejus ingredietur ad ventilandas gentes, quae sunt in Castris Assyriis, eum ventilabro vanitatis. נפה est ventilabrum, quo ventilant frumentum, quod quidem non est res vana, quum inserviat ad depurandum triticum a paleis, verùm istud ventilabrum, quo ventilabit Deus gentes, erit ventilabrum vanitatis, quia non remanebit in illo quidquam utile, sed omnia abibunt in vanitatem & perditionem. Pariter erit spiritus ejus populis hisce ut fraenum errare faciens, siquidem fraenum, quod ponitur in ore equi, dirigit equum, ut eat per viam rectam in locum, quo vult eques, sed fraenum istud ponet Deus in maxillis populorum, ut faciat eos errare, non ut dirigat eos, facietque illos ire in perditionem.

V. 29. *Canticum*: eodem die, quo fiet caedes in castris Assyriae, erit vobis, o habitatores Jerosolymae, canticum & laetitia, ut nocte, qua sanctificatur solemnitas, i. e. nocte solemnitatis, qua laetantur, & dicunt canticum, ita erit vobis hoc in die caedis exercitus Assyrii, gaudebitis enim, & cantabitis, & laudabitis Deum, qui fecit vobis pro-

prodigium tantum. Hujusmodi verò canticum erit in ore, & laetitia erit in corde, idcirco ait *& laetitia cordis*. Dicit autem *ut eunti cum tibia*, quia eunti cum tibia verè est laetitia cordis: ait *eunti*, quia chorus est, quando eunt multi quisque manu temens socium suum in modum circuli, & in medio eorum est qui sonat tibia. *ad ingrediendum in Montem Domini*, ingredientur in Montem Domini, i. e. in Domum Sanctuarii, ut ibi canant, & laudent Deum petram Israelis, qui fuit petra & fortitudo ipsorum contra regem Assyriae. Magistri nostri f. m. dixerunt in nocte Paschatis accidisse percussionem exercitus Assyrii, quia dictum est, canticum erit vobis sicut in nocte sanctificationis solemnitatis, qua dicunt canticum & laudationem; haec autem est nox Paschatis.

V. 30. *Et audire faciet Dominus:* quando venit Angelus Domini, venit cum voce tonitrui, quae confudit eos, & exiit halitus ipsorum. *& descensionem*, Targumistae *descendit* dicunt נחת, hic verò נחת est nomen substantivum significans descensionem; vult dicere, quòd Deus descendere faciet brachium suum super illos, i. e. percussionem suam. *& flamma ignis vorantis*, dixerunt Magistri nostri crematam fuisse animam, corpus verò substitisse, ut explicavimus *cap.* 10. *v.* 16. *dispersione & inundatione*, quasi descensura sint super eos fulgura dispergentia & conterentia, & dispersio pluviae, & lapides grandinis, adeo celeriter conficientur.

V. 31. *Quia a voce Domini . . . cum virga percutiet:* Deus percutiet eum cum virga sua; vel sensus est, Assyrius, qui percutiebat cum virga, nunc infringetur & conteretur, vocavit enim eum *virgam*, ut ait *O Assur virga furoris mei*, *cap.* 10. *v.* 5. & ita vertit Jonatan *Quia a voce verbi Domini conteretur Assyrius, qui cum dominio percutiebat*.

V. 32. *Et erit omnis transitus virgae fundationis:* quacunque per exercitum transibit virga, quam sibi Deus fundavit, & quam modò requiescere faciet super Regem Assyriae, erit id cum tympanis & citharis; fiet enim bellum, quod pugnabit Deus contra eum, cum tympanis & citharis, non cum armis. Ait *cum tympanis, & cum citharis*, quia in interitu improborum fit exultatio, & quasi Angelus manu pulsaret in hora, qua percutiebat eos. *& in bellis elevationis*, repetitio ejusdem rei, quia pulsans elevat manum suam. מוסדה est nomen substantivum, & He est raphatum. *pugnabit in eam*, scriptum est בה, i. e. in exercitum, quia hic supponitur in genere foemineo, veluti *ad turmam unam*, *Genes.* 32. *v.* 8. *si castrametata fuerit contra me turma*, *Psal.* 27. *v.* 3. sed legitur בם, i. e. in viros exercitus.

V. 33. *Nam ordinatus ab heri:* מאתמול habet Sciurek pro Cholem: Tophteh idem est ac Gehenna: ait, ordinatus est is ab heri, scilicet ante mortem eorum, Propheta enim prophetavit, antequam veniret decretum de caede ipsorum, in morte verò ipsorum morietur etiam

etiam anima eorum, & erit in Gehenna: nomen Tophteh effertur hic masculinè & foemininè. *etiam ipse regi paratus est*, etiam regi Assyriae paratus est Tophteh, quamvis gloriaretur & efferretur in semetipso dicens *in robore manus meae feci, & in sapientia mea, quia intelligens fui*: *Jes.* 10. *v.* 13. Insuper ait *profundavit dilatavit*, scilicet Deus profundavit & dilatavit Tophteh exercitui magno huic, ut ingrediantur omnes illuc. *pyra ejus*, pyra τῦ Tophteh est magna ad cremandas animas improborum istorum, sunt enim illic ignis, & ligna multa, & halitus Domini, qui est ut torrens sulphuris eis; quae omnia illic sunt veluti pyra ardens, quae numquam extinguetur, quin ardeat: halitus verò Domini est vapor exiens ab ore, qui vocatur flatus, & ita dixit *Halitus ejus prunas ardere faciet*, *Job.* 41. *v.* 12. quae omnia sunt metaphoricè dicta de decreto, quod adduxit Deus super eos durum & malum; atque ita de perditione animarum improborum ait, pyra ignis, & ligna multa, profundavit, & dilatavit: omnia metaphoricè.

JESAIAE CAP. XXXI.

1. VAe descendentibus *in* Aegyptum pro auxilio, & super equis innituntur: & speraverunt in curru, quia multus, & in equitibus, quia fortes *numerosi* sunt valde, & non respexerunt ad Sanctum Israelis, & Dominum non quaesierunt. 2. Et etiam ipse sapiens, & adduxit malum, & verba sua non removit: & insurget contra domum malignantium, & contra auxilium operantium iniquitatem. 3. Et Aegyptii homines & non Deus, & equi eorum caro & non spiritus: & Dominus inclinabit manum suam, & corruet adjuvans, & cadet adjutus; & simul omnes illi deficient. 4. Etenim sic dixit Dominus ad me, quemadmodum rugit leo & leunculus super praedam

(a) *Gehenna*, i. e. vallis τῦ Hinnon, aut filii τῦ Hinnon, fuit vallis amoena, & Kidronis aquis rigua, cujus dominus olim erat Hinnon, aut hujus filius In ea erat locus nomine Tophteh, ubi filios & filias offerebant Idolo Moloc. Ad hanc idololatriam abolendam pius rex Josias istum locum contaminavit, praecipiendo ut in eum equorum & mulorum &c. cadavera & fordes projicerentur. Vide 2. *Reg.* 23.

dam suam, contra quem convocatur plenitudo *multitudo*
pastorum, *&* a voce eorum non terretur, & a tumultu
eorum non humiliatur: sic descendet Dominus exerci-
tuum ad praeliandum super montem Tzionis & super
collem ejus. 5. Sicut aves volantes, sic proteget Domi-
nus exercituum Jerosolymam: protegendo & liberando,
transiliendo & servando. 6. Convertimini, quemadmodum
profundaverunt recessionem filii Israelis. 7. Nam in die
illa aversabuntur unusquisque idola argenti sui & idola
auri sui, quae fecerunt vobis manus vestrae, peccatum.
8. Et cadet Assur in gladio non viri, & gladius non ho-
minis vorabit eum: & fugiet sibi a facie gladii, & juve-
nes *electi* ejus in liquefactionem erunt. 9. Et *ad* petram
suam prae timore transibit, & conterentur *terrebuntur* a
vexillo principes ejus: dixit Dominus, cui focus in Tzio-
ne, & fornax in Jerosolyma.

COMMENTARIUS.

V. 1. V*Ae . . . super equis innituntur:* i. e. equis Aegypti. *& non respexerunt ad Sanctum Israelis*, i. e. & non speraverunt, & ita *aspiciet homo ad Factorem suum: Jes.* 17. *v.* 7.

V. 2. *Et etiam ipse sapiens:* & etiam Deus est sapiens, & cognoscit versutias eorum, qui non quaesiverunt Dominum, & descenderunt in Aegyptum pro auxilio, propterea quòd mens & cogitatio eorum sit, Dominum neque bene neque male facere; idcirco propter cogitationem eorum adduxit super eos malum, ut ostendat se bene ac male facere, neque proderit ipsis auxilium Aegypti, ut a[illegible]itrabantur. *& verba sua non removit*, nimirum id quod prophetaverunt Prophetae in nomine ipsius, non fecit irrita hujusmodi verba, sed firma reddit, ut scirent Deum respicere in res humanas, & loqui cum Prophetis, eosque mittere ad coarguendos homines, qui, quum viderint venire super se malum, quod loquuti sunt ad ipsos Prophetae, scient eum respicere in ipsos. *& insurget contra domum maligantium*, isti sunt Israelitae: *& contra auxilium operantium iniquitatem*, isti sunt Aegyptii.

V. 3. *Et Aegyptii homines, & non Deus:* non est in eorum potestate opem ferre, nisi velit Deus, quia in manu ejus est bonum aut malum, quod obveniat homini, qui quidem dicit, sed non facit, lo-

quitur, ſed non ratificat ſermonem ſuum. *& equi eorum*, in quibus pariter confidebant Iſraelitae, *caro, & non ſpiritus*, i. e. & non Angelus, mendax enim eſt equus ad ſalutem; quomodo igitur ferent illis opem Aegyptii, quandoquidem non auxiliantur ſibimetipſis? Dominus enim elevabit manum ſuam ſuper eos, & corruet adjuvans, i. e. Aegyptus, & cadet adjutus, i. e. Iſrael. *manum ſuam*, hic eſt rex Aſſyriae virga furoris ſui, & baculus indignationis ſuae: ait *& ſimul &c.* quia poſtea devictus fuit etiam Rex Aſſyriae unà cum ea multitudine captivorum & praeda, cum qua venit Jeroſolymam, quando obſedit eam, & de hoc dictum fuit *labor Aegypti, & merx Aethiopiae, Jeſ.* 45. *v.* 24. Jonatan *& non Deus* vertit *& non princeps*, ſeu *magnus*.

V 4. *Etenim ſic dixit Dominus*: ecce Aſſyrii & Aegyptii exterminabuntur, eoquod non cognoverunt me, & vos ſcietis Deum malefacere quibus velit, itemque benefacere quibus velit, i. e. habitatoribus Jeroſolymae; rex enim Aſſyriae, qui vaſtavit Iſraelem, Jehudam, & Aegyptum, veniet vaſtaturus etiam Jeroſolymam, verùm non erit poteſtas in manu ejus, quia non ſinet Deus. *Etenim ſic dixit Dominus ad me*, ait Propheta, ita ſibi dixiſſe Deum, ſe venturum ſuper exercitum illum, ut leo ſuper rapinam ſuam. יהגה pro ישאג. אשר יקרא עליו juxta Targum *contra quem conveniunt. plenitudo paſtorum*, i. e. congregatio paſtorum, veluti *clamaverunt poſt te plenitudo, Jer.* 12. *v.* 6. & ſimilia huic in ſignificatione congregationis & collectionis, ſiquidem ad rugitum leonis accurrunt paſtores hinc & inde, ut eripiant praedam de manu ejus, ſi modò poſſint, verùm leo a voce paſtorum non terretur, neque relinquit propter illos praedam ſuam. *& a tumultu eorum* לא יענה, i. e. non humiliatur, veluti *humiliari coram me? Exod.* 10. *v.* 3. & ſimilia huic: ſic deſcendet Dominus exercituum ſuper exercitum venturum ad bellandum ſuper montem Tzionis & ſuper collem ejus (Tzion verò eſt generis foeminei, veluti *Tzioni non eſt qui requirat ipſam. Jer.* 30. *v.* 17.) vel לצבא ſignificat, quòd Deus deſcendet ſuper eam ad ordinandam militiam e regione militiae exercitus Aſſyrii.

V. 5. *Sicut aves volantes*: צפרים generis foeminini, veluti *Omnem avem mundam Deut.* 14. *v.* 11. Scribit dominus Pater meus f. m. „ Comparat Propheta Angelum Domini, qui percuſſit exercitum Aſ„ ſyrium, leoni in fortitudine ſua, & avibus volantibus in velocitate „ ſua „ הציל eſt Makor cum Chirek ſub He, itemque והמשיל, quemadmodum eſt & in illo *ut quieſcere faciat terram, Jer.* 50. *v.* 34. cui ſimilia ſcripſimus in libro Miclol.

V. 6. *Convertimini*: ait, quemadmodum profundaverunt, ut facerent perverſum, ſic convertimini; iſti verò ſunt Iſraelitae, qui male egerunt. Convertimini a viis veſtris malis, convertimini, antequam adve-

adveniat dies, quo convertemini quolibet modo, quum videritis opus magnum, quod faciet Deus in Castris Assyriis, major enim erit vobis merces, si convertamini ante hoc, & credatis in verbis Prophetae.

V. 7. *Nam in die illa*: qua percutiet Deus exercitum Assyrium, & ostendet, quòd non in gladio viri cadet, tum scient manum Domini fecisse id, & abjicient unusquisque idola argenti sui, & cognoscent ea esse vanitatem, & Dominum esse Deum, & nullum alium praeterea: item idola, quae illis fecerunt ipsorum manus, cognoscent esse peccatum, & errorem magnum, qui ascendit in mentes ipsorum, quia illa non proderunt, neque liberabunt, eo quòd sint vanitas, neque salvaverunt eos, qui tenuerunt ipsa, captae enim fuerunt omnes Civitates Jehudae, ac servata fuit solùm Jerosolyma, quia innitebatur Domino, quem orabat, ut eriperet se de manu regis Assyriae.

V. 8. *Et cadet*: quia Angelus non est vir neque homo. *& fugiet sibi a facie gladii*, i. e. & fugiet sibi rex Assyriae velut a facie gladii, quasi evaginantes gladium insequerentur eum, nimirum quando videbit caedem magnam in castris suis, fugiet sibi. *& juvenes ejus*, pauci illi, qui supererint. *in liquefactionem erunt*, liquefiet cor eorum propter timorem.

V. 9. *Et petram suam*: & ad petram suam, & turrim suam munitam transibit, quia non confidet in se, donec sit illic, prae nimia formidine. Sunt qui explicant, etiam petram suam transibit prae magnitudine pavoris, longiusque fugiet, verùm prior interpretatio rectior est: Jonatan vertit *& principes ejus propter timorem transibunt. & conterentur a vexillo principes ejus*, i. e. ut a vexillo, timent enim homines, & penè conteruntur, quando vident vexillum exercituum, ita conterentur principes ejus, qui supererunt a caede, quam videbunt. *cui focus*, hic focus & haec fornax sunt ei in Jerosolyma ad comburendos eos: alii explicant *cui focus in Tzione, & fornax in Jerosolyma* de Altare, quod est in domo Sanctuarii, quasi dicat, ad gloriam Altaris, & Sanctuarii ejus erit hoc: Jonatan vertit *cujus splendor est in Tzione facientibus legem, & caminus ignis ardens in Jerosolyma transgredientibus verbum ejus.*

JESAIAE CAP. XXXII.

1. Ecce ad justitiam regnabit rex: & principes ad judicium principatum tenebunt. 2. Et erit Vir *ille* sicut latibulum venti *a vento*, & *sicut* absconsio inundationis *ab inundatione*: sicut rivi aquarum in loco arido,

ut umbra petrae gravis in terra lassa. 3. Et non oblinientur oculi videntium: & aures audientium attendent. 4. Et cor fatuorum intelliget scientiam: & lingua balborum festinabit loqui nitida. 5. Non vocabitur ampliùs sordidus liberalis: & avarus non dicetur splendidus. 6. Nam sordidus foeditatem loquitur, & cor ejus facit iniquitatem: ad faciendam impietatem, & ad loquendum contra Dominum errorem, ad evacuandam animam esurientis, & potum sitientis deficere facit. 7. Et avari vasa mala *sunt*: ipse scelera consulit *cogitat* ad perdendum pauperes in sermonibus mendacii, & in alloquendo egenum *in* judicio. 8. Liberalis verò liberalia consulit *cogitat*: & ipse propter liberalia consurget. 9. Mulieres tranquillae surgite, audite vocem meam: filiae confidentes auribus percipite eloquium meum. 10. Dies cum anno commovebimini confidentes: quia defecit vindemia, collectio non veniet. 11. Timete tranquillae, contremiscite confidentes: exuite nudate, accingite vos super lumbos. 12. Super ubera plangentes: super agros desiderii, super vitem fructiferam. 13. Super terram populi mei, *quae* spinam *&* veprem producet: nam super omnes domos gaudii, *& super* civitatem laetabundam *erit luctus*. 14. Quia palatium desertum est, multitudo urbis relicta est: arx & munitio *turris* fuit in speluncas usque in saeculum, gaudium onagrorum, pascuum gregum. 15. Donec effundatur super nos spiritus de excelso: & erit desertum in Carmelum, & Carmelus in silvam reputabitur. 16. Et habitabit in deserto judicium: & justitia in Carmelo deget. 17. Et erit opus justitiae pax: & operatio justitiae requies & fiducia usque in saeculum. 18. Et habitabit populus meus in habitaculo pacis: & in tabernaculis fiduciarum, & in requiebus tranquillis. 19. Et grandinabit grando *in* silva: & in humilitate humilis dicetur civitas. 20. Beati vos, qui seritis super omnem aquam: qui mittitis pedem bovis & asini.

COM-

COMMENTARIUS.

V. 1. *Ecce ad justitiam*: hic est rex Ezechias, qui regnabit ad faciendum justitiam & judicium, ideo erit salus haec in diebus ejus; pariter principes principatum tenebunt ad faciendum judicium & justitiam. Lamed in לשרים est ad ostendendum esse nomen proprium, vel potius redundat (*a*), veluti *occiderunt Abner* 2. *Sam*. 3. *v*. 30. *Tertius Absalom*, 1. *Par*. 3. *v*. 2. *cubitorum quinque*, 2. *Par*. 3. *v* 11. & similia his, quae scripsimus in Libro Miclol.

V. 2. *Et erit vir*: iste vir, nempe Ezechias, erit filiis generationis suae refugium. *sicut latibulum venti*, ut locus, ubi latet homo a facie venti, aut ubi absconditur ab inundatione pluviae, sic abscondentur filii generationis suae in ipso, nimirum in justitia ejus, ut eripiantur a calamitate regis Assyriae. *sicut rivi aquarum in loco arido*, erit eis ut rivi aquarum, quos inveniat homo in loco ariditatis, vel *ut umbra petrae gravis in terra lassa*, i. e. in terra sitibunda, veluti *in terra siccitatis & lassa absque aquis*. *Psal*. 63. *v*. 2. Hic verò intelligitur desertum planum, in quo quum non sint aquae neque umbra, anguistiantur qui per ipsum obambulant, eoquod percutiat eos tota die aestus & sol, si verò inveniant aquam, vel petram magnam, cujus requiescant ad umbram a facie solis, ibi refocillantur eorum animae; ita fuit Ezechias, quando Israelitae erant in angore propter captivitatem & direptionem, quae facta fuit in diebus patris ejus. *gravis*, i. e. magnae, veluti *populum tuum gravem istum*. 1. *Reg*. 3. *v*. 9.

V. 3. *Et non oblinientur*: eodem sensu, quo ait *& oculos eorum obline*, *cap*. 6. *v*. 10. radices duae sunt, significatio verò una: ait, quòd eo tempore non erunt amplius caeci neque surdi ad verba Domini, sed videbunt & audient ac recipient verba Domini, ut ait superius *Et audient in die illa surdi verba epistolae &c. cap*. 29. *v*. 18. etenim usque ad tempus illud fuerunt caeci & surdi, quemadmodum ait *& clausit oculos vestros*: *d. cap*. 29. *v*. 10.

V. 4. *Et cor fatuorum*: qui fuerunt usque modò fatui, nunc intelligent scientiam sermonis Domini. נמהרים fatui, veluti *& consilium pravorum infatuatum est*, *Job*. 5. *v*. 13. *Dicite fatuis corde*, *Jes*. 35. *v*. 4. loquitur de iis, qui faciebant se fatuos & balbos ad intelligendum sermonem Domini, quemadmodum ait *Quia cum blaesitatibus labii*, *& in lingua altera loquetur ad populum istum*. *cap*. 28. *v*. 11. Post salutem verò magnam hanc iterum videbunt, & audient, & intelligent, & loquentur nitida.

V. 5.

(*a*) Apud Arabus littera Lam saepissimè redundat in principio vocis, vide Coranum *Sur. II. vers*. 44. ideo dubitandum non est idem usuvenire etiam apud Hebraeos.

V. 5. *Non vocabitur amplius*: dicendo *amplius* non intelligit omnes dies saeculi, sed tantùm dies omnes Ezechiae, quo sensu dicitur *& laboris sui non recordetur amplius. Prov. 31. v. 7.* scilicet omnibus diebus, quibus est vinum in ipso: dicit id, propterea quòd ab initio adulabantur impiis, quorum pulchra praedicabant opera in conspectu ipsorum, sordidum enim vocabant liberalem, avarum verò splendidum. Ait igitur, quòd omnibus diebus ejus non timebunt amplius ab improbis, neque adulabuntur amplius illis, verùm de unoquoque dicent id, quod est in eo. נדיב dicitur vir praeditus animo bono, quique dat id, quod largitur, cum oculo bono. נבל (a) e contra dicitur homo sordidus ac vilis, qui non dat quidquam nisi invitus, & cum oculo malo. וכילי (b) hic dat cum mensura, non plus quidquam, nam oculus ejus angustus, verùm non est tam sordidus ut נבל. שוע (c) verò est splendidus in opibus suis, valde gaudens largitionibus; hic autem in praestantia major est, quam נדיב.

V. 6. *Nam*: opus est distinguere inter sordidum & liberalem, quum actiones & modi eorum omnino discrepent inter se, sordidus enim loquitur in ore suo foeditatem, & cogitat in corde suo facere iniquitatem, siquidem cor non agit, sed tantùm cogitat, verùm ait *faciet*, quia jugiter meditatur, donec perveniat ad actum, dicit enim *ad faciendam impietatem, & ad loquendum contra Dominum errorem*: scilicet ait, Dominum non respicere in homines, idcirco diripit, quando potest, quia credit non esse judicium, neque Dominum respicere terram, quapropter non pavet nisi ab hominibus. *ad evacuandam animam esurientis*, quia pauperibus, qui famelici sunt ac sitibundi, ut plurimum non sunt auxiliatores, ideo sordidus evacuat eorum animam, quasi dicat, diripit ab eis ipsorum cibum, idcirco perinde est, ac si evacuet, ac exire faciat eorum animam; itemque facit deficere illorum potum.

V. 7. *Et avari*: כלי habet Tzere sub Caph, & est idem ac כילי cum Chirek sub Caph, cujus supra meminit, quum loqueretur de sordido seu flagitioso, qui facit opus foeditatis seu flagitii. Nunc loquitur de avaro, cujus cogitatio prava quidem est, verùm non ita, ut sordidi, sordidus enim facit opus malum, avarus verò non est adeo malus, ut faciat opus, sed tantùm cogitat, & loquitur malum contra debiles ac pauperes, & in sermonibus falsis, quos loquitur, meditatur perdere pauperes; pariter in judicio egeni cogitat, quomodo ille

(a) Nomen istud נבל significat hominem ratione, cerebro, & ingenii vigore prorsus destitutum, in quo ne mica quidem sit bonae mentis; hic habet majorem vim, quam *avarus*.

(b) Avarus dicitur כילי, eo quod, ut placet Aben Ezrae, semper cogitet כי לי *mea sunt*, vel כל לי *omnia mea sint, neque sint alterius*.

(c) Scribit R. Salomon liberalem & splendidum sic appellari, eo quòd omnes שועין respiciant ac vultum convertant in ipsum.

ille damnetur in judicio ac mulctetur, idque est, quod ait *& in alloquendo egenum judicio*, quasi dicat, & in sermonibus suis contra egenum in judicio meditatur in animo perdere illum. *vasa ejus mala*, scilicet mensurae, sicut enim angustus est oculus ejus, mens verò deficiens & prava, sic vasa ejus mala sunt ac deficientia, & quando vendit, vendit cum mensura deficienti. *scelera*, i. e. verba seu negotia flagitii, veluti *quia fecerunt scelus, Jud.* 20. *v.* 6.

V. 8. *Splendidus verò*: hic complectitur in generalitate sua etiam liberalem, & opponitur avaro, quia hic facinora consulit, liberalis verò liberalia consulit. *& ipse propter liberalia consurget*, propter liberalitates assurgit, & ascendit ad dignitatem magnam.

V. 9. *Mulieres*: juxta Targum *Provinciae*, & ita *filiae* redditur *urbes*: alloquitur Civitates Jehudae, quae arbitrabantur se futuras tranquillas & tutas, quibus dicit, quamvis modò confidatis, adhuc tamen contremiscetis.

V. 10. *Dies cum anno*: על hic est pro עם, veluti *Et venerunt viri cum mulieribus*, *Exod.* 35. *v.* 22. vult dicere annum cum anno, quasi dicat non annum unum tantùm, sed annum post annum turbabimini, hostis enim corrumpet messem & vindemiam, postea deportabit eos, & civitates erunt desertae. *collectio*, i. e. collectio frugum. Hanc verò prophetiam possumus etiam explicare ut futuram, nimirum de vastatione terrae Israelis totius, & de vastatione domus Sanctuarii in diebus Tzidkiae, vel de vastatione Domus secundae, & ita Jonatan *Quia palatium desertum est v.* 14. reddit *Quia domus Sanctuarii vastata fuit*, & sic consolatio illa *Donec effundatur super nos spiritus de excelso v.* 15. ac tota parascia habebit exitum in diebus Messiae: vel prophetia haec respicit vastationem urbium Israelitarum, & ipsarum migrationem in diebus Hoseae filii Elae, quo sensu illud *Palatium desertum est* intelligendum erit de Somerone, quae erat palatium regis Israelis, ac etiam de civitatibus Jehudae, quas cepit rex Assyriae; & erit consolatio illa *Donec effundatur super nos &c.* in diebus Ezechiae post caedem exercitus Assyrii.

V. 11. *Timete tranquillae*: dicit חרדו, quod est Imperativum generis masculei, quia alloquitur populum, qui erat in medio civitatum: רגזנה Imperativum foemineum. Hoc esse solet cum Nun & He, interdum verò cum solo Nun, sicuti *vocate eum*. *Exod.* 2. *v.* 20. & interdum cum solo He, veluti רגזה, pariter פשטה וערה וחגורה. Alii dicunt, quatuor hasce voces esse Makor; vox ערוה explicatur ex illo *nuda & discooperta*. *Ezech.* 16. *v.* 7. *accingite vos*, i. e. sacco.

V. 12. *Super ubera plangentes*: super ubera, quae sunt arida propter famem; item plangent super agros desiderabiles, & super vitem fructiferam, quasi dicat, super panem & vinum, eoquod agri illi, qui ab initio erant fertiles, ideoque desiderabiles, modò sunt inculti, & ita vitis, quae fructifera fuerat ab initio, nunc sterilis est.

V. 13. *Super terram populi mei*: pariter plangent super terram populi mei, quae producet & germinare faciet spinas ac vepres. Quia verò superiùs non explicaverat, quid sibi vellet illud *super agros desiderii*, nunc declarat dicens *spinam veprem producet*. *spinam veprem* deest Vau servile pro *spinam & veprem*, & ita *sol luna Chab. 3. v. 11. Reuben, Simeon, Exod. 1. v. 2. regem principes, Jer. 49. v. 38.* & similia his, *nam* (a) *super omnes domos gaudii*, quia planctus erit etiam super illas, quae fuerant domus gaudii ab initio, itemque super civitatem, quae laetabunda fuerat ab initio.

V. 14. *Quia palatium*: declaravimus supra *vers. 10. arx & munitio*, turres excelsae & fortes erunt in speluncas, quia in illis habitabunt bestiae campi. בעד stat pro Lamed servile, habet enim haec dictio significationem litterarum servilium, & ita usurpatur pro Mem *e fenestra, Genes. 26. v. 8. gaudium onagrorum*, quia laetabuntur in illis onagri, ut in deserto, veluti *Onager doctus desertum, Jer. 2. v. 24. pascum gregum*, i. e. gregum e bestiis campi.

V. 15. *Donec effundatur*: donec effundatur super nos spiritus, i. e voluntas ab excelso; quasi dicat, erit haec vastatio, donec voluerit Deus, & effuderit voluntatem suam super nos, tunc enim erit desertum in Carmelum. *spiritus*, i. e. voluntas, beneplacitum, veluti *quo erit illuc spiritus ambulandi, Ezech. 1. v. 12. & erit desertum in Carmelum*, id, quod est desertum, erit Carmelus, qui est locus seminis, & agrorum proventus, & arborum cibi. *& Carmelus in silvam reputabitur*, prae multitudine arborum, quasi dicat, ascendent Israelitae gradatim: scribitur וכרמל, sed legitur והכרמל, significatio verò eadem est.

V. 16. *Et babitabit*: juxta Targum *Et morabuntur in deserto facientes judicium, & facientes justitiam in Carmelo habitabunt*.

V. 17. *Et erit opus*: propter opus justitiae, quod facient, erit illis pax & tranquillitas, & propter operationem justitiae erit eis spes & confidentia in saeculum: versus hic duplicatus est in significatione cum vocabulis diversis, עבודת enim significat opus, quum apud Targumistas מעשה reddatur עבודא, veluti *operantes lina pexa: Jes. 19. v. 9.* sed tamen Jonatan vertit עבודה in proprio sensu *& colentes justitiam*.

V. 18. *Et babitabit*: versus hic pariter duplicatus est in significatione cum vocabulis diversis, & planus est.

V. 19. *Et grandinabit*: medietas hujus vocis ברד habet Kametz, & medietas Patach, ideoque est Verbum praeteriti temporis, si enim esset nomen substantivum, esset totum kametzatum: ait igitur, quando grandinabit, cadet grando in silva, ne noceat germinibus & arboribus cibi. ברדת nomen substantivum ut ברד. *& in humilitate humilis*

(a) Pro *nam* habita ratione sensus non male reddes *etiam*, & postea pro *& super* substitues *in*, videlicet *etiam super omnes domos gaudii in civitate laetabunda*.

lis dicetur civitas, non memorabitur ulla humilitas ac depreſſio in urbe Jeroſolymae, niſi quando memorabunt partem imam civitatis, h. e. vallem, nequaquam verò memorabitur humiliatio dignitatis, etenim non humiliabitur dignitas Iſraelis. Alii explicant, quòd habitabuntur pagi, quia aedificabunt domos in planiciebus, eoquod opus non erit eis aedificare in montibus, & conſtruere turres validas.

V. 20. *Beati vos, qui ſeritis ſuper omnem aquam:* i. e. ſuper omnem locum aquoſum, quocumque enim in loco ſeminabitis, invenietis aquam. *qui mittitis pedem bovis & aſini*, tanta erit abundantia, ut miſſuri ſint boves & aſinos, qui paſcantur in agris.

JESAIAE CAP. XXXIII.

1\. VAe vaſtanti, & tu non vaſtatus, & praevaricanti, & non praevaricati ſunt in te: quum conſumaveris vaſtans, vaſtaberis, quum abſolveris praevaricari, praevaricabuntur in te. 2. Domine miſerere noſtri, te expectavimus: eſto brachium eorum in matutinis, etiam ſalus noſtra in tempore anguſtiae. 3. A voce fremitus diffugerunt populi: ab exaltatione tua diſperſae ſunt gentes. 4. Et colligetur ſpolium veſtrum collectione bruchi: juxta diſcurſionem locuſtarum diſcurrens per illud. 5. Exaltatus Dominus, quoniam habitat *in* excelſo: implevit Tzionem judicio & juſtitia. 6. Et erit firmitas temporis tui fortitudo ſalutum ſapientia & ſcientia: timor Domini *crit* theſaurus ejus. 7. En Erelam clamaverunt foris: nuncii pacis amarè flebunt. 8. Vaſtatae ſunt viae, ceſſavit tranſiens ſemitam: irritavit foedus, reprobavit civitates, non reputavit hominem. 9. Luxit infirmata eſt terra, puduit Libanus exaruit *excisus eſt*: fuit Saron ut locus deſertus, & excutiens Baſanus & Carmelus. 10. Nunc exſurgam, dicit Dominus: nunc exaltabor, nunc elevabor. 11. Concipietis glumam, parietis paleam: ſpiritus veſter *erit* ignis, *qui* devorabit vos. 12. Et erunt populi combuſtiones calcis: ſpinae exciſae, in igne comburentur.

tur. 13. Audite longinqui, quae feci: & cognoscite propinqui fortitudinem meam. 14. Formidaverunt in Tzione peccatores, tenuit tremor impios *hypocritas*: quis commorabitur nobis *pro nobis ante* ignem vorantem? quis commorabitur nobis *pro nobis ante* incendia saeculi? 15. Ambulans *in* justitiis, & loquens rectitudines: rejiciens quaestum oppressionum, excutiens manus suas ab apprehendendo munere, obturans aurem suam ab audiendo sanguines, & claudens oculos suos a videndo in malum. 16. Ipse altitudines habitabit, propugnacula petrarum munitio ejus: panis ejus datus, aquae ejus fideles 17. Regem in pulchritudine sua videbunt oculi tui: videbunt terram longinquitatum. 18. Cor tuum meditabitur timorem: ubi scriba? ubi ponderator? ubi recensens turres? 19. Populum robore praeditum non videbis: populum profunditatum labii ab intelligendo, blaesum lingua, absque intelligentia. 20. Respice Tzionem civitatem solemnitatis nostrae: oculi tui videbunt Jerosolymam habitationem tranquillam, tabernaculum, *quod* non dissipabitur, nec proficiscentur clavi ejus in aeternum, & omnes funes ejus non rumpentur. 21. Quia verè ibi magnificus *fortis* Dominus nobis, locus fluviorum *&* rivorum latorum spatiis: non ibit per eum navis remigii, & navis magna non transibit eum. 22. Nam Dominus judex noster, Dominus legifer noster: Dominus rex noster, ipse servabit nos. 23. Laxati sunt funes tui: non roborabunt rectè malum suum, non expanderunt velum; tunc divisa est praeda *&* spolium multum, claudi diripuerunt praedam. 24. Et non dicet habitator, aegrotus sum: populus habitans in ea remissus iniquitate *populo habitanti in ea remittentur iniquitates*.

COM-

COMMENTARIUS.

V. 1. V*Ae vaſtanti:* ſi conſolatio haec, ut ſcripſimus, reſpicit dies Ezechiae, dicit *vae vaſtanti* de Sancheribo; ſi verò futura eſt in diebus Meſſiae, dicit *vae vaſtanti* de gentium rege, qui erit in diebus illis, & hoc eſt regnum quartum in viſione Danielis. Ait igitur, vae tibi vaſtanti, qui non fuiſti uſque modò vaſtatus, quique praevaricatus es, & uſque modò praevaricati non ſunt in te. *quum conſumaveris vaſtans, vaſtaberis*, quum deſieris eſſe vaſtator, eodem modo vaſtaberis tu, vaſtabunt enim te; nimirum veniet tempus, quo frangetur ac deſinet regnum tuum. כנלותך proprietas ejus כהנלותך, quia eſt Makor conjugationis Hiphil, & ita *nec extendetur in terra* מנלם (i. e. perfectio & abſolutio eorum) *Job.* 15. *v.* 29. כהתימך (*a*) proprietas ejus cum Dagheſc in Mem, quia radix ejus eſt תמם, verùm eſt leve, cujuſmodi reperiuntur plura ex Verbis duplicationis. תושר cum Vau ſimulque cum Dagheſc.

V. 2. *Domine miſerere noſtri:* ſi loquitur hìc de diebus Ezechiae, adeo timuerunt habitatores Jeroſolymae a rege Aſſyriae, ut coacti fuerint orare, & quaerere miſericordias, ut hìc ſcriptum eſt, dicentes *Domine miſere noſtri, te expectavimus;* ſi verò loquitur de diebus Meſſiae, timebunt a Gogo & Magogo, ac neceſſitate adigentur fundere preces, & quaerere miſerationes. *eſto brachium eorum in matutinis*, quolibet die ſis tu brachium noſtrum a conſpectu inimici. *etiam ſalus noſtra*, multò magis in tempore anguſtiae, quo opus eſt, ut ſis ſalus noſtra, & ſalvi ſimus per te. Quòd autem dicat *brachium eorum* cum ſuffixo tertiae perſonae, ſimulque *miſerere noſtri, expectavimus, ſalus noſtra*, cum ſuffixo primae perſonae, talis eſt mos Linguae, veluti *audite populi omnes illi*. 1. *Reg.* 22. *v.* 28. *Et verè omnes illi convertimini, & venite modò* 1 *Job.* 17. *v.* 10. & ſimilia his, ut ſcripſimus in Libro Miclol.

V. 3. *A voce fremitus diffugerunt*: ſi loquitur de exercitu Aſſyrio, ſenſus eſt, a voce fremitus Angeli percutientis exercitum Aſſyrium; ſi verò de Gogo & Magogo, alludit ad illud, quod ſcriptum eſt *& egredietur Dominus, & pugnabit contra gentes illas: Zach.* 14. *v.* 3. *diffugerunt populi .... diſperſae ſunt gentes*, quae ſuperfuerunt ex caede. *ab exaltatione tua*, ab exaltatione, quae tibi eſt; cognoſcent enim te exaltatum & elevatum eſſe ſuper ſe, neque prodeſſe ſibi fortitudinem ipſorum, & exercitum magnum,

V. 4. *Et colligetur ſpolium veſtrum*: videlicet ſpolium gentium, quod erit ſpolium veſtrum, quia colligetis & diripietis illud. *colle-*

(*a*) In multis exemplaribus vox iſta כהתימך invenitur ſine Jod, ut & Kimchius noſter innuere videtur.

ctione bruchi, i. e. ut collectione bruchi & locustae, quas colligunt, postquam quieverunt super terram, egrediuntur enim homines civitatis, & colligunt eas in vasis suis, ne corrumpant segetes, ita egredientur homines Jerosolymae, & colligent spolium exercitus Assyrii. Assimilat adventum Angeli in castra Assyria adventui locustarum in segetem, quam corrumpunt: ait praeterea *juxta discursionem locustarum discurrens per illud* (*a*), ubi משק & שׁקק significant discursitationem, veluti *& filius discursitationis domus meae*, *Genes.* 15. *v.* 2. גבים locustae, nam in Targum locusta dicitur גובא: Jonatan ita reddit hunc versum *Et colligent domus Israelis substantias populorum inimicorum suorum, sicut colligunt bruchum: & armabuntur armis bellicis, sicut armantur lorica*. Si verò significatus respicit dies Messiae, ecce scriptum est hoc eodem sensu *Et egredientur habitatores Civitatum Israelis, & comburent & incendent arma &c.... & spoliabunt spoliantes se, & praedabuntur praedantes se*, *Ezech* 39. *v.* 9. *&* 10. Magistri verò nostri interpretati sunt hoc de diebus Ezechiae, & dixerunt „ Ait Propheta Israelitis, colligite spolia vestra, responderunt ei, praedantium more, an verò partiri debemus aequis partibus? respondit eis, collectione bruchorum: qualis est collectio brucorum? talis, unusquisque pro se, etiam spolium colligite quisque pro se. Dixerunt ei, nonne opes decem Tribuum mixtae sunt in hoc? respondit eis כמשק גבים שוקק בו: scilic. quemadmodum foveae (*b*) reddunt hominem de immundo purum; ita etiam opes & substantiae Israelitarum, postquam ceciderunt in manum gentium, statim evaserunt mundae.

V. 5. *Exaltatus Dominus*: in hujusmodi salvatione exaltatus erit Dominus, quia exaltabunt eum populi ob prodigium hoc, & confitebuntur, quòd ipse habitat altitudinem, ac in potestate ejus est deprimere elatos, & elevare depressos, quandoquidem depressit exercitum Assyrium, qui venit contra Jerosolymam in manu elata, & exaltavit habitatores Tzionis, qui erant depressi, implevitque Tzionem judicio & justitia. נשגב est Benonì conjugationis Niphal, habet enim Kametz. Illud *implevit Tzionem* significat, quòd a die illo & deinceps erunt in Tzione qui faciant judicium & justitiam, & ita vertit Jonatan *qui dixit se impleturum Tzionem facientibus judicium veritatis & justitia*. Possumus etiam sic intelligere, implevit Tzionem spoliis populorum in judicio & justitia.

V. 6. *Et erit firmitas temporis tui*: ait coram Israele, stabilitas temporis tui, & robur salutis tuae erit sapientia, & scientia, & timor Domini, qui est thesaurus hominis; quasi dicat, ecce venit vobis salus haec, & vos in pace manebitis, si volueritis, erit enim stabilis vo-

(*a*) Videl. locustarum more quisque discurrens per spolium; etenim participium שׁוקק referri debet ad Jehudaeos, non ad Angelum, vel ad locustarum discursum.

(*b*) גבים sunt *locustae* & *foveae*.

vobis pax, & salus omni tempore occupationis vestrae in sapientia, & scientia, & timore Domini, qui est thesaurus hominis, quia sicut thesaurus est spes hominis, eique innititur in tempore angustiae, ita timor Domini, idcirco timebitis Dominum. Estote igitur occupati in sapientia, & scientia Dei, & salvabimini ab omni angustia, & eritis in pace per omne tempus fidei vestrae stabilis, veluti *in loco fideli*, i.e. stabili, *Jes.* 22. *v.* 23. חוסן fortitudo, veluti *Et erit forte in stuppam Jes.* 1. *v.* 31. חכמת cum Thau pro He, veluti *flos deciduus Jes.* 28. *v.* 4. *& placentam azymam Num.* 6. *v.* 19. *percussione non recedente: Jes.* 14. *v.* 6. & similia his. Dominus verò Pater meus f. m. ita explicat „ Quis causavit salutem hanc? sapientia Dei, & scien-„ tia, quae est in Ezechia, & timor Domini, qui est theasaurus ejus „ Jonatan ita reddit hunc versum *Et ita fit, ut sicut dixeras, te benefacturum timentibus te, adducas, & confirmes in tempore suo fortitudinem & salutem, sapientiam & scientiam: timentibus Dominum thesaurus ejus bonus futurus est.*

V. 7. *En Erelam:* parascia haec loquitur de ultione, quae venit Israelitis ante caedem exercitus Assyrii. *Erelam* nuncii, Erel enim est nomen Angeli, ac etiam Magistri nostri mentionem fecerunt Angeli cum isto nomine, & dixerunt „ Vicerunt Angeli homines justos, „ & captiva facta fuit Arca Sanctitatis „ quia sicut nomen *malàc* usurpatur de Angelo seu nuncio corporeo & spirituali, ita & nomen *Erel:* versus verò duplicatus est in significatione cum vocabulis diversis. Ait igitur, nuncii ipsorum, quos ab initio mittebant de civitate in civitatem, erantque ab initio nuncii pacis, modò clamabunt foris, quòd hostis venit in terram, & flebunt amarè: Jonatan interpretatur vocem *Erelam* ut duas voces, quasi dicat, *ostendam eis*, vertit enim *Ecce quando revelatus fuerit illis, clamabunt contumaciter nuncii populorum, qui ierant ad annunciandam pacem, reversi sunt ut plorent in amaritudine animae.*

V. 8. *Vastatae sunt viae:* propter hostem vastatae sunt viae, quia cessavit viator. *irritavit foedus, reprobavit civitates*, ita explicat dominus Pater meus f. m. „ Dicebant Israelitae, jam irritavit foedus „ suum Deus nobiscum, & reprobavit civitates nostras, contra id, „ quod dictum est *oculi Domini Dei nostri in ea, Deut.* 11. *v.* 12. „ *non reputavit hominem*, non reputavit nos quidquam: Jonatan vertit *eo quod mutaverunt pactum, longe facti sunt a civitatibus suis: non cogitant filii hominum, quòd malum venturum est eis.*

V. 9. *Luxit:* significatio corruptionis ac desolationis, & ita *Propter hoc lugebit terra, Jer.* 4. *v.* 28. enunciat terram in genere masculino & foeminino, & ita *obscurata est terra: Jes.* 9. *v.* 19. *Produxit terra eorum, Psal.* 105. *v.* 30. in genere masculino, sed ut plurimum in genere foeminino. *fuit Saron ut locus desertus*, Saron est locus ferax & pinguis, veluti *Et super boves, qui pascebantur in* *Sa-*

Saron, 1. *Par.* 27. *v.* 29. ait hunc locum futurum ut desertum. *& excutiens Basanus & Carmelus*, excutiens fructus suos Basanus & Carmelus, quasi dicat, abjicient arbores eorum fructus suos.

V. 10. *Nunc exsurgam*: exsurgam contra Regem Assyriae vastantem terram vestram, & exaltabo & elevabo me super illum.

V. 11. *Concipietis glumam*: alloquitur populos, qui erant in castris Regis Assyriae. Cogitationem vocat conceptum, operationem verò partum, existimabant enim se capturos Jerosolymam, sed non fuit in eorum potestate, idcirco cogitatio eorum vanitas, & operationes inanitas, & hoc est gluma & palea; gluma verò est palea valde comminuta. *spiritus vester ignis devorabit vos*, cogitatio vestra erit ignis, qui devorabit vos, quasi dicat, propterea quod venistis Jerosolymam, & pro certo habuistis vos capturos eam, ideo egredietur ignis Domini, qui devorabit vos. Hic est Angelus Domini, qui percussit castra Assyria, quam percussionem nominat incendium ignis; & ita superius in parascia *Quocirca immittet Dominus cap.* 10. *v.* 16. ubi prolongavimus nos in expositione.

V. 12. *Et erunt populi combustiones calcis*: populi illi, qui morantur in castris Regis Assyriae, erunt ut lapides, quos urunt ad faciendam calcem, vel ut spinae excisae, quae cremantur, & ardent velut ignis. כסוחים excisae, & ita illud *non excides Lev.* 25. *v.* 4. Interpres Chaldeus vertit לא תכסח: ait *excisae*, quia spinae, quae non sunt excisae, sed adhuc conjunctae, sunt virides & humore praeditae, neque ardent celeriter; verùm quae sunt excisae & exsiccatae, ardent velociter, ita erit caedes in momento.

V. 13. *Audite longinqui, quae feci*: scilicet in castris regis Assyriae: longinqui audient, & vicini, qui sunt in castris Assyriis, cognoscent fortitudinem Dei, qui praevaluit super ipsos, & percussit ipsos, ac scient regem Assyriae id, quod fecit, non in fortitudine sua fecisse, quemadmodum gloriabatur dicens *in robore manus meae feci Jes.* 10. *v.* 13.

V. 14 *Formidaverunt in Tzione*: peccatores, qui erant in Tzione, formidaverunt, postquam viderunt exercitum Assyriae tam magnum, & impios, qui erant in ea, cepit tremor: ait *quis commorabitur nobis*, ac si dicat, quis stabit pro nobis coram exercitu isto, qui est ignis vorans, & incendia saeculi? peccatores verò & impii, qui reperiebantur in Tzione, illi erant, qui formidabant, quia non sperabant in Dominum, qui ipsos eriperet, isti verò sunt Sebna ejusque sectatores, verùm justi, qui reperiebantur in ea, isti quidem formidabant, sed sperabant in Dominum, neque dicebant *quis commorabitur*, quia sciebant Deum ipsos liberaturum, quum se converterent ad eum, & clamarent, & orarent coram eo, isti sunt Ezechias ejusque socii. אוכלה habet Tzere sub altera radicali, ut in illis *& flamma ignis vorantis. Jes.* 29. *v.* 6. *custodientem vineas, Cant.* 1. *v.* 6. & si-

& similia his: Jonatan *ignem vorantem* interpretatur de Deo, vertit enim *Dicunt, quis habitabit ex nobis in Tzione, ubi est splendor Majestatis ejus sicut ignis consumens? quis habitabit ex nobis in Jerosolyma, ubi impii judicandi sunt, tradendi in Gehennam incendio sempiterno?*

V. 15. *Ambulans justitiis*: ait Propheta, vos dicitis *quis commorabitur nobis*? ambulans justitiis commorabitur vobis, nimirum Ezechias, cujus in justitia salvabitur civitas; & quamvis penderent merita in Davide, ait enim *propter me & propter Davidem servum meum*, 2. *Reg.* 19. *v.* 34. *&* 20. *v.* 6. merita tamen Davidis stabant unà cum meritis Ezechiae, at meminit Davidis, quia erat radix & fundamentum regni Tzionis, quae vocabatur civitas Davidis. Jonatan interpretatur totum hunc versum de justis, qui erant in Jerosolyma, dicit enim *Habitabunt in ea justi, omnis qui ambulat in justitia, & loquitur recta. ambulans justitiis*, deest Bet servile, pro *ambulans in justitiis*, istae verò sunt proprietates, quas in hoc versu dicit convenire regi, & per quas subsistit regnum ejus. *ambulans justitiis*, omnes viae & opera ejus debent esse in justitia & in operationibus bonis. *rejiciens quaestum oppressionum*, sic in lege dicitur de judicibus *odientes quaestum*; *Exod.* 18. *v.* 21. ubi dicit *quaestum* simpliciter, quia omnes divitias odio habere debent, numquam sectantes opes, quando enim non desiderant, non declinant ad munus, hìc verò dicit *quaestum oppressionum*, quia vult innuere opes direptionis ac oppressionis, eo quòd loquatur de rege, qui opus habet divitiis, quas det exercitui, militibus, servis, ac Ministris suis, eique necesse est operam dare comparandis opibus, quae proveniant ex justa ratione, eas verò, quae non sint ex justa ratione, rejicit, idcirco ait *quaestum oppressionum*, videlicet quamvis in manu ejus sit potestas capiendi opes alias, tamen rejicit eas, si non sint ex juxta ratione, veluti opprimendo subditos impositionibus. *excutiens manus suas ab apprehendendo munere*, ideo dicit *excutiens manus suas*, ut innuat, quòd quidquam muneris unquam non accipiet etiam ad absolvendum innocentem, & ad condemnandum reum, & etiam oblationem non recipiet de manu litigantis, adhuc lite vertente coram ipso, excutiens manus suas a quocumque munere in Mundo. *obturans aurem suam ab audiendo sanguines*, quia in manu regis est occidere oppressores & transgressores mandatorum suorum, ideo dicit, quòd non interficiet nisi justè, & si veniant domestici sui, & dicant ei, ὁ δεῖνα reus est tibi mortis, quia fecit tibi sic & sic, obturat aurem suam, quasi dicat, non vult auscultare, nisi verè purificetur ei, illum esse reum mortis. *sanguines*, vult dicere sanguinem innocentem, vel etiam reum in negotio ad ipsum spectante, condonans & praeteriens praevaricationem ejus, quia dura est in oculis suis occisio hominis nisi ad evellendam improbitatem de terra. *& claudens oculos suos a videndo in malum*, non vult videre quidquam mali, quod fiat in Mundo: vel *in malum* significat in hominem ma-

lum

lum, quasi dicat, hominem, qui est malus, non potest videre, quemadmodum ait David *loquens mendacia nequaquam firmabitur coram oculis meis. Psal.* 101. *v.* 7. Universae autem hujusmodi proprietates fuerunt in Ezechia.

V. 16. *Ipse altitudines habitabit*: hic rex habitabit fidenter, ut is, qui habitat in turribus excelsis; deinde replicat eamdem rem cum vocabulis diversis ad roborundum. מצדות significat turres validas, neque mutatur in conjunctione ad reddendam leniorem lectionem. *panis ejus datus*, נתן habet Kametz, quia est Benoni. *aquae ejus fideles*, i. e. perennes, non enim deficient: dicit hoc ad indicandum, quòd abundantia erit in diebus Ezechiae, quemadmodum ait superius *Beati vos qui seritis super omnem aquam &c. cap.* 32. *v. ult.*

V. 17. *Regem in pulchritudine sua*: hic est Ezechias: ait *videbunt oculi tui* velati coram Tribu Jehudae. *videbunt terram longinquitatum* (a), i. e. oculi tui, qui usque modò viderant regem terrae longinquitatum; hic verò est rex Assyriae, cui serviebant ab initio, & cujus videbant vultum, quum oblationem ei afferrent. Ait igitur, non videbitis eum amplius, sed regem hunc aspicietis in pulchritudine & in majestate sua, quia non formidabit, immo sedebit super thronum in gloria, siquidem de eo dictum fuit *& exaltatus est in oculis omnium gentium &c.* 2. *Par.* 32. *v.* 23. nomen *melech* semel adhibitum intelligitur repetitum more Scripturae, quasi dicat, regem in decore suo videbunt oculi tui, qui aspiciebant regem terrae longinquitatum. מרחקים Mem habet Patach.

V. 18. *Cor tuum meditabitur timorem*: i. e. cor tuum, quod antehac meditabatur timorem, quasi dicat, quotidie eras in timore tributi, & recogitabas in corde tuo, ubi est scriba? modò veniet super nos scribens tributum, & appendens argentum de manibus nostris. *recensens turres*, i. e. qui recensebat turres, quae erant in singulis urbibus, tales enim reputabantur domus excelsae, pro quibus dabant plus tributi, hujusmodi ergo recogitatio ac pavor non erit tibi amplius.

V. 19. *Populum robore praeditum non videbis*: non videbis amplius scribas & ponderatores. נועז pro עז, est autem Niphal, & radices ejus sunt עז & יעז & עזז, quae idem significant: iste verò populus sunt Chaldaei. *populum profunditatum labii ab intelligendo*, quia loquebantur-

(a) Juxta mentem Interpretis Hebraei vertendum erat *Regem in pulchritudine sua videbunt oculi tui*, qui antea *videre solebant* regem *terrae longinquitatum*: at simplex sensus magis arridet, nimirum quòd sublato timore Regis Assyriae non continebunt se intra moenia, sed quaque lubebit, spatiabuntur, juxta illud Aeneidos II.

. . . *juvat ire & Dorica castra,*
Desertosque videre locos.

Et ita vers. seq. *Cor tuum meditabitur timorem &c.* dulcis erit exactorum periculorum memoria. Ita Grotius.

bantur Syriacè, quam linguam non intelligebant Israelitae praeter nonnullos, quemadmodum dixerunt Eljakimus & Sebna & Joachus ad Rabsakem *loquere obsecro ad servos tuos Aramicè, quia intelligimus, & ne loquaris ad nos Jebudaicè in auribus populi, infr. cap.* 36. *v.* 11. unde videtur, quòd populus non intelligebant linguam Syriacam; lingua verò diversa ab ea, quam quis intelligat, est ei profunda & balbutiens, ut ait *Quia cum blaesitatibus labii, & in lingua altera, Jes.* 28. *v.* 11. משמוע ab intelligendo, veluti *gentem, cujus non intelligas linguam, Deut.* 28. *v.* 49. itemque dicit *absque intelligentia*, quia non intelligebant eam: significatio duplicata est cum vocabulis diversis.

V. 20. *Respice Tzionem:* illum populum robore praeditum non videbis amplius, verùm quid videbis? Tzionem civitatem solemnitatum nostrarum, quo ibant in solemnitatibus ter in anno, usque enim modò non fuit civitas solemnitatum nostrarum in diebus regum Israelis, quia non ibant illuc omnes Israelitae, praesertim in diebus Achazi, quibus cessaverunt omnino solemnitates Dei & oblationes ejus. Verùm statim in principio regni sui scripsit Ezechias ad Ephraimum & Menassem epistolas, ut venirent Jerosolymam ad celebrandum Pascha 2. *Par.* 30. *v.* 1. at illi irridebant cursores, & subsannabant eos *ibid. v.* 10. Nunc verò oculi tui videbunt Jerosolymam habitationem tranquillam; etenim usque modò non fuit habitatio tranquilla, eo quod esset manus regum gentium super eam. אהל בל יצען, significatio hujus loci repetenda est ex Targum *veluti tabernaculum, cujus non dimoventur nec evelluntur paxilli unquam*, etenim non invenimus alibi in Scriptura vocem יצען. Dominus verò Pater meus f. m. interpretatur ex radice יצע, & ex ejusdem significatione, & Num putat esse additium juxta analogiam רחמן, אלמן, קנין, בנין, sensum verò esse, tentorium, quod non dejicietur, neque unquam erit stratum, sed erit semper expansum & extensum. *nec proficiscentur clavi ejus*, ne unus quidem de clavis ejus amovebitur: quia verò assimilavit hujusmodi habitationem tentorio, ideo dicit *clavi ejus, & funes ejus*, quia extenditur cum clavis & funibus; dum ait *in aeternum*, significat multum temporis.

V. 21. *Quia verè ibi:* אם hìc significat *verè*, sicuti *Quia verè est merces, Prov.* 23. *v.* 18. *verè sicut lutum figuli reputabitur: Jes.* 29. *v.* 16. & similia his: ait, quomodo erit Jerosolyma habitatio quieta, ac tentorium, quod non transferetur? quia verè ibi in Jerosolyma magnificus Dominus, qui est nobis, & in auxilium nostrum, & ipse magnus & potens super exercitum Assyrium, licèt sit multus & validus. *locus fluviorum, rivorum*, ipse erit nobis locus fluviorum, perinde ac si circa Jerosolymam sint fluvii ac rivi lati, ne possint transire super eam hostes, & ne quidem navis remigii, ac navis magna non poterit ire per flumen magnum hoc, neque transire illud. Quia

verò superius assimilavit exercitum Assyrium flumini magno dicens *aquas fluminis vehementes & multas. regem Assyriae &c. cap.* 8. *v.* 7. ideo dicit, quòd Dominus erit eis loco fluminis majoris illo, adeo ut non possit rex Assyriae transire per illud, neque subjicere Jerosolymam. *navis remigii*, scilicet quam impellunt cum remis.. צי אדיר navis magna.

V. 22. *Nam Dominus judex noster*: ipse vindicabit nos de manu regis Assyriae, quasi dicat, sumet judicium ac vindictam nostram ab eo, qui fecit nobis tot mala. *Dominus legifer noster*, ipse dominatur nobis, dominator enim dicitur legifer, veluti *& legifer de inter pedes ejus*, *Genes.* 49. *v.* 10. quia ipse proponit statuta in populo, quasi dicat, Deus, judex noster, & legifer noster, & rex noster, ipse salvabit nos de manu ejus.

V. 23. *Laxati sunt funes tui*: alloquitur exercitum Assyrium, quem assimilavit navi remigii, & navi magnae; navem verò gubernant cum funibus alligatis ad velum expansum super malo, quod trahunt funes juxta scientiam Magistri navis, expandunt enim velum, & vadit navis cum vento, quem colligit velum: ait *Laxati sunt funes tui, non roborabunt rectè malum suum, non expanserunt velum*, quasi laxati sint funes, ideoque non sit funis ad trahendum, & gubernatores non possint benè roborare malum suum, & expandere velum, postquam funes laxati & rupti sunt: vel נטשו significat *extensi sunt*, sed non tensione vehementi, veluti *& ecce omnes extensi erant super faciem totius terrae*: 1. *Sam.* 30. *v.* 16. *tunc divisa est praeda, spolium multum*, tum postquam non poterit navis ire, divident spolium ejus spoliatores, sic posteaquam mortuus est exercitus Assyrius, exierunt Israelitae, & spoliaverunt ac diripuerunt castra, & claudi quoque, qui erant in Jerosolyma, iverunt ad spoliandum ac praedandum, quia castra erant prope urbem. עד idem ac שלל, etenim Targumistae שלל reddunt עדאה, & ita *Mane comedet praedam*, *Genes.* 49 *v.* 27. deest autem Vau servile pro *praeda & spolium*, ita *Sol luna Chab.* 3. *v.* 11. *Reuben, Simeon, Exod.* 1. *v.* 2. & similia hisce: ait *praeda & spolium*, repetens eamdem rem cum vocabulis diversis ad roborandum significatum cum vocabulis diversis, ut mos est Scripturae. מרבה est nomen juxta formam מראה, משקה, quo vult innuere, quòd spolium multum spoliaverunt.

V. 24. *Et non dicet habitator*: non dicet habitans in Jerosolyma, aegrotus sum, quemadmodum dicebant ab initio prae multitudine angustiarum & calamitatum, aegroti sumus ac flemus, non dicent amplius hoc, quia Dominus remisit iniquitatem eorum propter Ezechiam, qui reprehendit eos, & convertit eos ad bonam frugem, ac salvavit eos Deus salute magna. Alii explicant sectionem hanc totam futuram in diebus Messiae, sed rectius est, ut exposuimus.

JE-

JESAIAE CAP. XXXIV.

ACcedite gentes ad audiendum, & populi attendite: audiat terra & plenitudo ejus, orbis & omnes egressiones ejus. 2. Quia ira Domino super omnes gentes, & aestus irae super universum exercitum earum: internecioni devovit eas, dedit eas jugulationi. 3. Et occisi earum projicientur, & *de* cadaveribus eorum ascendet foetor eorum: & liquefient montes a sanguine ipsorum. 4. Et contabescent omnis exercitus Coeli, & convolventur sicut liber Coeli: & omnis exercitus eorum decidet, sicut decidit folium de vite, & ut *ficus* decidit de ficu. 5. Quia inebriatus est in Coelis gladius meus: ecce super Edom descendet, & super populum anathematis mei ad judicium: 6. Gladius Domini repletus est sanguine: pinguefactus est ex adipe, e sanguine agnorum & hircorum, ex adipe renum arietum: quia sacrificium Domino in Botzra, & mactatio magna in terra Edom. 7. Et descendent unicornes cum eis, & juvenci cum tauris: & inebriabitur terra eorum e sanguine, & pulvis eorum ex adipe impinguabitur. 8. Quia dies ultionis Domino: annus retributionum ad judicandum Tzionem. 9. Et convertentur torrentes ejus in picem, & pulvis ejus in sulphur: & erit terra ejus in picem ardentem. 10. Nocte & die non extinguetur, in saeculum ascendet fumus ejus: a generatione in generationem erit desolata, in saeculum saeculorum non erit transiens per eam. 11. Et possidebunt eam pelicanus atque testudo *hericius*, & noctua & corvus habitabunt in ea: & extendet super eam lineam inanitatis & lapides vacuitatis. 12. Principes ejus, qui non ibi regnum clamitabant, & omnes proceres *principes* ejus erunt nihil. 13. Et ascendet *in* palatiis ejus spinae, carduus & paliurus in munitionibus ejus: & erit habitaculum draconum, atrium filiabus struthionis. 14. Et occurrent se-

les thoibus, & pilosus ad socium suum clamabit: tantùm ibi requievit lilith, & invenit sibi requiem. 15. Ibi nidificavit testudo *jaculus*, & peperit, & rumpet *ova*, postquam collegerit in umbra sua: quin etiam ibi congregati sunt vultures unusquisque *cum* socio suo. 16. Requirite a libro Domini, & legite, unum ex istis *animalibus* non defuit, unumquodque *cum* socio suo non defuerunt *defuit*: quia os meum ipsum praecepit, & spiritus ejus ipse congregavit ea 17. Et ipse cadere fecit eis sortem, & manus ejus divisit eam eis cum linea: usque in saeculum possidebunt eam, in generationem & generationem habitabunt in ea.

COMMENTARIUS.

V. 1. *Accedite gentes*, parascia haec futura est, ac respicit vastationem Romae: postea commemorat salutem Israelis usque ad *Et fuit in quarto decimo anno cap.* 36. *v.* 1. vocat autem eam *Botzram*, eo quod est civitas magna, quemadmodum fuit Botzra in terra Edom, & major pars Romanorum sunt Edomaei, qui tenent legem Jesu, licèt permixti sint cum eis populi alii: item Imperator Caesar (forsan Constantinus) fuit Edomaeus, & ita omnes Imperatores post eum. Sic dixit Jeremias Propheta in Libro Ecah *Completa est iniquitas tua Filia Tzionis, non addet ad deportandum te: visitavit iniquitatem tuam Filia Edom, discooperuit peccata tua Thr.* 4. *v.* 22. Hinc igitur patet, quòd quum vastata fuerit terra Edom, h. e. Roma, egredientur Israelitae ab exilio hoc, neque migrabunt amplius. Dicit autem in prophetia hac *gentes, populi, orbis*, & *omnes egressiones ejus*, comprehendens omnes nationes, siquidem etiam regnum Ismaelitarum, h. e. Turcarum, vastabitur in tempore hoc, at gentes majores sunt Imperium Romanum & Ismaeliticum.

V. 2. *Quia ira Domino .... super universum exercitum earum*: pugnabunt enim gens contra gentem, & ob hoc erit occisio ac caedes in eis.

V. 3. *Et occisi earum projicientur*: quia non erit qui sepeliat, idcirco ascendet foetor ac malus odor eorum. *& liquefient montes a sanguine ipsorum*, hoc per modum hyperboles.

V. 4. *Et contabescent*: hoc per modum similitudinis, quia is, cui accidit calamitas magna, ita se habet, ac si vertant sese Coelum & terra super ipsum, tunc enim Mundus ei convertitur, & perinde est, ac si non sit amplius exercitus Coelorum, quia non est ei lux, & Mun.

& Mundus obtenebratus est super eum : Hanc verò similitudinem videbis frequenter in verbis Prophetarum. *& convolventur sicut liber*, quia Coeli extensi sunt ut tentorium, nunc autem videbuntur illis complicati ut liber plicatus. *& ut decidit*, i. e. & ut folium decidit de ficu; sed rectius est, quòd subintelligatur ficus, non folium, quia, ut ab exemplis apparet, עלה est generis masculini, & vult dicere, sicut ficus fructus decidens ex arbore ficu, quia fructus vocatur ficus, & etiam arbor ficus, idcirco fuit rectiùs, quòd diceret simpliciter *& ut decidens*, quàm si diceret, & ut ficus de ficu. Ficus autem est generis foeminini, & ideo ait de ea נובלת.

V. 5. *Quia inebriatus est gladius meus:* gladius meus, qui est in Coelis, inebriatus est sanguine occisorum istorum; & super quem descendet gladius hic de Coelo? super Edom, & super populum anathematis mei, quia hic est populus, quem ego volo internecioni devovere, ut faciam judicium in eos ob mala, quae intulerunt Israelitis: illud *in Coelis*, & *gladius meus* habet sensum metaphoricum, quia decisiones descendunt de Coelo. רותה est verbum intransitivum ex conjugatione Daghessata, & ita *inebriabitur terra eorum e sanguine*, *infr. v. 7.*

V. 6. *Glaudius Domini:* gladius, qui erit in gentibus, quo se invicem occident, Domini est, quia ipse praecepit ac voluit hoc. *repletus est sanguine*, prae multitudine occisionis: ait *replesus est* metaphoricè, juxta illud *Inebriari faciam sagittas meas ex sanguine*, *Deut.* 32. *v.* 42. הדשנה ex vocibus דשן & שמן, quasi dicat, pinguefactus est ex adipe agnorum: hirci, arietes, unicornes, vituli, & tauri sunt parabola regum gentium. Secundum analogiam grammaticalem vox הדשנה composita est ex Hophal & Hithpael, quia scribendum esset התדשנה, & Scin deberet dagheffari.

V. 7. *Et descendent unicornes* (*a*) *cum eis:* cum regibus Edom morientur reges plures alii ex regibus gentium.

V. 8. *Quia dies ultionis:* totum hoc est ultio ac retributiones Domini, qui ulciscitur ex eis, ac retribuit eis retributiones ipsorum, & causam Tzionis ipse tractat cum eis.

V. 9. *Et convertentur torrentes ejus in picem:* vertit Jonatan *Et convertentur torrentes ejus in picem, & pulvis ejus in Sulphur; & erit terra in picem ardentem:* illud verò *in picem*, & *in sulphur* est metaphora vastationis, vel erit ut terra Sedomae & Amorae.

V. 10. *Nocte:* propterea quòd dixerat, erit sulphur & pix ardens, ideo dicit, quòd in saeculum ascendet fumus ejus, quemadmodum etiam hodierna die ascendit de terra Sedomae & Amorae fumus jugiter. מדור לדור cum Kametz sub Lamed, cui simile non habetur.

V. 11. *Et possidebunt eam:* quia erunt perpetuò in ea, ut homo, qui

(*a*) Putat Bochartus ראם esse *bicornis capreae* speciem in arenis Arabiae degentem.

qui manet in possessione sua: ista verò animalia, quae commemoravit, solent morari in vastitatibus. *pelicanus* (*a*), hic appellatur in Misna קיק, & est avis silvestris, quae invenitur in civitatibus maritimis. *testudo* (*b*), hoc animal appellatur Arabicè قنفذ, vulgò *Tartaruga*.

ינשוף cum Cholem, est avis, quae volat noctu, aut illa, quae clamat noctu, & idcirco appellatur ינשוף ex נשף crepusculum. *& extendet super eam*, Deus extendet super eam lineam inanitatis & lapides vanitatis, is enim, qui aedificat, tendit lineam & lapidem plumbeum, i. e. pendulum, Deus autem vastabit Romam, ideoque linea & pendulam erunt inanitatis & vanitatis, quasi dicat, rem contrariam aedificationi faciet in ea, nimirum destructionem.

V. 12. *Principes ejus:* qui dictitabant ab initio, non ibi regnum, quia nos sumus reges, hi erunt modò nihil, & omnes proceres ejus. ואין שם cum Vau juxta illud, quod habetur in voce וישא *Genes.* 22. *v.* 4. & similia huic, ubi non inservit ad additionem. חוריה principes ejus, veluti *& omnes principes Jehudae Jer.* 39. *v.* 6. *& litigavi cum principibus*, *Nech.* 5. *v.* 7.

V. 13. *Et ascendet:* producet terra spinas, ubi modò sunt palatia ejus, siquidem in loco vastationis ascendunt ac germinant spinae; carduus & paliurus sunt species spinarum. חציר pro חצר cum Tzere, veluti ששׁ & ישיש, Jonatan interpretatur locum, i. e. *locus filiae struthionis*. (*c*)

V. 14. *Et occurrent*: ferae cum feris occurrent ibi, quia habitaculum bestiarum silvestrium erit civitas. *feles*, ferae habitantes in ariditate in deserto: Jonatan ציים reddit *animalia stupenda*. איים (*d*) reddit *catis*. *pilosus*, scilicet *daemon* juxta Targum, & ita *pilosis*, *post quos fornicantur*, *Lev.* 27. *v.* 7. ubi Targumistae vertunt *daemonibus*: probabile verò est, quòd sit fera ex feris silvestribus; & ita *lilith* est fera, quae ululat noctu, vel est avis volans noctu. In Verbis Magistrorum nostrorum f. m. „ Si abortivo partu mulier similitudi- „ nem Lilith pepererit, partus ille est immundus „ ubi Glossa „ Li- „ lith est instar pueri, nisi quòd habet alas „

V. 15.

(*a*) *Pelicanus* dicitur קאת a radice קיא *vomuit*, quia conchas jam absorptas revomit, postquam calore ventris apertae sunt, ut ex iis exculenta legat.

(*b*) קפוד Bocharto est *bericius* vel *ericius*, & re quidem vera hujusmodi animal significatur ex Arabica voce allata in Commentario.

(*c*) Mas ex Struthionibus appellatur תחמס, & foemina יענה, vel בת יענה, quasi *clamosam* dicas, aut *filiam clamoris*, est enim clamosum animal.

(*d*) Hoc Animal Europaeis ignotum, ab Arabibus, quibus notissimum, dicitur ابن آوى *filius avvi*, de quo vide Askazuinum & Damir apud Bochartum *Hieroz. lib.* 3. *cap.* 12. ubi variis rationibus probare conatur esse veluti Θῶα *thoa* Graecorum, i. e. animal parvo lupo simile.

V. 15. *Ibi nidificavit testudo :* קפוז (*a*) idem ac קפוד : ותמלט juxta illud *& peperit marem*, *Jes.* 66. *v.* 7. videlicet & peperit. *& rumpet ova, postquam collegerit*, veluti *Perdix colligit*, *Jer.* 17. *v.* 11. in significatione collectionis, quasi dicat collectionem ovorum: Vau in ודגרה idem valet ac *postea*, quasi dicat, postquam collegerit ova, & calefecerit ea, deinde rumpet ova, & egredientur pulli, ut Vau in illis *postea scissae sunt aquae*. *Exod.* 14. *v.* 21. *ecce tu iratus es, postquam peccavimus*, *Jes.* 64. *v.* 5. *vultures* (*b*), veluti *& vulturem*, *Deut.* 14. *v.* 13. vulgò *Avvoltojo*. אשה רעותה unusquisque cum socio suo.

V. 16. *Requirite a libro Domini, & legite :* ait veluti coram illis, qui videbunt vastationem Romae, requirite a libro Domini, i. e. a libro hoc, & legite feras & aves, quarum mentio facta est in hac parascia, istas enim videbitis universas in ejus vastatione, siquidem habitabunt in Civitate hac, & ne una quidem deerit ex eis. *non defuerunt*, non deerit ne una quidem ex eis cum socia sua, sed omnes erunt ibi. Dominus verò Pater meus f. m. ita interpretatur librum Domini „ Hic est liber Legis Mosis Magistri nostri, quaerite omnes bestias & „ aves scriptas in parascia *Et fuit in die octavo*, *Lev.* 9. *v.* 1. una „ ex eis non defuit „ At sapiens Rabbi Abrahamus interpretatur, quòd per metaphoram innuit decreta Coeli scripta cum digito Dei, & sensus est, quòd omnia decreta venient super terram Edom. *quia os meum ipsum praecepit*, sermo Dei benedicti, & sensus est, praecepit, ut sit ita, idcirco erit omni modo, neque deficiet. *& spiritus ejus*, i. e. spiritus oris Dei, juxta illud *& in spiritu oris ejus omnis exercitus eorum*. *Psal.* 33. *v.* 6. vult significare voluntatem & beneplacitum ejus, siquidem ipse congregavit eas, ut venirent omnes in terram Edom, h. e. Romanorum.

V. 17. *Et ipse cadere fecit*, quasi projecisset sortem in terram, quae esset eis haereditanda. *& manus ejus divisit eam*, manus ejus divisit ipsam terram bestiis & avibus. *cum linea*, ad similitudinem illius, qui dividit terram cum fune & linea.

(*a*) קפוז Bocharto est *Acontias*, seu *Jaculus*, a Verbo קפז, quod apud Rabbinos, Chaldaeos, & Arabas significat *in altum exilire*, quia saltu in arbores, vel in homines irruit. Declarationem hujus versus vide apud eumdem Bochartum *part.* 2. *Hieroz. lib.* 3. *cap.* 11.

(*b*) דיה propriè est vultur atri coloris a דיו *atramentum*.

JESAIAE CAP. XXXV.

1. GAudebunt desertum & siccitas: & exultabit solitudo, & florebit veluti rosa. 2. Germinando germinabit, & exultabit etiam exultatione & cantando, gloria Libani data est ei, decor Carmeli & Saronis: ipsi videbunt Gloriam Domini, Decorem Dei nostri. 3. Confortate manus remissas: & genua labentia roborate. 4. Dicite confusis *stultis fatuis* corde, confortamini, ne timeatis: ecce Deus vester *cum* ultione veniet, retributionem Dei *videbitis*; ipse veniet, & salvos faciet vos. 5. Tunc aperientur oculi caecorum: & aures surdorum patebunt. 6. Tunc saliet sicut cervus claudus, & praeconia dicet lingua muti: quia scissae sunt in deserto aquae, & flumina in solitudine. 7. Et erit locus aridus in stagnum, & locus sitibundus in scaturigines aquarum: in habitaculo draconum accubitu ejus *erit* atrium calamo & junco. 8. Et erit ibi semita & via, & via Sanctitatis vocabitur ipsa, non transibit per eam pollutus, & haec *erit* ipsis: ambulans viam & stulti non errabunt. 9. Non erit ibi leo, & effractor ferarum non ascendet eam, nec invenietur ibi: & ambulabunt redempti. 10. Et redempti Domini revertentur, & introibunt Tzionem in cantu, & laetitia saeculi *erit* super caput eorum: gaudium & laetitiam assequentur, & fugient moeror & gemitus.

COMMENTARIUS.

V. 1. G*Audebunt desertum & siccitas*: metaphoricè ait, quòd in vastatione terrae Edom gaudebunt desertum & siccitas. Mem in ישושום stat pro Nun paragogico in Futuris multis, veluti יזכרון, ישמעון, vel istud Mem est pro בם, vel עמהם, veluti *coxit eis carnem*, 1. *Reg.* 19. *v.* 21. ubi בשלם stat pro בשל להם, & vult dicere, quòd desertum & siccitas, in quibus habitabant hujusmodi ferae, gaudebunt ob illas, quando proficiscentur ad habitandum in terram

ram Edom. Possumus etiam per desertum & siccitatem intelligere terram Israelis, quae fuit ut desertum a die, quo migraverunt Israelitae usque ad vastationem terrae Edom. *& exultabit*, quia quum devastata fuerit illa, habitabitur haec, ut explicavimus: Jonatan vertit *Gaudebunt qui habitant in deserto in terra sitibunda. & florebit veluti rosa*, ut rosa, quae floreat, ac det odorem suum.

V. 2. *Germinando ..... etiam exultatione & cantando*: exultabit exultatione post exultationem; Thau in גילת stat pro He, ut alibi frequenter. נתן est nomen Makor. *data est ei*, i. e. terrae Israelis. *ipsi*, i. e. Israelitae, qui quum reversi fuerint in terram suam, videbunt Gloriam Domini ejusque Majestatem reversam in Jerosolymam.

V. 3. *Confortate*: interdum adhibetur Imperativum absque homine particulari, ad quem referatur, sed ad alium quemlibet, sicuti *vide odorem filii mei, Genes. 27. v. 27. dic regi & reginae, Jer. 13. v. 17.* & ita hic *Confortate manus remissas*; aut alloquitur Prophetas, vel illos, quibus erat cor forte in exilio, & sperabant in Deum, quem quotidie confidebant allaturum salutem. Ait igitur illis, ut confortent manus remissorum in exilio, & ita vertit Jonatan *Dixit Propheta, confortate manus dissolutas*.

V. 4. *Dicite confusis corde*: i. e. illis, qui sunt confusi in corde suo ob calamitates magnas exilii. נקם יבא cum ultione veniet, vel, ad faciendam ultionem. *retributionem Dei*, & nunc videbitis retributionem Dei, ipse enim veniet, ac liberabit vos ab exilio.

V. 5. *Tunc aperientur*: tunc aperientur oculi Israelitarum, qui sunt in exilio ut caeci, & ut surdi, & ut claudi, & ut muti.

V. 6...... *quia scissae sunt in deserto aquae*: similiter ait Micheas *Juxta dies egressionis tuae de terra Aegypti, ostendam ei mirabilia, Mich. 7. v. 15.* hoc autem erit ex mirabilibus, quòd scaturient in deserto aquae. *& flumina in solitudine*, etenim invenient aquas multas in itinere, dum revertentur ad terram suam.

V. 7. *Et erit locus aridus*: locus torridus & locus sitibundus erit in stagnum & in scaturigines aquarum, quae scaturient ipsis in itinere suo, dum ambulabunt per locum siccitatis, i. e. per locum torridum, ubi non sint aquae prae magnitudine caloris, & ita illud *devorabat me aestus Gens. 31. v. 40.* reddit Interpres Chaldaeus אכלני שרבא. *in habitaculo draconum accubitu ejus*, locus, qui erat habitatio draconum, & in quo cubabant serpentes, erit atrium calamo & junco, qui non germinant nisi in loco aquoso. חציר pro חצר, ut explicavimus superius *Cap. 34. v. 13.* Ait *accubitu ejus* de singulis draconibus: dicit autem תנים de foeminis, ut dicitur etiam in Threnis *Etiam dracones extrahunt mammam, cap. 4. v. 3.*

V. 8. *Et erit ibi*: ibi in deserto, ubi non fuit iter a saeculo, nunc erit via strata & iter. In Deras „ Nunc non est iter in deserto,

„ quia totum est arena, & caterva non ambulat in nocte nisi ad lu-
„ cem planetarum, sed tunc erit via strata & iter „ מסלול pro
מסלה. *& via sanctitatis vocabitur*, quia populus sanctus ambulabit per eam. *non transibit per eam pollutus*, i. e. ne unus quidem ex improbis. *& haec ipsis*, i. e. Israelitis tantùm erit hujusmodi via. *ambulans viam*, i. e. non solùm ambulans viam, nimirum qui est assuetus ambulare vias, sed etiam stulti & inscii non errabunt in istiusmodi itinere, verùm ambulabunt viam rectam Jerosolymam usque.

V. 9. *Non erit:* quia ab initio erat habitaculum ferarum noxiarum, eo quod esset desertum, nunc, quia ambulabunt per eam filii Israelis, non erit ibi leo, & effractor ferarum non ascendet per istam viam, neque invenietur ibi fera mala. Effractor ferarum significat maximè violentam audacem & immanem inter feras, quae frangit ac rumpit morem caeterarum ferarum, dum penetrat locum, ubi reperiri solent homines; ne ista quidem veniet illuc, sed ambulabunt redempti absque pavore. Jonatan vertit hunc versum tanquam allegoricum *non erit rex maleficus. nec dominator tribulans pertransibit eam.*

V. 10. *Et redempti Domini revertentur . . . . & laetitia saeculi super caput eorum*: metaphora, quia ambulabunt cum statura capitis elati ob laetitiam. Jonatan vertit *Et gaudium saeculi erit eis, quod non cessabit, & nubes gloriae faciet umbram super capita eorum. gaudium & laetitiam assequentur, & fugient moeror & gemitus*, hìc est ישיגו ונסו, infra verò *Cap.* 51. *v.* 11. est ישיגון cum Nun in fine, & נסו sine Vau in principio vocis; igitur signum, ne erretur in istis, est Nun & Vau, videlicet signum est Vau ante Nun, & hic quidem locus ישיגו ונסו, qui habet Vau in fine τῦ ישיגו, & in principio τῦ ונסו, est primus, in altero verò *d. Cap.* 51. *v.* 11. qui habet Nun in fine τῦ ישיגון, & in principio τῦ נסו, non adest Vau.

JESAIAE CAP. XXXVI.

1. ET fuit in quartodecimo anno regis Ezechiae ascendit Sancheribus rex Assyriae super omnes civitates Jehudae munitas, & cepit eas. 2. Et misit rex Assyriae Rabsakem de Lachis in Jerosolymam ad regem Ezechiam cum exercitu gravi, & stetit ad aquaeductum piscinae superioris in via agri fullonis. 3. Et egressus est ad eum Eljakimus filius Chilkiae, qui *erat* super domum:
&

& Sebna ſcriba, & Joachus filius Aſaphi a commentariis. 4. Et dixit ad eos Rabſakes, dicite nunc ad Ezechiam: ſic dixit rex magnus rex Aſſyriae, quae eſt fiducia haec, cui fidiſti? 5. Dixi, tantùm verbum labiorum; conſilium & fortitudo ad bellum: nunc cui fidiſti, quòd rebellaſti contra me? 6. Ecce fidiſti fulcro arundinis fracto iſti Aegypto, cui *ſi* quis innitatur: intrabit in manum ejus, & perforabit eam: ſic Pharao rex Aegypti omnibus fidentibus ei. 7. Quod ſi dixeris ad me, in Domino Deo noſtro fidimus: nonne iſte *eſt*, cujus abſtulit Ezechias Excelſa & Altaria, dixitque Jehudae & Jeroſolymae coram Altari iſto proſtrabitis vos? 8. Et nunc ſponſionem fac obſecro Domino meo regi Aſſyriae: & dabo tibi duo millia equorum, ſi potueris dare tibi equitantes ſuper eos. 9. Et quomodo facies vertere faciem ducis unius ſervorum Domini mei minimorum: ut confidas tibi in Aegypto propter currum *currus* & equites? 10. Et modò numquid abſque Domino aſcendi ſuper terram iſtam ad corrumpendum eam? Dominus dixit ad me, aſcende ad terram iſtam, & corrumpe eam. 11. Et dixit Eljakimus & Sebna & Joachus ad Rabſakem, loquere obſecro ad ſervos tuos Aramicè *Syriacè*, quia intelligimus: & ne loquaris ad nos Jehudaicè in auribus populi, qui *eſt* ſuper murum. 12. Et dixit Rabſakes, numquid ad Dominum tuum & ad te miſit me Dominus meus, ut loquerer verba haec? nonne ad homines ſtantes ſuper muro, donec comedant ſtercus ſuum, & bibant aquas pedum ſuorum *urinas ſuas* vobiſcum? 13. Et ſtetit Rabſakes, & clamavit cum voce magna Jehudaicè: & dixit, audite verba regis magni regis Aſſyriae. 14. Sic dixit rex, ne ſeducat vos Ezechias: quia non poterit eruere vos. 15. Et ne confidere faciat vos Ezechias in Domino dicendo, eruendo eruet nos Dominus: non dabitur civitas haec in manu regis Aſſyriae. 16. Ne audiatis Ezechiam: quia ſic dixit rex Aſſyriae, facite mecum benedictionem *pacem*, &

 egre-

egredimini ad me, & comedite quisque vitem suam, & quisque ficum suam, & bibite quisque aquas cisternae suae. 17. Donec veniam, & tollam vos ad terram sicut terram vestram: terram frumenti & musti, terram panis & vinearum. 18. Ne forte seducat vos Ezechias dicendo, Dominus eruet nos: numquid eruerunt Dii gentium unusquisque terram suam de manu regis Assyriae? 19. Ubi *sunt* Dii Chamat & Arphad, ubi Dii Sepharvàim? erueruntne Someronem de manu mea? 20. Quis *est* inter omnes Deos terrarum istarum, qui eruerint terram suam de manu mea? num eruet Dominus Jerosolymam de manu mea? 21. Et siluerunt, & non responderunt ei verbum: ut praeceptum regis erat dicendo, non respondebitis ei. 22. Et venit Eljakimus filius Chilkiae, qui *erat* super domum, & Sebna scriba, & Joachus filius Asaphi a commentariis ad Ezechiam scissi vestibus: & indicaverunt ei verba Rabsakis.

COMMENTARIUS.

V. 1. ET *fuit in quarto decimo anno*: parasciam hanc explicavimus in Libro Regum 2. *Reg.* 18. dilucidatione bona; & quamvis inter utramque sit parvum aliquod discrimen, sensus tamen unus & idem est utrobique. In Regibus *d. Cap* 18. *v.* 20. habetur *Dixisti, tantùm verbum labiorum*, nimirum ait Rabsakes veluti coram Ezechia, existimasti in corde tuo, quòd verbum labiorum erepturum esset te, scilicet oratio, verùm non erit ita, quia consilio & fortitudine opus est ad bellum; in hoc verò libro est *Dixi v.* 5. scilicet ait Rabsakes, ego dixi, quòd tu existimas te posse servari per verbum labiorum, h. e. per orationem tuam. At sapiens Abrhamus filius Ezrae ita exponit verba ista אך דבר שפתים, consilium & fortitudo, quae tibi est, in verbo tantùm labiorum consistit.

JE-

JESAIAE CAP. XXXVII.

1. ET fuit, quum audiſſet rex Ezechias, ſcidit veſti-
menta ſua: & operuit ſe cum ſacco, & introivit
domum Domini. 2. Et miſit Eljackimum, qui *erat* ſuper
domum, & Sebnam ſcribam, & ſeniores Sacerdotum
opertos cum ſaccis, ad Jeſaiam filium Amotzi prophe-
tam. 3. Et dixerunt ad eum, ſic dixit Ezechias, dies an-
guſtiae & increpationis & contumeliae, dies hic: quia
venerunt filii uſque ad matricem, & vis non *fuit* ad pa-
riendum. 4. Si forte audiat Dominus Deus tuus verba
Rabſakis, quem miſit rex Aſſyriae ad afficiendum pro-
bris Deum viventem, & corripiat ob verba, quae audivit
Dominus Deus tuus: & levabis orationem tuam pro re-
ſiduo, quod invenitur. 5. Et venerunt ſervi regis Eze-
chiae ad Jeſaiam. 6. Et dixit ad eos Jeſaias, ſic dice-
tis ad Dominum veſtrum: ſic dixit Dominus, ne timeas
a facie verborum, quae audiviſti, quibus blaſphemaverunt
pueri regis Aſſyriae me. 7. Ecce ego pono in eo ſpiri-
tum, & audiet auditum, & revertetur in terram ſuam:
& faciam eum cadere in gladio in terra ſua. 8. Et re-
verſus eſt Rabſakes, & invenit regem Aſſyriae praelian-
tem adverſus Libnam: nam audierat, quòd profectus erat
de Lachis. 9. Et audivit de Tirhaka rege Aethiopiae
dicendo, egreſſus eſt ad pugnandum tecum: & audivit,
& miſit nuncios ad Ezechiam dicendo. 10. Sic dicetis ad
Ezechiam regem Jehudae dicendo; ne ſeducat te Deus
tuus, cui tu fidis dicendo, non dabitur Jeroſolyma in ma-
nu regis Aſſyriae. 11. Ecce tu audiviſti, quae fecerunt re-
ges Aſſyriae omnibus terris devaſtando eas: & tu erue-
ris? 12. Numquid eruerunt illas Dii populorum, quos cor-
ruperunt patres mei, Gozanum, Charanum, & Retze-
phum, & filios Edonis, qui *erant* in Telaſſar? 13. Ubi
eſt rex Chamat, & rex Arphad, & rex Civitatis Sephar-
vàim,

vàim Henaae & Ivvae? 14. Et cepit Ezechias litteras de manu nunciorum, & legit eas: & ascendit domum Domini, & espandit eas ad conspectum Domini. . 15. Et oravit Ezechias ad Dominum dicendo. 16. Domine exercituum Deus Israelis sedens *super* Cherubim, tu es Deus solus omnium regnorum terrae: tu fecisti Coelos & terram. 17. Inclina Domine aurem tuam, & audi, aperi Domine oculos tuos, & vide: & audi omnia verba Sancheribi, qui misit ad afficiendum probris Deum viventem. 18. Verè, Domine, vastaverunt reges Assyriae omnes terras & terram suam. 19. Et dando *dederunt* deos earum in igne: quia non *erant* dii ipsi, sed opus manuum hominis, lignum & lapis, & perdiderunt eos. 20. Et nunc Domine Deus noster salvos fac nos de manu ejus: & cognoscant omnia regna terrae, quòd tu Dominus solus tu. 21. Et misit Jesaias filius Amotzi ad Ezechiam dicendo: sic dicit Dominus Deus Israelis, quae precatus es ad me propter Sancheribum regem Assyriae, *audivi*. 22. Hoc *est* verbum, quod loquutus est Dominus super eum: despexit te, subsannavit te virgo filia Tzionis, post te caput movit filia Jerosolymae. 23. Quem probris affecisti & blasphemasti, & contra quem exaltasti vocem, & levasti *in* altitudinem oculos tuos? contra Sanctum Israelis. 24. Per manum servorum tuorum probris affecisti Dominum, & dixisti; in multitudine currus mei *curruum meorum* ego ascendi altitudinem Montium, latera Libani: & succidam altitudinem cedrorum ejus, electionem abietum ejus; & introibo altitudinem extremitatis *summitatis* ejus, saltum Carmeli ejus. 25. Ego fodi & bibi aquas: & siccabo cum planta pedum meorum omnes rivos munitionis. 26. Nonne audisti *decisionem* a longe? eam feci, a diebus antiquis, & plasmavi eam: nunc adduxi eam; & erit ad desolandum *in* acervos vastos civitates munitas. 27. Habitatoresque eorum abbreviati manu contriti sunt, & pudore sunt affecti: fuerunt *ut* herba

ba agri, & olus germinis, herba tectorum, & uredo ante segetem. 28. Et manere tuum, & egredi tuum, & ingredi tuum novi: & irasci tuum in me. 29. Pro eo quod iratus es contra me, & tumultus tuus ascendit in aures meas: & ponam hamum meum in naribus tuis, & frenum meum in labiis tuis, & redire faciam te per viam, per quam venisti. 30. Et hoc tibi signum; comede *hoc* anno sponte = natum *cadivum*, & in anno secundo sponte = renatum: & in anno tertio seminate, & metite, & plantate vineas, & comedite fructum earum. 31. Et adjiciet evasio domus Jehudae residua radicem deorsum: & faciet fructum sursum. 32. Quia de Jerosolyma egredietur residuum, & evasio de monte Tzionis: zelus Domini exercituum faciet hoc. 33. Propterea sic dixit Dominus ad regem *de rege* Assyriae, non ingredietur urbem hanc, neque projiciet huc sagittam: neque praeoccupabit eam clypeo, neque effundet juxta eam aggerem. 34. Per viam, per quam venit, revertetur: & in civitatem hanc non ingredietur, dixit Dominus. 35. Et protegam civitatem hanc ad servandum eam propter me, & propter Davidem servum meum. 36. Et egressus est Angelus Domini, & percussit in castris Assyriae centum & octoginta & quinque millia: & surrexerunt in mane, & ecce omnes illi *erant* cadavera mortua. 37. Et profectus est & abiit, & reversus est Sancheribus rex Assyriae: & habitavit in Nineve. 38. Et fuit quum adoraret *in* domo τȣ Nisroc Dei sui, Adramelec & Saretzer filii ejus percusserunt eum cum gladio, & ipsi evaserunt *in* terram Ararat: & regnavit Esar = Chaddon filius ejus pro eo.

COM-

COMMENTARIUS.

V. 14.... ET *legit eam*, scil. unamquamque ex litteris, sic in Regibus *& legit eas*: 2. *Reg.* 19. *v.* 14. & ita utrobique dicitur *& expandit eam*: Jonatan ויקראהו reddit *& legit unam ex eis*: dominus verò Pater meus b. m. interpretatur *& legit eam*... *& expandit eam* de littera illa, in qua erant contumeliae & convitia in Deum.

V. 18. ...*omnes terras & terram suam*: juxta Targum *provincias & terras earum*, h. e. civitates & pagos.

V. 30. שחים, in Regibus סחיש, significatio verò eadem est, veluti כשב & כבש, שמלה & שלמה.

JESAIAE CAP. XXXVIII.

1. IN diebus illis aegrotavit Ezechias ad moriendum:
& venit Jesaias filius Amotzi propheta, dixitque
ad eum, sic ait Dominus, praecipe domui tuae, quia
morieris, & non vives *reconvalesces*. 2. Et convertit Eze-
chias faciem suam ad parietem: & oravit ad Dominum.
3. Et dixit, obsecro Domine, memento quaeso, quòd
ambulaverim coram te in veritate & in corde perfecto,
& bonum in oculis tuis fecerim: & flevit Ezechias fletu
magno. 4. Et fuit verbum Domini ad Jesaiam dicendo.
5. Vade & dices *dic* ad Ezechiam, sic ait Dominus Deus
Davidis patris tui, audivi orationem tuam, vidi lacry-
mas tuas: ecce ego addo diebus tuis quindecim annos.
6. Et de manu regis Assyriae eruam te, & civitatem hanc:
& protegam urbem hanc. 7. Et hoc tibi signum a Do-
mino, quòd facturus sit Dominus verbum hoc, quod lo-
quutus est. 8. Ecce ego reverti facio umbram graduum,
quibus descendit in gradibus Achazi in sole, retrorsum
decem gradibus: & reversus est sol decem gradibus per
gradus, quibus descenderat. 9. Scriptura Ezechiae regis

Jehu-

Jehudae, quum aegrotasset, & sanatus est de infirmitate sua. 10. Ego dixi, in excisione dierum meorum vadam ad portas sepulchri: defui *privatus sum* residuo annorum meorum: 11. Dixi, non videbo Dominum Deum in terra viventium: non aspiciam hominem ultra cum habitatoribus temporis *aevi*. 12. Incolatus meus profectus est & migravit a me ut tabernaculum pastoris: praecidi ut texens vitam meam, prae attenuatione succîdet me, a die usque ad noctem consumes me. 13. Posui usque ad mane, ut leo sic conterebat omnia ossa mea: a die usque ad noctem consumes me. 14. Sicut grus *&* hirundo sic garriebam, gemebam ut columba: elevati erant oculi mei in excelsum, Domine *aegritudo* oppressit me, quiescere fac me. 15. Quid loquar? & dixit mihi, & ipse fecit: commovebor omnibus annis meis super amaritudine animae meae. 16. Domine ultra eos vivent: & omnibus *annunciabo*, *quòd* in illis *est additio* vitae spiritus mei, & sanabis me, & vivificabis me. 17. Ecce propter pacem, *quae non erat mihi*, *fuit* amaritudo mihi, amaritudo: & tu amavisti animam meam a fovea consumptionis, quia projecisti post tergum tuum omnia peccata mea. 18. Quia non sepulchrum confitebitur tibi, *neque* mors laudabit te: non expectabunt *corpora* descendentia in foveam veritatem tuam. 19. Vivens vivens ipse confitebitur tibi sicut ego hodie: pater filiis notam faciet veritatem tuam, 20. Dominus ad salvandum me: & modulamina mea modulabimur omnibus diebus vitae nostrae super *in* domo Domini. 21. Et dixit Jesaias, tollant massam ficuum: & alligent super inflammationem, & sanabitur. 22. Et dixit Ezechias, quodnam signum, quòd ascendam domum Domini?

COMMENTARIUS.

V. 9. *Scriptura :* scripsit hanc gratiarum actionem, postquam convaluit a morbo suo, & ascendit domum Domini. Dixit hanc gratiarum actionem, ut esset in memoriam misericordiae, quam fecit cum eo Deus, qui addidit super diebus ipsius. In Regibus & in Paralipomenis explicatur additio dierum. ויחי hìc significat sanationem, veluti *donec sanaretur*, *Jehos.* 5. v. 8.

V. 10. *Ego dixi :* בדמי ימי in excisione dierum meorum, siquidem non erat nisi triginta & novem annorum, sic *& excidam*, *Hos.* 4. *v.* 5. pariter ait *vae mihi*, *quoniam excisus sum*, *Jes.* 6. *v.* 5. & similia his in significatione excisionis. Ait, quando dixit mihi Propheta *quia morieris*, *& non vives*. *v.* 1. ego recogitabam, quomodo ibo in excisione dierum meorum ad sepulchrum ante tempus meum, & quomodo privatus sum residuo annorum meorum? vita enim hominis extenditur ut plurimum ultra quinquaginta annos. Dixerunt Magistri nostri f. m. quòd moriente aliquo ante quinquaginta annos, haec dicitur mors excisionis. פקדתי defui, privatus sum, & ita *unumquodque cum socio suo non defuerunt*, *Jes.* 34. *v.* 16. *& non defuit ex nobis quisquam*. *Num.* 31. *v.* 49. & similia his in significatione defectus.

V. 11. *Dixi*, *non videbo Dominum :* explicat Magister noster Saadias in significatione confessionis, & rectum est, quia videre Deum consistit in confessione, & laudatione coram ipso, & meditatione attributorum ejus: dominus verò Pater meus f. m. exponit, non videbo habitationem Domini, i. e. domum Sanctuarii, & ecce explicat, quid sit illud *non videbo Dominum in terra viventium*, videlicet in hoc Mundo, ubi est visio mentis, & visio oculi; visio mentis respicit Deum, dum verò postea subdit, & ait *non aspiciam hominem ultra*, innuit visionem oculi. *cum habitatoribus temporis*, cum habitatoribus saeculi hujus, quod appellatur הדל & חלד, ut כבש & כשב.

V. 12. דורי, i. e. incolatus meus, & ita *magis quam incolere in tabernaculis impietatis*. *Psal.* 84. *v.* 11. dixi, quòd incolatus meus in Mundo hoc profectus est a me. *& migravit a me*, מני pro ממני. *ut tabernaculum pastoris*, רעי pro רועה, He tertia radicalis Verbi mutata est in Jod: sensus igitur est, more pastoris transferentis tabernaculum suum de loco in locum. ונגלה significat migrationem, seu vagationem. *praecidi ut texens vitam meam*, dixi, quòd praecidi vitam meam ut texens, qui praecidit telam, postquam est perfecta textura. קפדתי significat praecisionem, veluti *Praecisio venit*, *Ezech.* 7. *v.* 25. ubi קפדה significat praecisionem; dicens verò *praecidi*, vult dicere, ego causavi praecisionem cum iniquitatibus meis. *prae attenuatione*

tione succidet me, dixi quòd ex morbo hoc faciet me mori Deus: *prae attenuatione*, i. e. ex infirmitate, veluti *cur tu sic attenuatus fili regis?* 2. *Sam.* 13. *v.* 4. scilicet infirmus. יבצעני significatio succisionis, veluti *solvat manum suam, & succidat me*. *Job.* 6. *v.* 9. & ita illud *Seca eam frusta*, *Lev.* 2. *v.* 6. Chaldaeus reddit בצע יתה בצועין. *a die usque ad noctem consumes me*, in die morbi dixi, quòd usque ad noctem consumes me, h. e. consumes dies meos. Dum verò dicit *succidet me*, ac postea *consumes me*, ita mos est Scripturae, loqui in uno eodemque versu in persona secunda & in persona non secunda, veluti *audite populi omnes illi*. 1. *Reg.* 22. *v.* 28. & alibi praeterea.

V. 13. *Posui usque ad mane:* שויתי ut שמתי; quum essem in vespera, & vidissem me non esse adhuc mortuum, posui tempus meum usque ad mane, verùm ecce in nocte adeo gravis factus est morbus meus, ut contriverit omnia ossa mea instar leonis, qui frangit ossa ferae direptae ore suo, & existimavi, quòd a die usque ad finem noctis (idque est, quod ait *usque ad mane*) consumpturus esses me, nimirum consumpturus esses tempus meum, & morerer. Alii interpretantur כארי כן ישבר de allisione ossium, non de fractione eorum, idque propter febrem, quia leonem capit febris quotidie, cujus causa est ei ossium allisio.

V. 14. *Sicut grus hirundo*: deest Vau servile, pro *sicut grus & hirundo*, & ita *Sol Luna Chab.* 3. *v.* 11. *Reuben Simeon Exod.* 1. *v.* 2. & similia hisce. סוס est avis, & in Jeremia scriptum est cum Jod *& turtur & grus & hirundo*, *Jer.* 8. *v.* 7. ubi Jonatan reddit כורכיא, & ita in Verbis Magistrorum nostrorum f. m. „ Surrexit Resc Lakkisc, „ & vociferatus est instar gruis „ Rascius interpretatur *Grua*, ut vulgò vocant: alteram vocem ועגור reddit Jonatan וסנוניתא, & est סנונית illud, cujus mentio habetur in Verbis Magistrorum nostrorum f. m. Doctor noster Hai interpretatur Arabicè خطاف, vulgò vocant *Rondine*. Hìc autem Jonatan vertit כסוס עגור in communiori & simpliciori sensu, juxta illud *equum & ascensorem ejus Exod.* 15. *v.* 1. *&* 21. nimirum *sicut equus, qui captus est, hinnit, sic hinniebam*, reddit enim עגור in significatione hinnitus; vox verò מנצף inversa est in Verbis Magistrorum nostrorum f. m. „ סוס שצנף Equus qui „ hinnit „ Ait igitur, ego in morbo meo garriebam ut aves, & gemebam ut columba, talis enim est rugitus seu gemitus aegroti in morbo suo. *elevati erant oculi mei in excelsum*, propter aegritudinem meam gravem elevati erant oculi mei in excelsum, h. e. ad Deum, qui est in excelso, & dixi ei, oppressit me aegritudo mea. *quiescere fac me*, scilicet tu, veluti *quiescere fac servum tuum in bonum: Psal.* 119. *v.* 122. in significatione quietis ac tranquillitatis. Licet etiam exponere עשקה per modum Imperativum, quamquam littera Ain non

sit chatuphata, sed legitur cum accentu Maarich, sicuti *Custodi animam meam, quoniam probus sum*: *Psal.* 86. *v.* 2. & significatio ejus est significatio additionis & incrementi, & ita in Verbis Magistrorum nostrorum f. m. „ Adjunge dorso, seu corpori tuo, & aequa ventri „ tuo „ ait igitur, adde mihi super dies meos, & quiesce fac me. דלו עיני significatio elevationis, in qua significatione alibi invenitur adhibita radix דלה *Exaltabo te Domine, quoniam elevasti me*. *Psal.* 30. *v.* 1. & similia huic: de elevatione verò oculorum dictum est *Ad te levavi oculos meos, qui habitas in Coelis*. *Psal.* 123. *v.* 1. quia Deus appellatur Habitator Coelorum, & quamvis non sit ei locus, tamen gloria ejus magna apparet in Coelis.

V. 15. *Quid loquar*? quid potero loqui in laudatione coram eo? *& dixit mihi*, per Prophetam, quòd reconvalescam a morbo hoc, & ascendam Domum Domini die tertio. *& ipse fecit*, & ita pariter fecit additionem annorum: igitur nil aliud erit mihi faciendum, nisi quòd commemorem hoc omnibus annis meis, & ob hoc gratias agam Deo, qui eripuit me a morte. אדדה explicatur juxta illud, quod habetur in Verbis Magistrorum nostrorum f. m. „ mulier, quae ducit filium suum „ nimirum in significatione motus paulatim, & ita mos est hominis, quando recordatur alicujus calamitatis, quae transiit super ipsum, & liberatus est ab ea, movet caput suum. *super amaritudine animae meae*, i. e. super amaritudine animae meae, quae fuit mihi, & ex qua liberatus sum.

V. 16. *Domine ultra eos vivent*: ait, nunc cognovi, quòd ultra eos vivent, i. e. ultra dies determinatos homini poterunt vivere, si talis sit voluntas tua, ut mihi successit, jam enim completi erant dies mei constituti, & tu addidisti super eos quindecim annos. *& omnibus &c.* omnibus annunciabo, & dicam, quòd *in illis*, i. e. in annis meis, est additio vitae spiritus mei. *& sanabis me, & vivificabis me*, haec est replicatio ejusdem rei cum vocabulis diversis, & est significatio sanitatis, nimirum quòd ero sanus in hisce annis.

V. 17. *Ecce propter pacem*: ecce in morbo meo fuit mihi amaritudo propter pacem, quae non erat mihi. Sapiens verò R. Abrahamus Aben Ezra הנה לשלום interpretatur, quando eram in dimidio dierum meorum, quia novem & triginta annorum erat, quando aegrotavit. Quòd si praevaleat bilis rubra (i. e. atra) in temperamento hominis, semper aegrotus erit in juventute sua, & sanus in senectute sua, contra ea verò si praevaleat humor albus, erit in mediis annis sanus. *& tu amavisti animam meam a fovea consumptionis*, amavisti animam meam, ut eam eriperes a fovea consumptionis, i. e. a sepulchro, in quo consumitur corpus hominis. *quia projecisti*, quamvis fuerim reus ob iniquitates meas & peccata mea, tamen tu projecisti ea post tergum tuum: hoc dicit per similitudinem, sicuti quis projicit aliquid post tergum suum, ne videat illud,

V. 18.

V. 18. *Quia non sepulcbrum confitebitur tibi*: bis ac ter repetit eamdem rem cum dictionibus diversis ad roborandum significatum: ait, bonum est, quòd vivere facias homines, quum clamant ad te in ipsorum conversione a peccatis suis, quia confitebuntur tibi in vita sua, nequaquam verò confitebuntur tibi in morte sua. De corpore autem dicit, quòd moritur, non verò de anima, quae vivet etiam post mortem corporis. *mors*, pro *neque mors*, dictio enim *non* semel adhibita intelligitur repetita, ut alibi pluries. *non expectabunt*, corpora, quae descendunt in foveam, non expectabunt veritatem tuam ad narrandam & anunciandam eam, ut viventes faciunt. Id verò non respicit revivificationem mortuorum, siquidem ipse non loquitur nisi de corporibus adhuc manentibus in sepulchro, & non omnia corpora reviviscent, neque surgent e sepulchro.

V. 19. *Vivens vivens*: omnes viventes confitebuntur tibi sicut ego hodie, si verò mortuus fuissem, non confiterer tibi in gratiarum actione oris, ut modò faciam: praeterea *pater filiis notam faciet veritatem tuam*, quòd si non sint ei filii, vivat, & sint ei filii, quibus notam faciat veritatem tuam, sicuti faciam ego, ac etiam si sint ei filii, per omne tempus, quo vivet cum eis, docebit illos, ac notam faciet eis; si sic, bonum est, quòd protrahas homini, & si aegrotet, quòd sanes eum a morbo suo, & gratias agat tibi ob bonum, quòd fecisti ei, & notum faciat filiis suis post se. Deduxerunt hinc Magistri nostri f. m. quòd Ezechias non habuit filios nisi post morbum suum. Quamquam verò gratiarum actio & cognitio nihil ei prosit ac juvet, quemadmodum ait *si justus sis, quid proderit ei? Job.* 35. *v.* 7. tamen postquam voluit, & creavit homines, hoc ipso voluit eos subsistere, & ambulare in via bona, & esse in illis scientiam ad intelligendas misericordias Creatoris, & ad agendas gratias coram ipso propter illas, haec enim est via bona, & quando eorum cor est rectum, juvat illos & auxiliatur eis ob hoc. אל אמתך pro את אמתך, & ita viceversa את ponitur pro אל, ut in illo *& ostendetur Sacerdoti*. *Lev.* 13. *v.* 49. & similia huic, & ita venit אל pro את, veluti *Narrabo decretum*, *Psal.* 2. *v.* 7. *& persequuti sunt Midjan*, *Jud.* 7. *v.* 25. Vel sensus est, notam faciet eis viam, per quam venire faciet eos ad veritatem tuam; misericordia verò, quam facit Deus cum hominibus, veritas est per se, quia ipse est misericordia magna, & hoc est ex attributis ejus, si sic, est veritas. Videtur autem, quòd Jonatan interpretatus sit dictionem אל ut cum Tzere, veluti *terras istas*, *Genes.* 26. *v.* 3. *&* 4. vertit enim *patres filiis suis annunciabunt potentiam tuam, & confitebuntur, dicentes, quòd omnia haec sint veritas*: & ita exponit sapiens R. Abrahamus Aben Ezra, & hic est sensus expositionis ejus, pater filiis notas faciet veritates istas. Ego verò miror in hoc, quum non viderim in libro ullo nisi אל punctatum cum Saegol, & conjunctum cum אמתך, ut alterum in *vers. praeced.* Masora etiam testatur, quòd אל אמתך bis

bis reperitur nimirum in verſ. *Quia non ſepulchrum confitebitur tibi*, & in verſ. *Vivens vivens*.

V. 20. *Dominus ad ſalvandum me*: Dominus dixit ſe ſervaturum me a morbo, & ita fecit, ſervavit enim me; eodem modo ſe habet Lamed in illis *ad occidendum eum cum aſtutia*, *Exod.* 21. *v.* 14. *ad cubandum cum filia Jaacobi*, *Geneſ.* 34. *v.* 7. & ſimilia his. *& modulamina mea modulabimur*, & ob ſalutem, qua ſalvavit me, gratias agam coram eo jugiter, & modulabimur ego & ſocii mei modulamina mea, quae compoſui propter ſalutem, omnibus diebus vitae noſtrae modulabimur ea. *ſuper domo Domini*, pro *in domo Domini*, etenim על habet ſignificationem Beth ſervilis, veluti *Et ſuper gladio tuo vives*, pro *in gladio tuo*, *Geneſ.* 27. *v.* 40. *Et pones ea ſuper caniſtro uno*, pro *in caniſtro uno*, *Exod.* 29. *v.* 3. *erue te ſuper anima tua*, pro *in anima tua*, *Geneſ.* 19. *v.* 17.

V. 21. *Et dixit Jeſaias*: verſus hic & ſequens non ſunt ex ſcriptura, neque ullam inveni rationem, cur adſcripti ſint hic poſt ſcripturam, quia propriè locandi erant ſuperius poſt *Et protegam civitatem hanc*, *cap.* 37. *v.* 35. & ita ſunt in libro Regum. *maſſam ficuum*, hoc fuit ſignum in medio ſigni (h. e. duplex miraculum) nam ficus obſunt inflammationi. וימרחו ſignificat ligare, faſciare. ויחי *& ſanabitur*, veluti *donec ſanarentur*, *Jehoſ.* 5. *v.* 8.

V. 22. *Et dixit Ezechias*: quia ſuperiùs dixerat Jeſaias *Et hoc tibi ſignum v.* 7. idcirco Ezechias petit ab Jeſaia dicens ei *quodnam ſignum*, *quòd aſcendam domum Domini*, videlicet quòd ſanabor, & aſcendam domum Domini, ut tu dicis?

JESAIAE CAP. XXXIX.

1. IN tempore illo miſit Merodac = Baladanus filius Baladani rex Babylonis literas & munus ad Ezechiam: audierat enim, quòd aegrotaſſet, & convaluiſſet. 2. Et laetatus eſt ſuper eis Ezechias, & oſtendit eis domum rerum deſiderabilium, argentum & aurum & aromata & unguentum optimum, & omnem domum vaſorum ſuorum, & omne quod inventum eſt in theſauris ſuis: non fuit quidquam, quod non oſtenderit eis Ezechias in domo ſuo, & in omni dominatione ſua. 3. Et introivit Jeſaias Propheta ad regem Ezechiam: & dixit ad eum,

quid

quid dixerunt viri isti, & unde venerunt ad te? & dixit Ezechias, de terra longinqua venerunt ad me, de Babylone. 4. Et dixit, quid viderunt in domo tua? & dixit Ezechias, omnia, quae *sunt* in domo mea, viderunt, non fuit quidquam, quod non ostenderim eis, in thesauris meis. 5. Et dixit Jesaias ad Ezechiam: audi verbum Domini exercituum. 6. Ecce dies venient, & tolletur omne, quod *est* in domo tua, & quae reconderunt patres tui usque ad diem hanc, *in* Babylonem: non relinquetur quidquam, ait Dominus. 7. Et de filiis tuis, qui exibunt de te, quos genueris, tollent: & erunt eunuchi in palatio regis Babylonis. 8. Et dixit Ezechias ad Jesaiam, bonum verbum Domini, quod loquutus es: & dixit, quia erit pax & veritas in diebus meis.

COMMENTARIUS.

V. 1. IN *tempore illo*: parasciam hanc quoque explicavi in libro Regum dilucidatione bona 2. *Reg.* 20. *v.* 12. *& seqq.*

JESAIAE CAP. XL.

1. CONsolamini consolamini populum meum: dicit Deus vester. 2. Loquimini ad cor Jerosolymae, & clamate ad eam, quòd implevit tempus suum, quòd absoluta est iniquitas *punitio iniquitatis* ejus: nam suscepit de manu Domini duplicia pro omnibus peccatis suis. 3. Vox clamantis in deserto, complanate viam Domini: rectam facite in solitudine semitam *viam aggestam* Deo nostro. 4. Omnis vallis elevabitur, & omnis mons & collis humiliabuntur: & erit perversum in rectitudinem, & altitudines *salebrae* in convallem *planiciem*. 5. Et revelabitur gloria Domini: & videbunt omnis caro pariter,

quòd

quòd os Domini loquutum eſt. 6. Vox dicentis, clama, & dixit, quid clamabo? omnis caro gramen, & omnis miſericordia ejus ſicut flos agri. 7. Aruit gramen, cecidit flos, quia ſpiritus *ventus* Domini ſufflavit in eum: ſanè gramen *eſt* populus. 8. Aruit gramen, cecidit flos: verbum autem Domini noſtri ſtabit in ſaeculum. 9. Super montem excelſum aſcende tibi nunciatrix Tzion, eleva cum vi vocem tuam nunciatrix Jeroſolyma: eleva, ne timeas, dic Civitatibus Jehudae, ecce Deus veſter. 10. Ecce Dominus Deus in forti veniet, & brachium ejus dominabitur ei: ecce merces ejus cum eo, & opus ejus coram ipſo. 11. Sicuti paſtor gregem ſuum paſcit, in brachio ſuo congregat agnos, & in ſinu ſuo portat: lactantes leniter deducit. 12. Quis menſus eſt in pugillo ſuo aquas, & Coelos in palmo *ſpithama* direxit *expendit*, & menſuravit in menſura magna *ternaria* pulverem terrae? & ponderavit in ſtatera montes, & colles in bilancibus? 13. Quis direxit ſpiritum Domini: & *quis* vir conſilium ſuum oſtendit ei? 14. Cum quo communicavit conſilium, & *quis* inſtruxit eum, & docuit eum in ſemita diſpoſitionis: & erudivit eum ſcientia, & viam intelligentiarum oſtendit ei. 15. Ecce gentes ſicut gutta e ſitula, & ſicut pulvis tenuiſſimus bilancium reputatae ſunt: ecce inſulas tanquam rem minutiſſimam attollet *ac projiciet*. 16. Et Libanus non *erit* ſufficiens *ad* comburendum: & beſtia ejus non *erit* ſufficiens *pro* holocauſto. 17. Omnes gentes ſicut nihil *ſunt* coram eo: minus quam nihil & inanitas reputatae ſunt ei. 18. Et cui aſſimilabitis Deum? & quid ſimilitudinis aptabitis ei? 19. Sculptile operuit *fudit* faber, & aurifex in auro expandet illud: & catenas argenteas *ponet in illo* argentarius. 20. Depauperatus *pro* oblatione (*donariis*, *anathematibus*) lignum, quod non putreſcat, eliget: artificem ſapientem quaeret ſibi ad firmandum ſculptile, ne moveatur. 21. Nonne ſcitis? nonne auditis? nonne indicatum eſt a principio vobis? non intellexiſtis funda-

menta

menta terrae? 22. Qui ſedet ſuper ambitum *circulum* terrae, & habitatores ejus ut locuſtae: qui extendit veluti telam Coelos, & expandit eos ſicuti tentorium ad habitandum. 23. Qui ponit principes in nihilum: judices terrae velut inane fecit. 24. Etiam non plantati ſunt, etiam non ſati ſunt, etiam non radicavit in terra truncus eorum: & inſuper flavit in eos, & aruerunt, & turbo tanquam ſtipulam auferet eos. 25. Et cui aſſimilabitis me, & aequabor? dicit Sanctus. 26. Levate in excelſum oculos veſtros, & videte, quis creavit haec, qui educit in numero exercitum eorum: omnia haec per nomen vocat, prae multitudine potentiarum & robuſta vi ullum non deficit. 27. Ut quid dicis Jaacobe, & loqueris Iſrael, abſcondita eſt via mea a Domino, & a Deo meo judicium meum tranſibit? 28. Nonne noſti? an non audiviſti? judex ſaeculi Dominus, qui creat terminos terrae, non laſſabitur neque defatigabitur: non *eſt* inveſtigatio intelligentiae ejus. 29. Qui dat laſſo fortitudinem: & cui non ſunt vires, robur multiplicat. 30. Et laſſabuntur pueri & defatigabuntur: & juvenes *electi* corruendo corruent. 31. At ſperantes in Domino renovabunt robur, aſcendent alâ ſicut aquilae: current & non defatigabuntur, ibunt & non laſſabuntur.

COMMENTARIUS.

V. 1. *Conſolamini conſolamini:* univerſae iſtae conſolationes futurae ſunt in diebus Meſſiae, repetitio verò inſervit ad roborandum: vertit Jonatan *Prophetae prophetate conſolationes ſuper populum meum, dicit Deus veſter. Conſolamini*, & ita *Loquimini verſ. ſeq.* intelligendum eſt, ut explicavimus in verſ. *Confortate manus remiſſas: cap. 35. v. 3.*

V. 2. *Loquimini . . . .* צבאה tempus ſuum, & ita *Nonne tempus determinatum eſt homini ſuper terram? Job. 7. v. 1.* כי מלאה quòd complevit tempus ſuum, videlicet tempus, quo manendum erat ei in exilio: Jonatan vertit *quia futurum eſt, ut impleatur populo tranſmigrationis ſuae*, nimirum interpretatur צבאה juxta communiorem

 ſen-

fenfum ex illo *ad militandam militiam*, *Num.* 4. *v.* 23. כי נרצה עונה quoniam abfoluta eft punitio ejus, juxta illud *Tunc abfolvet terra fabbatha fua*, *Lev.* 26. *v.* 34. & ita עונה punitio ejus, veluti *quia non perfecta eft punitio Emorraei &c. Genef.* 15. *v.* 16. Jonatan vertit *quia dimittentur ei peccata fua .nam fufcepit de manu Domini duplicia pro omnibus peccatis fuis*, duplicatio poteft effe duabus vicibus ac pluribus, veluti *& duplicetur gladius tertiò*, *Ezech.* 21. *v.* 14. nimirum tribus vicibus duplicetur. Dum verò ait *duplicia*, vult dicere *bis*, ac loquitur de duabus migrationibus, quibus migraverunt Ifraelitae, fcil. migratione Babylonica, & migratione praefenti. At curnam accidit hoc? propter omnia peccata ejus. Sapiens verò R. Abrahamus Aben Ezra exponit duplicia prae calamitatibus, quas accepit ab omnibus gentibus: at dominus Pater meus f. m. interpretatur duplicia prae iniquitatibus fuis, & prae iniquitatibus patrum ipforum, quemadmodum ait Jeremias Propheta *Patres noftri peccaverunt, & non funt, & nos poenas iniquitatum eorum portavimus*. *Thr.* 5. *v.* 7. Jonatan vertit *quia fufcepit calicem confolationum a facie Domini, ac fi percuffa effet dupliciter pro omnibus peccatis fuis*.

V. 3. *Vox clamantis*: i. e. quafi vox clamantis; fenfus verborum *complanate* . . . *rectam facite* eft, quòd invenient in deferto ac in folitudine viam ftratam, quafi complanaviffent, ac rectam feciffent illis homines: illud verò *Deo noftro* hoc fibi vult, quod ipfe erit ductor populi hujus egredientis ab exilio.

V. 4. *Omnis vallis*: totum hoc eft per modum metaphorae, afcenfus enim ac defcenfus in montibus delaffant viatores, verùm ipfi non delaffabuntur neque defatigabuntur. *perverfum*, i. e. via tortuofa. *& altitudines*, i. e. colliculi viarum, nam *recasim* fignificat altitudines, veluti *ab altitudinibus viri*, *Pfal.* 31. *v.* 21.

V. 5. *Et revelabitur*: tunc quum egredientur de exilio in manu excelfa, & invenient etiam in deferto aquas, & quidquid erit eis neceffarium, ut ait *Non efurient neque fitient &c. Jef.* 49. *v.* 10. tum revelabit fe gloria Domini in oculis omnium populorum. *& videbunt omnis caro*, fcient omnes homines, quòd os Domini loquutum eft, quafi dicat, tum fcient, confolationes iftas, quas loquuti funt Prophetae, juxta os Domini loquutos effe, quando videbunt, quòd fubfiftent prophetiae, *& videbunt*, fignificatio fcientiae ac intelligentiae, vult enim dicere vifionem cordis, veluti *& cor meum vidit multum fapientiae ac fcientiae*. *Eccl.* 1. *v.* 16.

V. 6. *Vox dicentis* קרא, i. e. quafi vox clamantis, vel fenfus ejus eft, vox prophetiae clamabat ad Prophetam dicens *clama*: dixit Propheta, quid clamabo? refpondit ei vox, clama & dic, quòd omnis caro gramen, quod quidem dicit de gentibus, quae venient cum Gogo & Magogo, quae morientur pleraeque. Illud autem *omnis caro*, eft per modum hyperboles, ut illud *& omnis terra venerunt in*

Ae-

Aegyptum Genes. 41. *v.* 57. & similia huic. Illud verò *& omnis misericordia ejus* hoc sibi vult, quòd etiamsi fecerint misericordias multas, tamen non commemorabuntur pro illis, quia iniquitates eorum nimis multae sunt, ac praeterea quia mala intulerunt Israelitis, pro quibus accipient mulctam. Assimilat verò eas gramini a flori agri, quia citò arescunt, & flos insuper flante vento decidit.

V. 7. *Aruit:* Praeteritum pro Futuro juxta morem, & in verbis prophetiae saepissime.

V. 8. *Aruit:* iterum repetit eamdem rem ad roborandum significatum. *verbum autem Domini nostri*, nimirum quod loqutus est per Prophetas suos.

V. 9. *Super montem excelsum:* per modum similitudinis, etenim qui vult facere audire vocem suam, ascendit in locum excelsum. Quia Jerosolyma est Metropolis terrae Israelis, & consequenter etiam Tzion, eo quòd utraque sit civitas una, idcirco posuit eas in verbis prophetiae, quasi esse debeant nunciae caeteris civitatibus. מבשרת ציון tu o Tzion nunciatrix, & ita מבשרת ירושלם. *ne timeas*, ne paveas nunciare ac dicere civitatibus Jehudae, ecce Deus vester, omnibus enim modis veniet, scilicet gloria ejus, quae revertetur in Jerosolymam: meminit verò Jehudae propter Jerosolymam, & adhuc quia regnum pertinebat ad Jehudam.

V. 10. *Ecce Dominus in forti veniet:* i. e. in manu forti, quia non egebit manu alia, nisi manu sua valida. *& brachium ejus dominabitur ei*, i. e. sibimetipsi, stabit enim ei ad dominandum in populis. בחזק est Toar manus, licet sit generis masculei, nam interdum reperitur יד etiam in genere masculino, veluti *& ecce in ea volumen libri*. *Ezech.* 2. *v.* 9. *merces ejus*, quam dabit sperantibus in ipsum in exilio. *& opus ejus*, merces operis operantibus veritatem, ideoque est opus ejus simulque opus eorum, & ita *constitui regem meum*, *Ps.* 2. *v.* 6. *rex meus ab initio*: *Psal.* 74. *v.* 12. *in domo orationis meae*. *Jes.* 56. *v.* 7. *exaudivi orationem tuam*, *Jes.* 38. *v.* 5. & similia hisce. Defectus verò vocis *merces* ab opere suo est ut in illo *non pernoctabit opus mercenarii*, *Lev.* 19. *v.* 13. i. e. merces operis mercenarii.

V. 11. *Sicuti pastor gregem suum:* sicuti pastor bonus, qui pascit gregem suum, quique congregat agnos parvos, qui nequeunt adhuc incedere ut reliquum pecus, colligit enim hinc unum, & inde alterum, ac attollit eos in sinum suum, lactantes verò, i. e. eorum matres, ducit leniter, & non urget neque impellit; sic Sanctus ille benedictus ducet Israelitas ab exilio leniter, ac fulciet & sustentabit omnem aegrum & omnem perfractum. Appellantur verò Matres עלות a nomine filiorum suorum, quando sunt parvuli, sicuti *parvulus dierum*, *Jes.* 65. *v.* 20. qui innituntur matribus suis sugendi gratia. Dominus verò Pater meus f. m. subtiliter inquirens in vocem עורו ait,

 quòd

quòd pastor majorem habet rationem gregis, qui est ipsius, quam gregis, quem custodit pro mercede.

V. 12. *Quis mensus est*: ait, ne mirentur gentes, si educam Israelitas de servitute ipsarum, quam servierunt in earum potestate per tot annos, nam is, qui creavit Mundum ex nihilo, poterit facere hoc, idcirco dixit *Quis mensus est in pugillo suo aquas?* שעלו significat pugnum suum, idque est per modum similitudinis, etenim non est ei manus neque pugnus, sit benedictus iterumque benedictus. Ait *mensus est*, quia aquae sunt in loco congregationis, sicut enim qui vult mensurare aquas, ponit eas in vase, ut noscat mensuram earum, ita posuit Deus aquas in loco ipsarum, & scivit mensuram earum. Quia verò Coeli sunt expansi, ideo usus est in eis mensura palmi, nam res expansa mensurari solet cum palmo & calamo: addidit *direxit* propter extensionem, quae opus habet directione, quemadmodum scriptum est *& expandit eos sicut tentorium ad habitandum. infr. v. 22.* וכל *& mensuravit*, sic illud *Et mensi sunt in Omer, Exod. 16. v. 18.* vertit Jonatan וכלו בעומרא . שליש significat mensuram magnam, & ita *in lacrymis mensura magna. Ps. 80. v. 6.* פלס est virga ferrea signata punctis, quibus noscitur pondus. מאזנים notum est, quid significet. Ait *& mensuravit in mensura magna pulverem terrae*, quasi sit mensuratus apud ipsum; & ita *montes & colles*, perinde ac si sint ponderati apud ipsum, quia omnia creavit in quantitate bona & mensura recta, quemadmodum ait *Et vidit Deus omne*, *quod fecerat*, *& ecce bonum valde: Gen. 1. v. 31.* Is igitur, qui fecit haec omnia absque auxiliatore, poterit educere Israelitas de manu fortiorum ipsis. E quatuor verò elementis commemoravit tria, Coelos enim posuit pro elemento ignis, eo quod juxta opinionem multorum sint ex elemento ignis; & quamvis sint veluti elementum quintum juxta Verba Aristotelis, hic tamen commemorat eos pro elemento ignis, quia proximum est orbi Lunari. Non commemoravit autem elementum venti (i. e. aeris) quia non videtur, licèt sit sensibile, significatus enim hujusce versus non dictus fuit nisi pro stultis, qui non credunt nisi id, quod vident, idcirco mentionem fecit trium elementorum, quae videntur. Verùm sapientes non mirabuntur in hoc, si educet Deus Israelitas de exilio, eoquòd sciant per sapientiam suam, quòd non est abbreviata manus Dei a salvando. Alii sentiunt, quòd faciat mentionem etiam venti, & illud מי תכן את רוח יהוה ita exponunt, *Quis expendit ventum? Dominus*, nimirum quòd vox יהוה sit responsio ad interrogationem, neque dictio רוח sit conjuncta cum יהוה. At sapiens R. Abrahamus filius Ezrae exponit hoc in significatione conjunctionis juxta illud *& spiritus Dei motabat Gen. 1. v. 2.* Mea verò sententia Coeli, quos commemoravit, stant pro duobus elementis superioribus, i. e. pro elemento ignis, ut explicavimus, & pro elemento aeris, quod appellatur Coelum, ut scriptum est *Et vocavit Deus expansionem Coelos*: *Genes.*

Genes. 1. *v.* 8. Conjunxit autem haec tria elementa ipsimet dicens *in pugno suo*, & *in palmo*, quia sunt superiora, & quamvis aquae sint inferiores, interdum tamen ascendunt ut nubes; at elementum terrae, quod est infimum omnium & gravissimum, conjunxit rei extra ipsum *in mensura magna*, & *in statera*, & *in bilancibus*, licèt hoc & illud fit per modum similitudinis, ut explicavimus.

V. 13. *Quis direxit spiritum Domini*: quando fecit omnia haec, quis direxit spiritum ejus? siquidem *& anima ejus voluit, & fecit*. *Job.* 23. *v.* 13. Non erant adhuc Angeli, multò minus homines, qui dirigerent spiritum ejus, quique ostenderent ei consilium suum, quando fecit Mundum, & dicerent ei, sic facies; & ita dictum est *extendens Coelos solus*, *Job.* 9. *v.* 8. Pronomen verò *Quis* intelligitur repetitum, ac si dicat *& quis vir consilium suum ostendit ei?* insuper repetit eamdem rem, & ait:

V. 14. *Cum quo communicavit consilium, & quis instruxit eum* . . . . בארח משפט, scilicet in via dispositionis Mundi quis docuit eum? & ita *& palatium juxta dispositionem ejus habitabitur*. *Jer.* 30. *v.* 18. pariter *secundum dispositionem priorem*, *Gens.* 40. *v.* 13. & similia his.

V. 15. *Ecce gentes*: quum haec omnia fecerit absque adjutore ac doctore, quomodo poterant gentes prohibere eum, ne educat Israelitas de medio ipsarum? nonne omnes illae sunt coram eo veluti stilla e situla? i. e. res minima respectu aquarum situlae. Facit autem mentionem situlae, quia stilla cadit e situla, quando hauriunt aquas. *& sicut pulvis tenuissimus bilancium*, quae res minima est, & sufflatione levissima dissipatur pulvis ille minutus, qui est in bilancibus. *ecce insulas tanquam rem minutissimam attollet*, quando voluerit, omnes insulas attollet, ac postea projiciet, & subvertet veluti rem minutam. Jonatan reddit *ecce insulae quasi favilla, quae volat*, nimirum interpretatur יטול per Verbum intransitivum, si sic, est ex conjugatione Niphal e radice טיל, & ita scripsit etiam R. Jehudas.

V. 16. *Et Libanus*: gentibus, quae ita opinantur de me, quaeque dicunt non esse mihi potentiam educendi Israelitas de manu ipsarum, non expiabitur per holocausta, quantavis offerant coram me; quando enim videbunt me educentem illos, poenitebit eas illius, quod dixerunt. Omnia ligna Libani ad accendendum ignem, & omnes bestiae Libani, quae crementur in holocaustum coram me, non sufficient illis. Dum verò commemorat Libanum, loquitur de re afferri solita pro exemplo, quia est nemus in terra Israelis.

V. 17. *Omnes gentes*.. מאפס, i. e. minus quam nihil, juxta illud *leviores sunt vanitate pariter*. *Psal.* 62. *v.* 10.

V. 18. *Et cui*: vos existimatis, quòd sicut Divinitatibus vestris non est potentia liberandi, sic etiam Deo, absit, quòd assimiletis aut aequetis illas ei, quia sculptile, quod vos facitis Deum, opus manuum hominum est.

V. 19.

V. 19. *Sculptile operuit:* נסך hìc significat operitionem, quasi dicat, quòd fecit sculptile e lapide aut e ligno, & postea operuit illud auro vel argento; vel habet significationem fusurae, & significatio ejus refertur ad argentum & aurum. ***expandet illud***, veluti ***& expanderunt bracteas aureas*** *Exod.* 39. *v.* 3. ורתוקות כסף & catenas argenteas, veluti *Fac catenam*, *Ezech.* 7. *v.* 23. quamvis non sit ejusdem formae. צורף argentarius, qui ponit in illo catenas argenteas: Jonatan vertit ***& catenis argenteis argentarius conjungit illud***.

V. 20. *Depauperatus oblatione*: מסכן intelligendum juxta illud *puer pauper*, *Eccles.* 4. *v.* 13. nam superius meminerat aurum & argentum, pro quibus intelliguntur divites, qui faciunt sculptilia ex auro & argento, sed pauper, qui non potest facere ex auro & argento, eligit sibi lignum bonum, quod non putrescat, & ex eo facit sculptile suum, tanta est fiducia eorum in sculptile.

V. 21. *Nonne scitis?* alloquitur cultores sculptilium, quomodo potestis errare in hoc, ut colatis sculptile? num istud est Dominus Mundi? numquid non scitis ex scientia vestra, quis sit Dominus Mundi? quòd si non sciatis hoc ex scientia vestra, nonne auditis ex eo, quod homines legunt in Libris? quòd si neque hinc, neque inde contigit scire, nonne indicata fuit ab initio vobis Kabbala, non audivistis rationem Kabbalae, quae est a principio a diebus antiquis? per haec enim tria scit homo, aut enim intelligit ex se, aut apprehendit ab eo, qui ipsum docet, aut denique audit ab eo, qui indicat rationem Kabbalae. Deinde iterum ait ***nonne intellexistis fundamenta terrae?*** quasi dicat, si est vobis scientia ad intelligendum, potestis intelligere a fundamentis terrae. Immorabimur aliquantulum in hac materia, & dicemus, quòd cultores sculptilium non credebant, quòd lapis, aut lignum, aut aurum, aut argentum illud creaverit Mundum, quòdque sit Dominus Mundi, non veniet cuiquam in mentem, quòd sit aliquis in Mundo adeo stultus, qui credat hoc, verùm sculptilia ab initio facta fuerunt propter aliquam ex stellis aut ex figuris superioribus, siquidem opinabantur ab initio factores se elicere virtutem stellae illius super figuram illam, & colentem hujusmodi figuram perinde agere, ac si coleret stellam, & stellas gubernare Mundum inferiorem, ideoque opus esse colere illas, donec sculpta est res ista in cordibus hominum, nimirum quòd colendae sint imagines, neque animadvertebant ad id, quod faciebant initio, verùm existimabant hujusmodi imaginem factam ex lapide, vel ligno, vel alia quacumque re, quandoquidem facta erat in figura illa, benè ac malè facere, & alii in figura alia. Idcirco igitur priores erraverunt in opinione sua, posteriores verò erraverunt absque scientia, & hac de re coarguebant eos Prophetae, quemadmodum ait ***Et non reducet ad cor suum &c...... dimidium ejus combussi in igne***, *Jes.* 44. *v.* 19. item dicit ***e loco suo non movebit se***. *Jes.* 46. *v.* 7. pariter ***nares sunt eis, & non odorabunt &c.*** *Psal.* 115. *v.* 6. unde

de videtur eos credere hujusmodi imagines benè ac malè facere, idcirco offerebant illis libabant & suffumigabant, neque existimant Mundo esse Creatorem, qui eum regit, ipsumque bonis afficere probos, & malis improbos, sed Mundum esse, prout fuit, nimirum absque Creatore & Gubernatore instar rei, quae acciderit casu. De rebus verò his, quas nos colimus & veneramur, dicunt ita fecisse Patres nostros, & ob hujusmodi cultum & venerationem extitisse felices, & ita nos post illos. Eodem modo opinantur de rebus ac operationibus multis, quas faciunt, ita dicunt, res haec prodest vel nocet, aegritudinem vel valetudinem affert, neque tamen hujusmodi res sunt ex ratione sapientiae, neque medicinae, neque alicujus ex virtutibus notis, sed ita fieri consuevit de generatione in generationem, ac opinantur res hujusmodi esse radicem, h. e. suapte natura operari, neque opus esse requirere Creatorem, aut Gubernatorem, aut Directorem, atque haec sunt dogmata Emorraeorum, quorum meminerunt Magistri nostri f. m. Verùm is, qui per scientiam suam satagit cognoscere Mundum generaliter & particulariter, intelligit Mundo esse Gubernatorem, ipsumque esse quaerendum, idcirco ait Propheta veluti coram cultoribus sculptilium *nonne intellexistis fundamenta terrae?* quasi dicat, si inest vobis scientia ad intelligendum, potestis intelligere a fundamentis terrae & a Coelis, quemadmodum ait *qui extendit veluti telam Coelos, vers. seq.* & a stellis, quemadmodum etiam ait postea. Ait igitur Propheta, ex omnibus hisce potestis intelligere, Mundo esse Gubernatorem, qui gubernat, & creavit illum ordine ordinato, neque accidisse ita casu. Fundamenta verò terrae sunt quatuor elementa ignis, aer, aqua, terra, & omnia creata, quae sunt super terram, proveniunt ex quatuor elementis hisce permixtis, inter quae tamen est discrepantia, & unius natura diversa est a natura alterius; ignis enim est calidus & aridus, aqua e contrario frigida & humida, utrumque verò sphaericum alterum super altero, & aër, qui est inter utrumque, non prohibet ignem, neque aquam, ne transeant per medium ipsius: si sic, posuit terminum igni, ne descenderet de loco suo, & aquis, ne ascenderent e loco suo, donec sibi invicem occurrerent. Invenimus autem contrarietatem inter utrumque, & vincit praevalens, ut videmus in igne & in aqua, quae sunt inter nos, quando sibi invicem occurrunt: si sic, quis poterit dicere, hoc evenisse casu absque gubernatione gubernantis, qui posuit naturam in igne, ne descenderet, sed ascenderet, & in ascendendo pariter fixit ei terminum, siquidem non poterit ascendere nisi usque ad orbem Lunarem, quia posuit orbem Lunae validiorem in natura sua, quam orbem ignis, quia non potest ignis transire per illum, quamvis natura ipsius sit ascendere. Pariter posuit naturam in aqua, ut descenderet, non verò ascenderet, & in descensione ipsius fixit pariter terminum, ne descenderet nisi usque ad terram, posuit enim terrae constitutionem adeo validam ac duram, ut resistere posset aquis, quae sunt humidae ac tenues, licèt terra sit arida, neque pervadunt eam aquae. Et

ita

ita posuit aerem inter ignem & aquam, ut separaret ab invicem, idcirco aer est calidus & humens, similis in calore suo igni, in humiditate verò sua aquis. Quis igitur audebit negare, evenisse omnia haec per Dispositorem sapientem, qui posuit unumquodque ex hisce in ordine, quo possit subsistere, & unumquodque persistat in ordine suo, neque immutetur unquam? res verò casualis non est semper in una eademque dispositione stabili, verùm modò est sic, modò verò sic. Praeterea quatuor elementa sunt in uno eodemque corpore viventi permixta alterum cum altero, licèt eorum natura sit invicem contraria; quomodo igitur esse potest, ut alicui corpori pacificè insint, nisi adsit qui disponat & gubernet ipsorum ordinem ea ratione, ne praevaleat unum super alterum, ac stare faciat ista quatuor ut corpus unum, donec veniat tempus finis ejus? In corporibus quoque mortuis, ut puta in lapidibus & metallis, mixta sunt quatuor elementa in unoquoque illorum juxta proprietatem ipsius. Hinc igitur patet, quòd Mundus in generalitate sua est veluti domus extructa, & Coelum ut contignatio super domum, & stellae ut lucernae in domo, & germina terrae ut mensa parata in domo, & dominus domus, qui aedificavit domum, est Deus benedictus in saeculum, homo verò in Mundo est veluti praefectus domui, cujus dedit in manu omnia negotia domus, quique nunquam vidit dominum domus oculis suis, sed crevit in ista domo, ac dixerunt ei, quòd ipsius pater fuit praefectus in illa domo, & ipse pariter talis est post eum. Quòd si praefecerit praeditum intellectu, hic requiret, quisnam sit dominus domus, ut veniat ad ejus conspectum frequenter, & ne peccet in mandatis ejus, eo quod sciat, quòd tempore proximiori aut remotiori veniet ad ineundas secum rationes super praefectura, & ita recogitat in corde suo, ac si dominus domus jugiter capiti suo immineret, ac teneret oculos suos in se & opera ipsius: & si fecerit opera sua cum intellectu, inveniet gratiam in oculis domini domus, si verò invenerit in eo malitiam, amovebit e praefectura sua. Praefectus verò stultus non faciet hoc, sed postquam viderit se constitutum esse praefectum, aget in munere suo juxta voluntatem suam, & juxta desiderium cordis sui, neque secum perpendet, quis sit dominus domus, immo dicet in corde suo, quandoquidem oculis meis non video, quòd sint domui huic domini, quis adducet me, ut recogitem hoc, quòd sunt ei domini? edam & bibam id, quòd inveniam in domo ista, & faciam in ea juxta cor meum, quoadusque inveniam, nequaquam sollicitus sum, an sit dominus domus, an non. Postquam verò innotuit hoc domino domus, venit & expellit eum e domo festinanter & cum iracundia magna. Sic Deus benedictus est dominus Mundi, & posuit hominem praefectum in Mundo inferiori, qui si recogitet in corde suo esse dominum in Mundo, & hunc esse illum, qui posuit ipsum praefectum in Mundo, & timeat ab eo ut servus a domino suo, eoquod videat per intellectum suum, non esse possibile, hunc Mundum existere absque Domino, Gubernatore, & Directore, inveniet

gra-

gratiam in oculis Domini, si verò stultus sit, neque revocet ad cor suum scientiam neque intelligentiam, immo dicat in corde suo, ego non sum sollicitus, sitne dominus, an non sit dominus, nam in firmitate cordis mei ambulabo, & in virtute cordis mei faciam juxta desiderium cordis mei, Deus ejiciet ac eradicabit eum e Mundo, & prohibebit virtutem ac potentiam ab eo, idcirco ait postea *Qui ponit principes in nihilum &c. vers.* 23. ostendens eis, se esse dominum in Mundo expellentem & ditantem, humiliantem & exaltantem.

V. 22. *Qui sedet*: nimirum super Caelos, quia sunt circulus terrae, quemadmodum quis facit cum circino circulum, circino enim sunt duo digiti, quorum unus stat, altero verò circumducit gyrum, & ecce punctum in medio circuli; terra verò est ut punctum, quia est pars infima orbis, & Coeli sunt circa terram instar circuli. Dicit autem *Qui sedet* per similitudinem, non est enim ei locus, absit ab omni similitudine, sed quia sedenti in loco admodum excelso, & inde respicienti locum inferiorem, res magna videtur parva, ideo dixit *& habitatores ejus ut locustae*, pariter *& fuimus in oculis nostris sicut locustae, & sic eramus in oculis eorum. Num.* 13. *v.* 33. Jonatan reddit *Qui habitare facit Majestatem gloriae suae in fortitudine excelsa*, nimirum interpretatus est היושב ut המושיב: istos autem Coelos, qui sunt circulus terrae, ipse extendit. Deinde repetit eamdem rem cum vocabulis diversis, etenim *& expandit eos* idem valet ac *qui extendit*, & *sicuti tentorium* idem ac *veluti telam*, siquidem דוק significat cortinam, telam, qua homines faciunt tentorium. *ad habitandum*, scil. subter illis, non enim habitant homines in domo, cui non sit contignatio: Jonatan *qui extendit veluti telam* reddit *qui extendit quasi paululum*, sed re quidem vera וימתחם significat extensionem & expansionem, & ita in Verbis Magistrorum nostrorum, f. m. „ Locus, ubi extendit se cum eo „ & hinc saccus appellatus est אמתחת, ut explicavimus in Libro Miclol in parte de re grammatica.

V. 23. *Qui ponit principes . . . judices terrae*: quia gloriantur in magnitudine sua, & confidunt in fortitudine ac opibus suis: illud *fecit* intelligendum juxta illud *& extendet super eam lineam inanitatis Jes.* 34. *v.* 11. quia destructio non est verè opus. רוזנים notum est, veluti *& principes consultarunt simul*, *Ps.* 2. *v.* 2. videlicet significat principes & magnates.

V. 24. *Etiam non plantati sunt*: usque adeo ponet eos in nihilum, donec vulgò dicant de illis, non plantati sunt, neque sati sunt, neque radicavit in terra truncus eorum, quemadmodum dictum est de illis *& non est cognitus locus ejus, ubi fuerunt. Nach.* 3. *v.* 17. item *si deglutierit eum e loco suo, & negabit eum, non vidi te. Job.* 8. *v.* 18. Ait *etiam* tribus vicibus, unaquaque ad augmentum alterius, veluti *etiam nos, etiam tu, etiam parvuli nostri. Genes.* 43. *v.* 7. שרש pro נשרש, est enim ex conjugatione Pual juxta formam Quadrati.

truncus eorum, illud radicis arborum, quod apparet super terram, appellatur truncus, quod verò latet subter terra, appellatur radix, quemadmodum dixerunt Magistri nostri f. m. „ Sed quod e trunco „ creverit atque e radicibus, ad ipsum pertinet „ *& insuper flavit*, insuper extirpatio eorum fiet velociter instar flationis venti. נשף juxta illud *Flavisti in spiritu tuo*, *Exod.* 15. *v.* 10. וסערה juxta illud *& ventus turbinis*, *Ezech.* 13. *v.* 11.

V. 25. *Et cui assimilabitis me, & aequabor?* cui poteritis assimilare me, ut sim ego similis isti rei, & aequer ei? etenim non poteritis assimilare me in verbis seu rebus vestris, sed in intellectu, & propter similitudinem vestram non aequabor ego; si sic, unicus ego sum, & Creator Mundi totius. Ait *Sanctus*, quia ipse est Sanctus, & praeditus cogitationibus.

V. 26. *Levate in excelsum oculos vestros*: ait, considerate stellas, eo quòd sint corpora immania quoad molem & speciem (Italicè *apparenza*) magis quam res creatae inferiores. Jam monuerat eos, ut contemplarentur quatuor elementa, & terram & Coelos extensos super eam instar tentorii, nunc praecipit illis, ut considerent stellas, quae sunt creaturae immanes, & videte per scientiam vestram, quis creaverit has, creaturae enim sunt, & non creatrices, siquidem fas homini est intelligere per sapientiam, quòd Mundus est creatus. Postquam verò clarè patuit ei, Mundum esse creatum, notus etiam fit ei Creator, nulla enim res se ipsam creat, Creator verò non potest esse nisi unus, ut palam fit per demonstrationem logicam; si sic, stellae, quae sunt multae, creaturae sunt, non creatrices. Considerate pariter in mente vestra eum, qui educit in numero exercitum earum, quas omnino impossibile est homini numerare. Quod verò dicunt Astronomi, & conveniunt, stellarum numerum esse mille nonaginta & octo, hoc intelligendum de astris majoribus lucentibus super terram, verumtamen per sapientiam notum est stellas multò plures esse, quam ut numerari possint ab hominibus; qui verò creavit eas, novit ipsarum numerum. *omnia haec per nomen vocat*, id explicandum juxta illud, quod ait David, super quem sit pax, *Qui numerat numerum stellarum, quas omnes per nomina vocat*. *Psal.* 147. *v.* 4. vult dicere, quòd unamquamque ex illis vocat nomine eidem convenienti juxta rem creatam per influentiam stellae ipsius praeter causam ipsiusmet, unicuique enim stellae inest vis ac dominatio super creaturas inferiores quamque juxta speciem notam, in qua ponit virtutem faciendi opus suum & generationem suam. Et ita dixerunt Magistri nostri f. m. Non est species ulla herbae inferius, quin sit ei aliqua influentia Coelestis superius percutiens eam, proinde ac si dicat ei, cresce, quia dictum fuit *Numquid nosti statuta Coeli? numquid pones dominium ejus in terra?* *Job.* 38. *v.* 33. & id est, quod ait ad hoc propositum *prae multitudine potentiarum*, i. e. nominum, quibus appellat eas ob multitudinem

dinem virtutum, quae unicuique ex eis sunt super creaturis inferioribus; a virtute verò, quae est unicuique stellae, desumitur nomen ejus juxta ipsam rem, & quaelibet ex eis est fortis potentiâ, quia non perdit vim suam, neque immutatur, ut fit in rebus creatis inferioribus, quae corrumpuntur in individuis, licèt subsistat eorum species, at rerum creatarum superiorum nulla unquam deficit aliquo defectu neque in totum neque in partem, & ut fuit in die creationis suae, ita erit per omnes dies Mundi, non patietur additionem neque diminutionem, eo quòd non conveniat additio nisi rebus defectu laborantibus, illae verò sunt perfectae in creatione sua: quae omnia tenetur homo discere a libris sapientibus, ac per scientiam suam considerare res creatas tam superiores quam inferiores, ut ex illis agnoscat Creatorem. Propheta igitur monet homines de hoc dicens, nonne scitis? nonne auditis? nonne intelligitis? Praeterea dicit, levate in excelsum oculos vestros, & videte: istud verò *videte* intelligendum est ut explicavimus, i. e. de visione mentis. Dixerunt Magistri nostri f. m. „ Quicumque non meditatur revolutiones & signa Coelestia, de eo „ Scriptura dicit *& opus Domini non respexerunt, & facturam ma-„ nuum ejus non viderunt. Jes.* 5. *v.* 12. Dixerunt etiam, unde erui-„ tur, quòd homo tenetur meditari revolutiones & signa Coelestia? „ quia dictum est *Et custodietis & facietis, quia ipsa est sapientia „ vestra, & intelligentia vestra in oculis populorum, Deut.* 4. *v.* 6. „ qualis est ista sapientia & intelligeutia, quae est in oculis populo-„ rum? meditatio revolutionum & signorum Coelestium „ Praeterea dixerunt iidem Magistri nostri f. m. „ Quicumque scit meditari revo-„ lutiones, ac signa Coelestia, & non meditatur, hic indignus est com-„ memoratione in sermonibus hominum „

V. 27. *Ut quid dicis Jaacobe?* alloquitur Israelitas manentes in exilio: cur propter longitudinem exilii dicis, quòd abscondita est via tua a Domino, neque respicit super te, & super angustias exilii, quas toleras? *via mea*, scilicet status meus, in quo ego sum, veluti *quare via improborum prosperata est? Jer.* 12. *v.* 1. & similia huic plura. *judicium meum transibit*, judicium meum & causa mea, quam illius erat judicare adversus improbos mala mihi inferentes, transibit ab eo, neque erit coram eo in recordationem, eo quod non sit sollicitus de eo: ut quid dicis hoc?

V. 28. *Nonne nosti?* per illationem ex scientia tua. *an non audisti?* (a) a magistro & praeceptore. *judex saeculi Dominus*, אלהי judex, veluti *ad judices veniet res amborum: Exod.* 22. *v.* 9. & ita quotiescumque invenitur τὸ אלהים de Deo benedicto, significatur Judex Mundi, qui in ipsum respicit, & unumquemque (vel unumquodque) judicat juxta id, quod est, nisi quòd nos non assequimur

 men-

(a) Duplici modo reddi possunt priora hujus versiculi verba, vel prout est in textu, vel *Nonne scis, si non audisti?* &c.

mentem judicii ejus in omni loco, idcirco ait, quomodo arbitrari potes, eum non respicere super te, quandoquidem respicit super Mundum universum? ipse enim creavit illum, ideo quum opus manuum suarum verè sit, necessariò respicit super illum, quumque sit judex Mundi in veritate, sumet judicia de exigentibus a te servitutem. Dicit autem *qui creat terminos terrae* ad ostendendum, quòd creavit terram rotundam in medio planetarum circumdantium circiter, ipsa autem est ut punctum in medio circuli, Sanctus verò ille benedictus subsistere facit per potentiam suam in medio absque ullo fulcimento, ut dictum fuit *suspendens terram super nihilum Job.* 26. *v.* 7. neque ulla extremitatum inclinat super alteram a sex angulis, sed tota in medio ab omni latere, & ab omni extremitate, idque est, quod ait *qui creat terminos terrae*. Quod si dicatis, ipse sanè est Judex Mundi, & creavit illum, ac respicit super eum, sed non poterit in omni tempore judicare, quia lassabitur interdum, & defatigabitur, idcirco ait *non lassabitur neque defatigabitur*, vides enim, quòd ipse circumagit Sphaeras, ipsae verò circumeunt circuitione sine cessatione, idque fit vi circumagentis, cujus non est cessatio viribus, & idcirco non est cessatio circuitioni sphaerarum, quae circumeunt vi, cui non est cessatio, si sic, vides quòd non lassatur, neque defatigatur; si sic, non propter defatigationem & lassitudinem evenit, quòd non faciat judicium in improbos opprimentes servitute Israelitas. Quod si dicas, quandoquidem creavit Mundum, & subsistere eum facit per potentiam suam maximam, & respicit in eum, & judicat eum, & potestas est in manu ejus judicandi in omni tempore, neque est potestati ejus cessatio, quare videt per hoc tempus tam longum calamitates Israelitarum, neque liberat eos ab angustia ipsorum, neque facit judicium in impios? respondetur *non est investigatio intelligentiae ejus*, nos nescimus, neque possumus assequi sapientiam & intelligentiam ejus, neque possumus investigare & cognoscere eam, verùm ipse scit, quod facit, nos verò non cognoscimus neque scimus, idque est quod ait:

V. 29. *Qui dat lasso fortitudinem*: ipse dabit, quando voluerit, fortitudinem & robur Israelitis, qui sunt in exilio lassi ac defatigati absque viribus.

V. 30. *Et lassabuntur pueri & defatigabuntur*: populi hujus Mundi, qui addunt fortitudinem quotidie ut pueri, lassabuntur, quando erit voluntas Dei, defatigabuntur, ac deficiet fortitudo ipsorum, & non erit eis ne vis quidem puerorum, ac juvenibus, & populis Mundi, qui sunt tamquam juvenes, quia integri viribus suis ut in diebus juventutis, non proderit ipsorum robur, quando voluerit Deus, verùm corruendo corruent.

V. 31. *At sperantes in Domino*: וקוי scriptum est cum Jod uno tantùm, & hoc est secunda radicalis Verbi, Jod verò signum numeri pluralis latet a scriptura, & relinquitur in pronunciatione. Ait, improbi cor-

corruendo corruent, verùm Israelitae, qui sperant in Domino in exilio, & nihilum est eorum robur, adhuc renovabunt vires instar arboris, quae si excidatur, adhuc renovatur. יחליף significat renovationem rei in mutatione rei, quae praeteriit ac transivit. *ascendent ala sicut aquilae*, scribit Magister noster Saadias, quòd aquila ascendit decimo quoque anno in altum valde, facie obversa ad firmamentum Coelorum, & appropinquat ad calorem ignis, postea dejicit se in mare ob magnitudinem caloris, ubi depilatur, ac deinde renovatur, & iterum producit alas, & redit ad dies juventutis suae, & ita decimo quoque anno usque ad centum; in anno verò centesimo ascendit juxta morem suum, sed cadit in mare, & ibi moritur. *current*, scilicet dum reverteutur in terram suam, nec laborabunt, ibunt in itinere, nec defatigabuntur.

JESAIAE CAP. XLI.

1. TAcete ad me Insulae, & Nationes innovent fortitudinem: accedant, tunc loquantur, simul ad judicium accedamus. 2. Quis suscitavit ab Oriente *eum*, *qui* justitiam *veritatem* praedicabit *praedicabat* ad pedem suum? dabit *dedit* ad conspectum ejus gentes, & regibus dominari faciet *fecit*, ponet *posuit* ut pulverem *coram* gladio ejus, ut stipulam projectam *coram* arcu ejus. 3. Persequetur *persequutus est* eos, transibit *transiit in* pace: iter in pedes ejus non penetrabit *penetravit*. 4. Quis operatus est & fecit? clamans *narrans* generationes ab exordio: Ego Dominus primus, & cum postremis ego sum. 5. Viderunt Insulae, & timebunt *timuerunt*, extremitates terrae contremiscent *contremuerunt*: appropinquaverunt & venerunt. 6. Quisque proximo suo auxiliabuntur: & ad fratrem suum dicet, fortis esto. 7. Et confortavit faber *lignarius* fusorem (*aurifabrum vel argentifabrum*) laevigantem malleum ad contusionem incudis: dicit de junctura, bona est, & firmavit illud cum clavis, ne moveatur. 8. Et tu Israel servus meus, Jaacobe quem elegi: semen Abrahami diligentis me. 9. Quem apprehen-

hendi ab extremitatibus terrae, & a magnatibus ejus vocavi te: & dixi tibi, servus meus es tu, elegi te, & non reprobavi te. 10. Ne timeas, quia tecum ego, ne paveas, quia ego Deus tuus: roboravi te, etiam auxiliatus sum tibi, etiam sustentavi te cum dextera justitiae meae. 11. En pudore afficientur, & erubescent omnes, qui exardescunt ira contra te: erunt ut nihilum, & peribunt viri contentionis tuae. 12. Quaeres eos, & non invenies eos, viros jurgii tui: erunt ut nihilum, & ut nihil viri belli tui. 13. Quia ego Dominus Deus tuus apprehendens dexteram tuam: qui dico tibi, ne timeas, ego adjuvi te. 14. Ne formides vermis Jaacobi, viri pauci Israelis: ego adjuvi te, dixit Dominus, & redemptor tuus Sanctus Israelis. 15. Ecce posui te in traham & tribulam novam habentem multa ora *multas caesuras*: triturabis montes & comminues, & colles ut glumam pones. 16. Ventilabis eos, & ventus auferet eos, turbo dissipabit eos: tu verò exultabis in Domino, in Sancto Israelis gloriaberis. 17. Egeni & pauperes quaerentes aquam, & non *invenietur*, lingua eorum in siti defecit: ego Dominus respondebo eis, Deus Israelis non derelinquam eos. 18. Aperiam super clivis flumina, & in medio vallium fontes: ponam desertum in stagnum aquarum, ac terram siccitatis in egressiones *scaturigines* aquarum. 19. Dabo in deserto cedrum scittam (*lectissimam cedri speciem*) & myrtum, & arborem pinguedinis: ponam in solitudine abietem, tedam, & buxum simul. 20. Ut videant, & sciant, & ponant *in corde suo*, & intelligant simul, quòd manus Domini fecit hoc: & Sanctus Israelis creavit hoc. 21. Appropinquare facite litem vestram, dicit Dominus: accedere facite fortia vestra, dicit Rex Jaacobi. 22. Afferant, ac indicent nobis quae accident: priora quid ipsa, indicate, & ponemus cor nostrum, & sciemus novissimum eorum, aut quae ventura sunt facite nos audire. 23. Indicate quae ventura sunt in fine, & cognoscemus, quòd Dii sitis vos: etiam quòd bene-

nefaciatis & malefaciatis, & narrabimus, & videbimus simul. 24. Ecce vos ex nihilo, & opus vestrum ex nihilo: abominatio eliget vos. 25. Suscitavi ab Aquilone, & venit, ab ortu Solis clamabit in nomine meo: & invadet antistites sicut lutum, & sicut figulus, *qui* calcat coenum. 26. Quodnam *ex Idolis* indicavit a principio, & sciemus, & ab antè, & dicemus, justum *verax est*? etiam non est indicans, etiam non est audire faciens, etiam non est audiens sermones vestros. 27. Primus ad Tzionem, ecce ecce ipsi: & ad Jerosolymam nunciantem *evangelizantem* dabo. 28. Et videbo, & non erit quispiam, & ex illis, & non erit consulens: & interrogabo eos, & *non* respondebunt verbum. 29. Ecce omnia ipsa vanitas, nihilum opera eorum: ventus & inanitas conflatilia eorum.

COMMENTARIUS.

V. 1. T*Acete ad me Insulae:* החרישו tacete, & aures praebete mihi, qui enim loquitur, non praebet aures: *insulae*, i. e. habitatores insularum: *innovent fortitudinem*, roborent se argumentis, si quomodo possint respondere mihi: *accedant*, ad me, ut audiant verba mea: *tunc loquantur*, tum, postquam audierint verba mea, loquantur, si erit eis objectio: *simul*, ego & ipsi accedamus ad judicium de argumentis meis & de objectionibus ipsorum, ipsi enim imminuunt fortitudinem ac potentiam meam, & dicunt non esse mihi vim eripiendi Israelitas de manu ipsorum, colentes verò sculptilia, quibus non inest quidquam, dicant mihi:

V. 2. *Quis suscitavit ab Oriente:* hic est Abrahamus Pater noster, quem suscitavit Deus, ut exiret de terra Orientis, quae erat terra nativitatis suae, quemadmodum ait *ad terram filiorum Orientis. Genes.* 29. *v.* 1. & suscitavit eum Deus de inter cultores sculptilium. *justitiam praedicabit ad pedem suum*, scilicet quocumque proficiscebatur, hoc enim sibi vult *ad pedem suum*, ubicumque erat pes ejus, ibi praedicabat justitiam & veritatem, quemadmodum ait *& clamavit ibi in nomine Domini Genes.* 21. *v.* 33. Suffixum ויקראהו refertur ad justitiam. Haec verò erat justitia & veritas, quam praedicabat illis dicens, derelinquite cultum sculptilium, nihil enim inest ipsis, & colite illum, qui creavit Mundum, simulque docebat eos vias fidei. Estne prodigium huic simile? vir unus inter universos mortales, qui colebant sculptilia, corripiebat eos circa fidem ipsorum, neque timebat ab

eis

eis eorumque regibus: quis suscitavit cor ejus, ut faceret hoc? nonne ego Dominus? *dabit ad conspectum ejus gentes*, ecquis dedit in conspectum ejus gentes, fecitque eum dominari regibus? Isti verò sunt quatuor illi reges, h. e. Chedarlaomer, caeterique reges cum eo sociati, quos persequutus Abrahamus cum trecentis & octodecim viris, percussit eos, & eripuit ex eis captivos, & universas substantias, quas ceperant, quod fuit ob magnitudinem fiduciae illius in me. ירד significatio dominationis, & est ex conjugatione Hiphil, ejusque significatione, veluti *non dominaberis ei cum duritia*, *Lev.* 25. *v.* 43. *&* 46. *& dominabuntur vobis osores vestri*, *Lev.* 26. *v.* 17. ומלכים pro ובמלכים, vult enim dicere, quòd fecit eum dominari regibus, licèt cum perpauco populo. Verba ista *praedicabit*, *dabit*, *faciet dominari*, *persequetur eos*, *transibit*, *ingredietur*, sunt futura pro praeteritis, ut saepissime occurrit, ratio verò, cur dixerit haec omnia in tempore futuro, ea est, quòd quemadmodum tum fecit Deus cum Abrahamo, ita faciet in omni generatione & generatione cum omni justo, cui insit amor Dei, ut Abrahamo. *ponet ut pulverem gladio ejus*, dedit eos Deus ut pulverem ad conculcandum coram gladio Abrahami, & dedit eos ut stipulam projectam coram arcu ejus, & ita vertit Jonatan *projecit ut pulverem interfectores ante gladium ejus*, *ut stipulam propulsos ante arcum ejus*. Sunt qui interpretantur, posuit gladium & arcum uniuscujusque ex regibus illis ut pulverem & ut stipulam projectam.

V. 3. *Persequetur eos*, *transibit in pace*: persequutus est eos, & transivit in pace, quia in bello illo nullus mortuus est ex viris suis. שלום deest Bet servile, veluti *inventum domo Domini*, 2. *Reg.* 12. *v.* 10. *&* 16. *v.* 8. *&* 18. *v.* 15. pro *in domo Domini*, & ita saepissime: licet etiam exponere שלום nomen Toar, veluti *Et venit Jaacobus incolumis*, *Genes.* 33. *v.* 18. adeo ut sit nomen juxta formam קרוב, רחוק, & ita *Misit manus suas in pacificos suos*, *Ps.* 55. *v.* 21. *iter in pedes ejus non penetrabit*, haec est res mirabilis, quòd in itinere non doluerunt pedes ejus, neque delassati sunt in eo nocte illa, qua venit super eos, & percussit eos. Sunt qui exponunt ארחה, malum ullum in pedes ejus non penetravit, h. e. non accidit ei aliquid mali in itinere illo. Jonatan vertit *virtus itineris in pedes ejus non introivit*. Alii autem interpretantur id propheticè de Cyro, quem suscitabit Deus ab Oriente contra Babylonem, quam capiet, neque audebunt consistere coram eo gentes & reges; sed rectior est expositio nostra, & ita etiam interpretatur dominus Pater meus f. m. & ita exponit etiam Jonatan, qui verba illa *Quis suscitavit ab Oriente &c.* reddit *Quis adduxit palam ab Oriente Abrahamum electum justorum?*

V. 4 *Quis operatus est & fecit?* repetitio ejusdem rei cum vocabulis diversis: ait, quis operatus est & fecit fortitudines has? *clamans generationes ab exordio*, is, qui narrat generationes futuras ab initio, appre-

apprehendit Abrahamum, & magnificavit eum, ut sciret, quòd egressurum esset ex ipso semen, quod futurum erat stabile coram eo, electum prae omnibus populis. *Ego Dominus*, ego sum ille, quia ego sum primus, & ero cum postremis, qui futuri sunt, quasi dicat, ego scio omnes generationes a principio usque ad finem. קורא quodammodo clamat ac narrat, sic & sic erit in posterum, praedicit enim per Prophetas suos futura multa.

V. 5. *Viderunt Insulae*: scilicet habitatores insularum illarum, isti quando viderunt & audierunt hoc facinus magnum, quod fecit, timuerunt ac trepidaverunt: extremitates quoque terrae, quae audierunt hoc facinus ex ore nunciantium, expaverunt ad hanc rem. *appropinquaverunt & venerunt*, appropinquaverunt & venerunt in conspectum Abrahami, veluti rex Sedomae, qui exiit in occursum ejus *Genes.* 14 *v.* 17. & tamen quisque socio suo auxiliabatur ad facienda sculptilia, nec praebebant cordi suo scientiam ac intelligentiam, quomodo fuerit hoc facinus in Abrahamó, qui non erat nisi cum trecentis & octodecim viris, & tamen vicit quatuor reges magnos, quod fuit facinus mirabile. Quòd si dicatis, reges illi fuere debiles, respondebitur, erant tamen quatuor, & antea devicerant quinque reges, & percusserant omnem terram *Genes.* 14. si sic, animadvertere debebant, quare factum fuerit hoc prodigium per manus Abrahami, nimirum quia fides ejus diversa erat a fide omnium gentium, & Deus, cui haerebat, & quem colebat, auxiliatus est ei contra reges istos. Neque solum non dixerunt neque recogitaverunt id, immo arctius tenuerunt sculptilia, & dixerunt in formidine ac timore suo ob facinus tantum, roboremus nos etiam atque etiam in cultu Deorum nostrorum, quisque in cultu sculptilis sui, ipsi enim auxiliabuntur nobis.

V. 6. *Quisque proximo suo ... & ad fratrem suum*, pro *& quisque ad fratrem suum*: versus hic duplicatus est in significatione cum vocabulis diversis.

V. 7. *Et confortavit faber*: i. e. faber lignarius, qui primùm facit sculptile e ligno, & confortat in sermone suo fabrum argenti & auri, ut faciat superindumentum argenteum celeriter, quo operiat illud. *laevigantem malleum*, & aurifex quid facit? accelerat opus suum, & laevigat malleum ad percutiendum cum eo laminas argenteas vel aureas. מחליק ex significatione illius *& ego vir laevis*, *Genes.* 27. *v.* 11. i. e. ex significatione laevitatis. *ad contusionem incudis*, הולם est nomen substantivum, quia habet accentum in penultima, & significat contusionem seu percussionem, ex illo *& contudit Siseram Jud.* 5. *v.* 26. פעם verò significat incudem, super qua percutiunt. *laevigantem malleum*, ad percutiendum cum eo laminas super incude. את stat pro Lamed servile, quasi dicat, ad percussionem incudis: Jonatan vertit *percutiens malleo cum eo, qui contundit cum malleolo*, scilicet juxta verba ejus פטיש est malleus magnus, פעם verò malleus parvus,

& ita quidem mos est aurificis, quòd primò contundat cum malleo majori, deinde verò cum minori. *dicit de junctura, bona est*, quando jungit laminas super sculptile ligneum, & quando conglutinat, ac pulchrum apparet, laetatur, & ait, benè se habet, ac postea firmat cum clavis, ne moveatur hodie aut cras argentea lamina de sculptile ligneo.

V. 8. *Et tu Israel servus meus*: tu non es ut gentes terrarum, servus enim meus es, & ego elegi te, ut sis mihi servus, quia es semen Abrahami diligentis me, i. e. qui dilexit me, & adhaesit mihi, & exiit de medio colentium sculptilia & idola.

V. 9. *Quem apprehendi*: praeteritum pro futuro juxta morem prophetiarum, vult dicere, apprehendam te, ut educam te de exilio. *ab extremitatibus terrae, & a magnatibus ejus*, a magnatibus terrae, & a regibus ejus vocabo te, ut exeas de potestate illorum, neque in eis erit vis detinendi te. *& non reprobavi te*, quamvis prolongatum sit exilium.

V. 10. *Ne timeas*: hoc כי עמך אני, quodque postea occurrit in parascia *O surdi audite, cap.* 42. *v.* 18. videlicet אל תירא כי אתך אני *cap.* 43. *v.* 5. Masora signat ac distinguit cum versu illo וירדתי ודברתי עמך שם וגו *Num.* 11. *v.* 17. (a) *ne paveas, quia ego Deus tuus*, אל תשתע juxta significationem suam *ne paveas*: Jonatan vertit *ne frangaris*. In Verbis Magistrorum nostrorum f. m. „ *ne pa-* „ *veas, quia ego Deus tuus*, ne sis ut cera „ scilicet ut cera, quae liquefit ac dissolvitur a facie ignis, ita ne liquefias ac dissolvaris tu: dominus Pater meus f. m. explicat ex significatione illius שעו ממני, cujus sensus est *remittite me, Jes.* 22. *v.* 4, igitur אל תשתע significat, ne praebeas te remissum, juxta significationem illius *ne remittantur manus tuae. Tzeph.* 3. *v.* 16.

V. 11. *En pudore afficientur*: הנחרים בך iuxta illud *filii matris meae exarserunt ira contra me, Cant.* 1. *v.* 6. *pudore afficientur & erubescent*, scilicet postquam non verificabitur ipsorum cogitatio, quam cogitaverunt, quòd Israelitae numquam egressuri essent de ipsorum potestate.

V. 12. *Quaeres eos*: etiamsi quaeras, non invenies eos, adeo peribunt, & erunt ut nihil. מצתך juxta illud *Ecce ad litem & ad jurgium Jes.* 58. *v.* 4.

V. 13. *Quia ego*: quando dico tibi, ne timeas, confide, quia Deus non est homo, qui mentiatur.

V. 14.

(a) Tam in versu hoc, quàm versu 5. cap. XLIII. habetur *Ne timeas, quia tecum sum*, nisi quòd hic vox *tecum* effertur per עמך, illic per אתך: itaque ne forte propter identitatem sensus & caeterorum verborum hic legatur אתך, illic עמך, vel אתך aut עמך utrobique, Masora proponit memoriae juvandae gratiâ versum 17. Cap. XI. Num. in quo habetur utraque vox in eadem significatione, sed primùm עמך, deinde אתך, ut in hisce duobus versibus.

V. 14. *Ne formides vermis Jaacobi:* quia sunt debiles in exilio ut vermis. In Jelammedenu (a) habetur, quare Israelitae comparati sunt vermi? ad significandum id, quòd sicuti vermis non percutit (rodit) cedros nisi cum ore, quod est tenerum, & tamen percutit durum, sic omnis vis Israelitarum est in oratione, qua percutiunt improbos Mundi, qui sunt fortes ut cedri, quibus comparantur, dictum enim est *cedrus in Libano, Ezech.* 31. *v.* 3. מתי pro אנשי, i. e. viri pauci Israelis. עזרתיך in genere foeminineo, quia refertur ad תולעת, licèt antea dixerit מתי.

V. 15. *Ecce posui te in traham tribulam*, pro *in traham & tribulam*, & ita *Sol luna Chabak.* 3. *v.* 11. *Reuben, Simeon, Exod.* 1. *v.* 2. & similia his; quamvis verò traha idem sit ac tribula, tamen instrumentum hoc factum est duabus diversis dispositionibus, quarum unam appellant traham, alteram verò tribulam: aut חרוץ est Toar τοῦ מורג, & vult dicere traham benè incisam, quia חרוץ significat incisionem, veluti *si decisi sunt dies ejus, Job.* 14. *v.* 5. Ait veluti coram verme Jaacobi, ecce posui te improbis in exitu tuo de exilio ut traham & tribulam novam בעל פיפיות, scilicet habentem ora multa, idcirco duplicatur in ista voce Phe & Jod, quia omnis traha habet plura ora, quae detrahunt corticem e frumento. *Montes*, & *colles* sunt metaphora regum & principum gentium.

V. 16. *Ventilabis eos:* tu ventilabis eos, ut is, qui ventilat frumentum post triturationem, ventus enim tollit & dispergit glumam, & ipsi erunt ut gluma.

V. 17. *Egeni & pauperes:* filii exilii dum egredientur ab exilio, ut revertantur in terram suam, & dum iter facient per deserta, ubi desint aquae, quaerent aquas, & non invenient, idcirco eorum lingua arescet in siti, sed tunc clamabunt ad me, & ego exaudiam eos, quia ego sum Deus Israelis, qui eduxi eos ab exilio, neque derelinquam eos, ut siti moriantur in deserto; verùm quid faciam illis? aperiam in clivis flumina. נשתה defecit, veluti *defecit robur eorum, Jer.* 51. *v.* 30. Thau habet Daghesc propter elisionem.

V. 18. *Aperiam super clivis:* i. e. in locis excelsis, veluti *& abiit in clivum. Num.* 23. *v.* 3. *flumina*, i. e. aquas, ex quibus derivabuntur flumina. *& in medio vallium*, eo magis in medio vallium invenient fontes plures, quod totum erit per miraculum, quia inveniri non solent aquae in deserto, neque in monte, neque in valle.

V. 19. *Dabo:* non solùm invenient aquas in deserto, sed etiam arbores crescent in illis. Quòd si dicas, quid opus habebunt arboribus

Pp 2 hisce,

(a) *Jelammedenu* est Commentarius vagus satis celebris in quinque Libros Mosis. Dicitur *Jelammedenu*, hoc est *Docebit nos*, quia frequenter ea voce utitur, dum ex praecedentibus semper doctrinas certas proponit. Dicitur etiam *Tanchuma*, hoc est *Consolatio*.

hisce, dum ascendent ab exilio? possumus respondere, quòd creabuntur tales arbores in altitudine sua, quales creatae fuerunt in diebus creationis Mundi, eritque eis umbra, ne percutiat illos aestus solis; sive ut perenne faciat hujusmodi prodigium a die illa & ultra, & sint in illis desertis in perpetuum aquae, & arbores crescant, quò dicant homines, dum transibunt per ea, hoc fecit Deus ad gloriam Israelis, & confiteantur nomini Domini in perpetuum ob prodigium hoc, & ita dicit inferius in Parascia *Quaerite Dominum cap. 55. v. 6. & erit Domino in nomen, in signum saeculi, quod non excidetur ibid. v. 13. arborem pinguedinis*, hanc arborem vulgò appellant *pino*, & est arbor pinguedinis, pinguedo verò, quae exit ab ea, est pix, & ita vertit Jonatan *arbores pinguedinis*. Non possumus autem dicere, esse arborem olivam, quia in Ezra commemoratur utraque *& afferte frondes olivae, & frondes arboris pinguedinis*, (i. e. pinus) *Necb. 8. v* 15. תדהר Jonatan vertit *ulmos:* in Verbis verò Magistrorum nostrorum b. m. תדהר exponitur per שאגא, quae vox vulgò sonat *sapino*, i. e. *abete*. תאשור vertit Jonatan *cedros*: in Verbis verò Magistrorum nostrorum b. m. תאשור idem est ac שורבינא (*a*). Scripsit Rabbi Jona ita appellari Arabicè שורבין, & Baal Aruc explicat אשכרוע, Arabicè بقمة, & est planta illa, quam vulgò dicunt *busso*; si sic, secundum opinionem ejus ברוש non est buxus.

V. 20. *Ut*: faciam mirabilia haec, ut videant ea nationes Mundi, idcirco dixit, quòd pavebunt omnes gentes, & scient, & reponent in corde suo, & intelligent, quòd manus Domini fecit hoc, qui eduxit Israelitas ab exilio, & fecit illis mirabilia haec. *creavit hoc*, i. e hoc prodigium: quia prodigium est novitas, ideo usus est vocabulo creationis.

V. 21. *Appropinquare facite*: קרבו est Imperativum conjugationis Dagheslatae, quia Resc non recipit Daghesc (*b*). Nunc redit ad loquendum veluti coram cultoribus sculptilium. *litem vestram*, scilicet litem, quae vobis est cum Domino & cum populo ejus, ac repetit eamdem rem cum vocabulis diversis. *fortia vestra*, i. e. argumenta fortia, quae sunt vobis. Interpretatio alia: עצמותיכם significat altercationem, sicut est in lingua Misnae „ Duo, qui roborabant se „ rationibus firmis ad judicium „ Alii dicunt עצמותיכם esse res fortes ac validas, quas facitis in Mundo.

V. 22. *Afferant*: sculptilia, quae vos dicitis esse Deos vestros, afferant verba sua: loquitur Propheta pro se & pro Israelitis, qui non volunt Idola ut gentes, sed Deum benedictum tantùm. *ac indicent nobis quae accident*, i. e. accidentia, quae ventura sunt; loquitur autem in genere foemineo, perinde ac si dixisset קורות, i. e. eventa, quae accidere solent hominibus. *priora quid ipsa*, dicant nobis priora,

(*a*) Cedri praestantis species.
(*b*) Ideo Patach mutatur in Kametz compensationis gratiâ.

ra, quae transierunt, quidnam fuerint. *indicate*, loquitur veluti coram sculptilibus, quasi loquatur cum illis. *& ponemus cor nostrum*, ut recordemur, num fuerint priora, ut vos dicitis. *& sciemus novissimum eorum*, & cognoscemus, quòd scitis novissima eorum, si scivistis principium eorum. או הבאות השמיענו aut quae ventura sunt praedicite nobis.

V. 23. *Indicate* האותיות, quae ventura sunt, & ita *venit mane Jes.* 21. *v.* 12. nam apud Chaldaeos אתא significat *venire*. לאחור in fine, & ita Interpres Chaldaeus habet *in finem*. Quia initio dixerat הבאות de futuro quidem, sed non valde remoto, ideo postea dicit *indicate quae ventura sunt in fine*, h. e. in novissimis diebus, si facietis hoc, cognoscemus, quòd Dii estis, etiam quòd benefacitis, & malefacitis, ut opinantur cultores vestri. *& narrabimus & videbimus*, scriptum est ונרא absque He, sed legitur ונראה cum He, significatio verò eadem est. ונשתעה, i. e. & narrabimus, quemadmodum & Chaldaicè ואשתעינא, quasi dicat, narrabimus de vobis, & respiciemus ad vos simul nos ut cultores vestri, postquam dixeritis omnia haec.

V. 24. *Ecce vos... & opus vestrum:* juxta opinionem idololatrarum, quia reipsa non est Idolis opus. מאפע pro מאפס, quia Samec ponitur pro Ain in una ex 221. speciebus Alphabeti: at frater meus Rab. Moses felicis recordationis interpretatur pro אפעה, quasi dicat, opera vestra ut opus serpentum, qui laedunt propinquos sibi. *abominatio eliget vos*, i. e. vir abominationis, quasi dicat, abominabiles eligunt vos, non Sanctus ille benedictus, immo Deus rejicit vos.

V. 25. *Suscitavi ab Aquilone, & venit:* Glossatores interpretantur hoc de Cyro Persarum rege, quia terra ejus est Orientalis & Septentrionalis respectu Babylonis, idcirco ait *ab Aquilone*, & *ab ortu Solis*, quia ipse vastavit Babylonem, & jussit Israelitas ascendere in terram suam, idcirco dicit *Primus ad Tzionem, ecce ecce ipsi: infr. v.* 27. dominus verò Pater meus b. m. interpretatur hoc de Messia, ait *suscitavi*, & non dicit quem, donec dicit *Ecce servus meus, innitar in eo: cap.* 42. *v.* 1. & hoc est rectum: dicit autem *ab Aquilone*, & *ab Ortu*, quia rex Assyriae collocavit decem Tribus in Chalach, & in Chabor flumine Gozan, & Civitatibus Medorum 2. *Reg.* 17. *v.* 6. quae terra est Septentrionalis & Orientalis. ויאת cum defectu tertiae radicalis Verbi pro ויאתה. *& invadet antistites*, veniet contra principes; hi sunt reges gentium (*a*). *sicut lutum*, ut figulus super lutum, quod calcat pedibus suis; deinde repetit eamdem rem dicens *& sicut figulus, qui calcat coenum*, figulus est artifex, qui facit vasa testacea.

V. 26. *Quodnam indicavit* מראש, scilicet a principio: antequam veni-

(*a*) Per antonomasiam סגנים sunt principes Babylonis *Jer.* 51. *v.* 57. *Dan.* 2. *v.* 48. *&* 3. *v.* 2. idcirco, rejectis nugis Hebraeorum, rectior videtur prior interpretatio, nimirum quod hic innuatur Cyrus.

veniret id, quod futurum erat, quodnam ex Idolis, quisve ex eorum cultoribus indicavit a principio? & si indicavit unum vel unus ex illis, cognoscemus esse veritatem. *& ab ante*, quodnam ex Idolis indicavit ab ante? & tum dicemus de eo, quòd est justum & verax, & credemus in sermonem ejus. *etiam non est indicans*, verùm cognovimus, non esse ullum, quod indicet. *etiam non est audire faciens*, scilicet ex omnibus Idolis, neque ullus est ex cultoribus eorum, qui dicat, se audivisse sermones vestros. Loquitur in persona secunda, scilicet ad Idola, quia os illis est, & non loquuntur; significatus verò duplicatus est cum vocabulis diversis.

V. 27. *Primus ad Tzionem:* primus, qui veniet ad Tzionem ab exilio, nunciabit Tzioni, eique dicet, ecce ecce filii tui; repetit dictionem *ecce* ad indicandam celeritatem & festinationem adventus.

V. 28. *Et videbo, & non erit quispiam:* i. e. ex cultoribus Idolorum, qui sciat aliquid. *& non erit consulens*, scilicet ex illis: loquitur de Idolis, inter quae nullum erit, quod praebeat consilium cultoribus suis de eo, quod faciendum sit. *& interrogabo eos, & (non) respondebunt verbum*, dictio אין, quae semel posita est, quaeque idem valet ac לא, intelligitur hìc repetita, quasi dixisset ולא ישיבו.

V. 29. *Ecce omnia ipsa:* scilicet omnia Idola. *conflatilia eorum*, veluti *sculptile conflavit faber*, *Jes.* 40. *v.* 19. omnia ea, quae conflaverunt, & contexerunt argento & auro, in vanum fecerunt, quia non proderunt ipsis, neque indicabunt eis quidquam ex futuris.

JESAIAE CAP. XLII.

1. ECce servus meus, innitar in eo *sustentabo eum*, electus meus, *in quo* complacuit anima mea: dedi spiritum meum super eum, judicium gentibus exire faciet. 2. Non clamabit, neque elevabit: neque audire faciet foris *in platea* vocem suam. 3. Calamum quassatum non franget, linum fumigans non extinguet: ad veritatem educet judicium. 4. Non caligabit, nec quassabitur, donec ponat in terra judicium: & legem ejus insulae expectabunt. 5. Sic dixit Deus Dominus creans Coelos & extendens eos, expandens terram & egressiones ejus: dans animam populo, *qui est* super ea, & spiritum ambulantibus in ea. 6. Ego Dominus vocavi te in justitia, & appre-

prehendam *tenebo* manum tuam: & custodiam te, & dabo te in foedus populi in lucem gentium. 7. Ad aperiendum oculos caecos: ad educendum e clausura vinctum, e domo carceris habitatores tenebrarum. 8. Ego Dominus, hoc est nomen meum: & gloriam meam alteri non dabo, & laudem meam Sculptilibus. 9. Priores ecce venerunt, & novas ego indico, antequam pullulent, audire faciam vos. 10. Cantate Domino canticum novum, laus ejus ab extremo terrae: descendentes in mare & plenitudo ejus, insulae & habitatores earum. 11. Elevent *vocem* desertum & civitates ejus, villae *in quibus* habitabit *habitat* Kedar: acclament habitatores petrae, a vertice montium vociferentur. 12. Ponant Domino gloriam: & laudationem ejus in insulis annuncient. 13. Dominus ut fortis egredietur, ut vir bellorum suscitabit zelum: vociferabitur *clanget*, etiam exclamabit, super inimicos suos praevalebit. 14. Silui a saeculo, tacebo *tacui*, continebo *continui* me: quasi parturiens exclamabo, desolabo & absorbebo simul. 15. Desolabo montes & colles, & omnem herbam eorum siccari faciam: & ponam flumina in insulas, & stagna arescere faciam. 16. Et ambulare faciam caecos in via, *quam* nesciverunt, in semitis, *quas* non cognoverunt, incedere faciam: ponam tenebras ante eos in lucem, & perversitates *salebras* in rectitudinem, has res feci eis, & non dereliqui eos: 17. Adversi sunt retrorsum, pudefient pudore, qui confidunt in Sculptile: qui dicunt Fusili, vos estis Dii nostri. 18. O surdi audite: & o caeci respicite ad videndum. 19. Quis caecus, nisi servus meus, & surdus ut Angelus meus, *quem* mittam? quis caecus sicut perfectus, & caecus ut servus Domini? 20. Videndo multa, & *tamen* non observabis: aperiendo aures, & *tamen* non audiet. 21. Dominus voluit propter justitiam suam: magnificabit legem, & magnificam reddet. 22. Et ipse *est* populus praedam patiens ac direptus, illaqueando in foraminibus omnes illos,

los, & in domibus carcerum abditi sunt: fuerunt in praedam, & non est qui eripiat, *in* direptionem, & non est qui dicat, redde. 23. Quis in vobis auribus percipiet hoc? attendet ac audiet in posterum? 24. Quis dedit in direptionem Jaacobum, & Israelem depraedantibus? nonne Dominus? hic *est*, cui peccavimus, & noluerunt in viis ejus ambulare, & non audierunt legem ejus. 25. Et effudit super eum aestum *in* furore suo, & robur belli: & inflammavit illum a circuitu, & non cognovit, & arsit in eo, & non ponet in corde.

COMMENTARIUS.

V. 1. E*Cce servus meus:* hic est Rex Messias, ut explicavimus *cap. sup. v.* 25. *innitar in eo*, per modum similitudinis more regis, qui innititur servo suo fideli sibi. *dedi spiritum meum super eum*, quemadmodum ait de eodem *Et requiescet super eum spiritus Domini*, *cap.* 11. *v.* 2. *judicium gentibus exire faciet*, exire faciet judicium earum in lucem, pacemque ponet inter gentem & gentem, ne sit ultra bellum inter eas, quemadmodum ait pariter de ipso *Et judicabit inter gentes*, *& arguet populos multos &c. cap.* 2. *v.* 4. praeterea dictum est *& loquetur pacem gentibus*, *& dominatio ejus a mari usque ad mare*, *Zach.* 9. *v.* 10. idque erit post bellum Gogi & Magogi.

V. 2. *Non clamabit:* ut mos est judicantis, clamare contra eos, qui judicantur coram ipso, & cogere eos exequi judicium suum, ipse opus non habebit facere hoc, nam quietè loquetur ad eos, & illi recipient verba ejus. *neque elevabit*, i. e. neque elevabit vocem suam: replicat significationem ad roborandum.

V. 3. *Calamum quassatum:* scilicet calamum, qui propè est, ut frangatur, & ita *super fulcro calami quassati* 2. *Reg.* 18. *v.* 21. quòd si esset omnino fractus, nequaquam posset homo inniti super eo. Ait igitur, adeo erunt verba ejus, & regimen regni ejus in quiete, ut etiam debiles non sentiant illud: assimilat debiles calamo quassato, & lino fumiganti, scilicet quod prope est, ut extinguatur. Noli autem existimare, quòd, quum futurus sit quietus ac remissus, non facturus sit judicium, nam etiamsi talis sit, ad veritatem educet judicium.

V. 4. *Non caligabit*, *nec quassabitur:* non erit piger, neque debilis, neque remissus, donec ponat in terra judicium, i. e. in habitatoribus terrae, & ita *insulae*, i. e. habitatores insularum. *& legem ejus*, expectabunt, ut doceat ipsam, quemadmodum ait *Et ibunt populi multi*,

ti, & dicent, venite, & ascendamus ad montem Domini, ad domum Dei Jaacobi, & docebit nos vias suas, & ambulabimus in semitis ejus: Jes. 2. v. 3.

V. 5. *Sic dixit Deus Dominus:* Deus, qui est creator Coelorum. De argumento hoc saepe loquitur Propheta, quia in generatione sua erant sectatores fidei pravae, credebant enim Mundum non esse creatum, sed extitisse ab aeterno, verùm est causatus, & est ei caussa: alii credebant mundum extitisse casu, neque fuisse ei Creatorem, neque causam, ut scripsimus. Igitur propter fides hujuscemodi pravas, saepissime iterabat argumentum hoc, Deum excelsum esse Creatorem Mundi, & creasse illum, & eduxisse ex nihilo in esse: dicit autem *creans Coelos*, ne opinetur quis Coelos, eoquod sint perpetuò stabiles, neque accidat illis quidquam cessationis aut immutationis, ideo esse aeternos, verùm Deus creavit illos, & extendit veluti tentorium super terram. Vox ונוטיהם scripta est cum Jod pluralitatis, ut in numuro plurali, veluti *Ubi est Deus factor meus, Job. 35. v. 10. Laetetur Israel in factore suo, Psal. 149. v. 2 expandens terram*, expansio est extensio & didu&io, veluti *Et extenderunt bracteas auri, Exod. 39. v. 3. & expande cum pede tuo, Ezech. 6. v. 11.* Hinc igitur patet, quòd terra est rotunda ut pila, & Deus, quando congregavit aquas, quae erant super facies terrae, in locum unum, ut essent super ea germina, quae generaliter complectitur in dictione וצאצאיה, fecit terram, quae est ἡ Arida, veluti expansam ad inhabitandum in ea, ut qui expandit aliquid, & diducit more fabri diducentis laminas. *& egressiones ejus*, i. e. creavit germina ejus super ea, nam postquam dixit *& appareat arida: Genes. 1. v. 9.* ait *germinet terra cit. loc. v. 11.* & postea dedit animam populo, qui est super ea, & spiritum ambulantibus per eam, idque fuit in die sexto, quo creavit hominem, & inflavit in eum animam, quemadmodum ait *& inspiravit in faciem ejus animam vitae, Genes. 2. v. 7.* ipse igitur praebuit animam populo, qui est super ea, formavitque caetera animantia, quemadmodum ait *producat terra animam viventem ad speciem suam, Genes. 1. v. 24.* & hic est spiritus, quem dedit ambulantibus in ea, quia non dicitur נשמה nisi de homine. In illo verò *omnia, in quorum facie erat anima spiritus vitae, Genes. 7. v. 22.* dicit *anima* propter hominem, *spiritus* propter caetera animantia. Praemittit autem hominem, licèt fuerit posterior, quia ipse est fundamentum creationis (*a*), & ita *feci terram, & hominem super ea creavi; Jes. 45. v. 12.* ubi meminit hominis tantùm, quia ipse est praestantior inter res creatas (*b*).

V. 6. *Ego Dominus:* dicit Israeli, ego sum Dominus, qui feci omnia

(*a*) Scil. Quia hominis gratiâ creatus est Mundus, & omnia, quae in eo sunt.

(*b*) Plerique nomine נשמה specialiter animam rationis participem, i. e. τὴν intelligunt: נפש autem volunt esse nomen animae sensitivae.

nia haec, potis educendi te ab exilio: ego pariter sum, qui vocabo te in justitia, quum appropinquaverit tempus egressionis, ut exeas, neque timeas in egressione tua, quia ego apprehendam manum tuam. *& custodiam te*, & custodiam te a gentibus, ne noceant tibi. ואחזק cum Tzere sub Zain, & Chet habet Sceva tantùm. *in faedus populi*, i. e. in stabilitatem omnium populorum, etenim propter te subsistet universus Mundus: τὸ ברית semper significat stabilitatem. Pariter eris in lucem gentium, quemadmodum ait *Et ambulabunt gentes ad lumen tuum Jes.* 60. *v.* 3. lux verò haec est lex, quae egredietur eis de Tzione. Israel verò erit firmitas nationum duobus modis, uno, quòd propter ipsos erit pax universis gentibus, ut dictum est de Messia *& loquetur pacem gentibus, Zach.* 9. *v.* 10. praeterea *& arguet populos multos, & contundent gladios suos in ligones &c. Jes.* 2. *v.* 4. altero, quia Israelis causa gentes observabunt septem praecepta (*a*), & ambulabunt per viam bonam, veluti *& docebit nos vias suas, & ambulabimus in semitis ejus: &c. Jes.* 2. *v.* 3.

V. 7. *Ad aperiendum oculos caecos:* ego Dominus vocavi te ad aperiendum oculos caecos, videlicet oculos vestros, qui sunt caeci in exilio ob multitudinem angustiarum: & ita *ad educendum e clausura vinctum*, vinctus enim es in exilio & in domo carceris, ac sedes in tenebris. אסיר cum Daghesc.

V. 8. *Ego Dominus, hoc est nomen meum* (*b*): hoc est nomen meum peculiare mihi, non ut nomen Sculptilium, quamvis enim ipsorum cultores communicent ea mecum in nomine Deorum, non poterunt quidem communicare ea mecum in isto nomine, quia ego sum dominus super omnibus, & ulterius non dabo gloriam meam alteri, ut feci usquemodo, qui non feci judicium in impios, idcirco non cognoverunt me, & declinaverunt post Idola, verùm postquam eduxero Israelitas ab exilio, ac fecero cum eis mirabilia magna, cognoscent me populi, quia non erit ullus praeter me, postquam fecero judicium in impios, ut ait *& erunt omnes superbi, & omnis faciens impietatem stipula, & inflammabit eos dies ventura &c. Malach.* 4. *v.* 1. *& laudem meam sculptilibus*, i. e. neque laudem meam Sculptilibus, nam particula *non* intelligitur hìc repetita, veluti *expectatio pauperum* (*non*) *peribit*, *Ps.* 9. *v.* 19. & ita saepissime.

V. 9. *Priores ecce venerunt:* ait Propheta, prophetiae priores, quas prophetavi de Sancheribo, ecce venerunt; siquidem in diebus Jesaiae Pro-

(*a*) Haec sunt septem illa praecepta, de quibus in Talmude *Cod. Sanhedrìn pag.* 56. *t.* „ Septem praecepta „ tradita fuerunt Filiis Noachi: I. Judicia: II. Benedictio Dei: III. Cultus exterus, seu Idololatria: IV. Retectio turpitudinum: *Vide cap.* 3, *v.* 11. (*a*) V. Effusio sanguinum: VI. Rapina: VII. Membrum discerptum „ ex animali adhuc vivente. „ Praeter primum sunt omnia praecepta *Non facies*, ut Rabbini vocant, quia continent prohibitiones, ac etiam secundum, quo vetatur maledicere Deo.

(*b*) Scil. nomen tetragrammaton *Jehovah*.

Prophetae venerunt. *& novas ego indico*, & nunc ego annuncio vobis prophetias novas, quas non audivistis, easque vobis praedico, antequam pullulent, ac scitote, quòd sicuti substiterunt priores, ita verificabuntur posteriores; istae verò sunt futurae, quia dicit se eductūrum Israelitas ab exilio hoc. Ait *pullulent* per similitudinem, veluti *pullulare faciam cornu Davidis*, *Psal.* 132. *v.* 17. *germinare faciam cornu domus Israelis*, *Ezech.* 29. *v.* 21. res enim nova est veluti pullulatio, quae renovatur, & revelatur super faciem terrae post absconsionem ejus, ita erit salus Israelis.

V. 10. *Cantate Domino*: in tempore redemptionis Israelis. *ab extremo terrae*, laudem ejus annunciabunt gentes ab extremo terrae, nam ab ortu Solis usque ad occasum ejus scient redemptionem Israelitarum, quia dispersi sunt in omnibus angulis, & gentes, quando videbunt mirabilia haec, cantabuut laudem ejus; pariter descendentes in mare cum navibus, quasi dicat, in mari & in arida cantabunt Domino. Ait *& plenitudo ejus* de piscibus maris, qui sunt plenitudo maris, idque per modum similitudinis juxta illud *& omnes arbores agri percutient volam*: *Jes.* 55. *v.* 12. item insulae, & habitatores earum in istis locis cantabunt.

V. 11. *Elevent*: scilicet vocem, *desertum & civitates ejus*, metaphoricè, quodammodo indicit, ut attollant vocem in cantico desertum & civitates ejus, sunt enim loca in desertis, ubi sunt Civitates (*a*). חצרים תשב קדר, attollant vocem villae, in quibus habitabit Kedar, filii enim Kedar habitant per deserta in tentoriis, quae sunt veluti חצרים, i. e. villae seu pagi, sicuti *& domus villarum*, *Lev.* 25. *v.* 31. siquidem filii Kedar non cohabitant simul, sed dispersi in desertis, in quibus morantur hìc & illic tanquam pagani. *habitabit Kedar*, i. e. congregatio Kedar, sicuti *& fuit Israel* 2. *Sam.* 24. *v.* 9. *& fuit Aram* 2. *Sam.* 8. *v.* 9. Meminit autem deserti, & filiorum Kedar, quia per viam deserti egredientur Israelitae ab exilio. *acclament habitatores petrae*, pariter habitatores rupis, videlicet turrium & arcium aedificatarum super rupibus & super montibus, cantent & acclament: utrumque Verbum significat clamorem. Meminit habitatores petrarum & montium, quia hi vident e longinquo eos, qui ambulant per desersertum & solitudinem.

V. 12. *Ponant*: dent ei ore suo gloriam & laudem.

V. 13. *Dominus ut fortis egredietur*: exibit ad salutem Israelis ut Heros, qui exeat ad bellum absque timore. *suscitabit zelum*, zelum Israelitarum, quos fecerunt servire per tot annos. *vociferabitur*, *etiam exclamabit*, totum per similitudinem victorum in bello, qui vociferantur & exclamant contra quemcumque obvium habent. *exclamabit*, idem ac *vociferabitur*, verùm dicit *etiam exclamabit*, quia exclamatio

(*a*) Vide Jo. Lightfootum in Horis Hebraicis ad *Evang. Matth. Cap. III. v.* 1.

tio in elatione vocis plus est, quàm vociferatio. *praevalebit*, scilicet contra hostes.

V. 14. *Silui*: dicit Deus benedictus, a tempore multo tacui, & silui in afflictione Israelis in exilio, & continui me in ferenda oppressione eorum, ut is qui continet se, ne ostendat aliis id, quod premit in corde, ac sibi vim facit ad occultandam voluntatem suam, veluti *& continuit se, & dixit, ponite panem*, Genes. 43. v. 30. *Et continuit se Haman*, Est. 5. v. 10. *quasi parturiens exclamabo*, nunc clamabo ut parturiens, quae clamat in doloribus suis, ita clamabo contra impios, qui sunt hostes mei, quemadmodum ait in versu superiori, plus enim, quàm par est, continui me, non potero ulterius ferre oppressionem eorum. *desolabo & absorbebo simul*, desolabo & absorbebo pariter omnes inimicos meos, & ita *quoniam absorbet me homo*: Ps. 56. v. 2. *absorbet ventum*, Jer. 2. v. 24. *desolare & absorbere* Ezech. 36. v. 3. in significatione absorptionis & corruptionis.

V. 15. *Desolabo montes & colles*: parabola de regibus nationum, & ita *herba eorum* parabola de nationibus, item *flumina .... & stagna* parabola de nationibus, quae plenae sunt omni bono, ut flumina & stagna, quae quidem nunc deficient omni bono isto, eruntque veluti flumina & stagna, quae aruerint, & conversa sint in insulas, quae sunt loca ad habitandum. אחריב significat desolationem.

V. 16. *Et ambulare faciam*: verùm Israelitas, qui sunt veluti caeci in exilio, ambulare faciam in via, quam nesciverunt, ambulare enim eos faciam ad terram suam per viam deserti populorum. *in lucem*, nam qui ambulat in tenebris, aut in via salebrosa, impingit, pariter qui ambulat in via, quam non novit, perinde est, ac si ambulet in tenebris, aut in salebris; Israelitae verò ambulabunt instar ambulantis in luce, & in via recta. *feci eis*, praeteritum pro futuro, & ita saepissime in Verbis prophetiarum, in quibus pleraeque res futurae perinde enunciantur, ac si factae jam sint.

V. 17. *Aversi sunt*: tunc autem confundentur colentes Sculptilia, & sperantes in illis, & avertentur retrorsum a cogitatione sua.

V. 18. *O surdi*: alloquitur Deus Israelitas, qui erant in generatione Prophetae, o Israelitae, qui estis surdi ad audiendum sermonem Domini, & caeci ad videndum illum, audite haec bona, quibus ego affecturus sum Israelem, & a prioribus, quae jam venerunt, scitote, quòd etiam posteriora futura venient; quomodo igitur induratis cor vestrum, neque auditis me, ut bonas ac rectas faciatis vias vestras? quin etiam quando clamo per Prophetas meos, vos esse surdos & caecos, tum vos respondetis:

V. 19. *Quis caecus*: vos dicitis de Propheta Domini, qui est servus meus, quòd est caecus. *ut angelus meus*, de Propheta meo, quem mitto vobis, dicitis, quis caecus & surdus est ut hic? repetit eamdem rem cum vocabulis diversis. *sicut perfectus*, de servo meo Propheta, qui est perfectus in visione cordis, dicitis, quis caecus ut hic?

V. 20.

V. 20. *Videndo*: vos videtis angustias multas, sed non observatis eas cum oculo mentis vestrae, oculi enim vestri vident, sed reipsa caecutiunt, nam quid prodest visus videnti, nisi observet viam suam? pariter aures vestrae sunt apertae, sed non audit unus ex vobis reprehensionem, igitur estis ut surdi. ראות est Makor, & ita etiam פקוח. Ait *observabis, audiet* in numero singulari, quia ne unus quidem ex illis observat neque audit, ut revertatur ad viam bonam. Dum ait תשמור cum Thau characteristica secundae personae, ac deinde ישמע, non est admiratio in hoc, ita enim saepissime occurrit in Scriptura, ut loquatur in persona secunda & non secunda in uno eodemque versu, sicuti *audite populi omnes illi*. 1. *Reg.* 22. *v.* 28. & alibi praeterea.

V. 21. *Dominus voluit propter justitiam suam*: non propter vos magnificabit legem suam adhuc in diebus redemptionis, & magnificam reddet eam, ut scriptum est *quia repleta est terra scientia Domini*, *Jes.* 11. *v.* 9. tunc enim aperientur oculi caecorum, & aures surdorum audient, quum modò sint surdi, & caeci, & in direptione, quia est populus rapinae ac praedae obnoxius, neque intelligunt neque animadvertunt, quòd propter iniquitates suas evenit ipsis hoc.

V. 22. *Et ipse est populus*: Israelitae sunt populus praedae obnoxius, quia depraedantur eos ipsorum hostes, & diripiunt eos jugiter. *illaqueando in foraminibus omnes illos*, veluti *super foramen aspidis*, *Jes.* 11. *v.* 8. ait, quòd in foraminibus, in quibus abdiderunt se, illaqueabunt eos ipsorum hostes, quasi dicat, capient eos laqueo ipsorum. Dum verò dicit foramina, vult intelligere speluncas, at dicit foramina ignominiae causa, quemadmodum dixerunt Philisthaei *ecce Hebraei egrediuntur de foraminibus, ubi se abdiderant*, 1. *Sam.* 14. *v.* 11. & *in domibus carcerum abditi sunt*, ait, quando capient eos hostes ipsorum, abscondent eos in domibus carcerum; & in omni malo isto, & in omni direptione ista non recogitant in animo suo dicendo, propter iniquitates nostras accidit hoc. השב cum Patach sub Scin pro Tzere propter pausam, & vult dicere, non est qui dicat hosti, redde direptionem.

V. 23. *Quis in vobis auribus percipiet hoc*? hanc reprehensionem quis in vobis est qui auribus percipiat, & attendat & audiat, quod futurum est in fine dierum, (idque est *in posterum*) & confiteatur, & dicat *Quis dedit in direptionem &c.*?

V. 24. *Quis dedit*: ne dicant, casu id accidit nobis, sed quòd Sanctus ille benedictus fecit hoc propter peccata nostra. *in direptionem* למשוסה scriptum est cum Vau, sed legitur absque Vau, significatio verò eadem est, nisi quòd scribitur Vau pro littera duplicata. זו חטאנו i. e. hic, cui peccavimus. Sunt qui interpretantur זו pro אשר, veluti *in rete, quod absconderunt*, *Psal.* 9. *v.* 16. & *noluerunt*, ita mos est Scripturae, ut saepe saepius invenitur, quòd in uno eodemque versu loquatur cum pronominibus diversis hoc ab isto, significatus verò idem est:

est: simile huic est illud *esto brachium eorum in matutinis, etiam salus nostra in tempore angustiae. Jes. 33. v. 2.*

V. 25. *Et effudit:* quia peccavit Israel coram eo, ideo effudit super eum *aestum furore suo*, pro *aestum in furore suo*, aut ponitur separatum pro conjuncto, videlicet *aestum furoris sui*, & ita *quasi Epha hordei Ruth. 2. v. 17. congregatione vincti, Jes. 24. v. 22.* ועזוז nomen integrum, pro עז, quod utplurimum invenitur deficiens litterâ duplicatâ, sed hic est perfectum, veluti *& fortitudinem ejus, & mirabilia ejus, Psal. 78. v. 4. & inflammavit illum*, scilicet bellum. *& non cognovit*, & non ponit in corde, quòd propter iniquitates suas acciderunt ei omnia haec, ut convertatur in poenitentia, & recedat ab eo calamitas: dicit *& inflammavit illum a circuitu* de adventu Sancheribi super civitates Jehudae, quas cepit 2. *Reg. 18. v. 13. Jes. 36. v. 1. & arsit in eo*, quando venit exercitus ejus contra Jerosolymam, & ita explicat dominus Pater meus f. m.

JESAIAE CAP. XLIII.

1. ET nunc sic dixit Dominus creator tuus Jaacobe, & formator tuus Israel: ne timeas, quia redemi te, vocavi te in nomine tuo, mihi tu. 2. Quum transieris per aquas, tecum ego, & in fluminibus non immergent te: quum ambulaveris per ignem, non ureris, & flamma non ardebit in te. 3. Quia ego Dominus Deus tuus Sanctus Israelis salvator tuus: dedi pretium redemptionis tuae Aegyptum, Aethiopiam & Sebam pro te. 4. Ex quo pretiosus fuisti in oculis meis, gloriosus fuisti, & ego dilexi te: & dabo homines pro te, & nationes pro anima tua. 5. Ne timeas, quia tecum ego: ab Oriente adducam semen tuum, & ab Occidente congregabo te. 6. Dicam Aquiloni, da, & Austro, ne cohibeas: adduc filios meos e longinquo, & filias meas ab extremitate terrae. 7. Omnis vocatus in nomine meo, & ad gloriam meam creavi eum: formavi eum, etiam feci eum. 8. Educere populum caecum, & oculi sunt: & surdos, & aures eis. 9. Omnes gentes congregentur simul, & colligantur nationes; quis

inter

inter eas indicabit *indicavit* hoc, & priora audire facient. *fecerunt* nos? dent testes suos, & justi *veraces* erunt, alioqui audiant, & dicant, veritas est. 10. Vos testes mei, dicit Dominus, & servus meus, quem elegi: ut sciatis, & credatis mihi, & intelligatis, quòd ego sum, ante me non *fuit* formatum Dei *alterius*, & post me non erit. 11. Ego ego Dominus: & non est praeter me salvator. 12. Ego indicavi, & servavi, & audire feci, & non est in vobis *Deus* alienus: & vos testes mei, dicit Dominus, & ego Deus. 13. Etiam a die ego sum, & non est qui de manu mea eripiat: operabor, & quis avertet id? 14. Sic dixit Dominus redemptor vester Sanctus Israelis: propter vos misi in Babylonem, & descendere faciam fugitivos universos ipsos, & Chaldaei, in navibus clamor eorum. 15. Ego Dominus Sanctus vester: creator Israelis, rex vester. 16. Sic dixit Dominus dans in mari viam: & in aquis vehementibus semitam. 17. Educens currum & equum, exercitum & robustum: simul occumbent, nequaquam resurgent, extincti sunt sicut linum, extincti sunt. 18. Non revocabitis in memoriam priora: & antiqua non considerabitis. 19. Ecce ego facio novum, *quod* nunc germinabit, nonne scitis illud? etiam ponam in deserto viam, in solitudine flumina. 20. Glorificabit me bestia campi, draco *serpens* & filiae ululae *struthionis*: quia dedi in deserto aquas, flumina in solitudine, ad praebendum potum populo meo electo meo. 21. Populum istum formavi mihi, laudem meam narrabunt. 22. Et non me invocasti Jaacobe: *num dices*, quòd laborasti propter me Israel? 23. Non adduxisti mihi agnum holocaustorum tuorum, & *in* victimis tuis non honorasti me: non feci te servire in oblatione, neque laborare te feci in thure. 24. Non emisti mihi cum argento calamum, & adipe victimarum tuarum non inebriasti *irrigasti* me: verùm servire me fecisti in peccatis tuis, & fatigasti me in iniquitatibus tuis. 25.

Ego

Ego ego sum, qui deleo praevaricationes tuas propter me: & peccata tua non recordabor. 26. Fac me recordari, simus in judicio simul: narra tu, ut justifices te. 27. Pater tuus primus peccavit: & magnates tui praevaricati sunt in me. 28. Et occidam principes Sanctitatis: & dabo internecioni Jaacobum, & Israelem conviciis.

COMMENTARIUS.

V. 1. ET *nunc si: dixit Dominus:* nonnulli interpretantur parasciam hanc de Cyro rege Persarum, qui dimisit Israelitas ab exilio Babylonis: dominus verò Pater meus b. m. interpretatur de Sancheribo, quod quidem rectius est, siquidem argumentum hoc cohaeret cum superiori *& inflammavit illum a circuitu, cap. 42. v. 25.* ut explicavimus, & modò securitatem promittit Jerosolymitanis a Sancheribo: licet etiam exponere parasciam hanc ut futuram. *Creator tuus Jaacobe,* ut cognoscas me esse creatorem tuum, & creatorem Mundi. *ne timeas, quia redemi te,* scilicet a gladio Sancheribi, etenim non capiet Jerosolymam: si verò respicit futurum, sensus est, redemi te ab exilio. *mihi tu,* ad me pertinet redimere te.

V. 2. *Quum transieris per aquas:* quia comparaverat exercitum Sancheribi aquis fluminis, quemadmodum dixerat *aquas fluminis vehementes & multas, regem Assyriae &c. cap 8. v. 7.* pariter *inundabit & transibit, usque ad collum pertinget cit. loc. v. 8.* ideo dicit habitatoribus Jerosolymae, quòd non inundabunt ipsos flumina Regis Assyriae, neque transibit per eos ignis ejus, nam comparaverat eum etiam igni, veluti *& inflammavit illum a circuitu, cap. 42. v. 25.* si verò respicit futurum, dicit, quòd dum egredieris ab exilio, transibis inter populos, qui sunt veluti flumina, aut veluti ignis, neque nocebunt tibi.

V. 3. *Quia ego Dominus . . . . Sanctus Israelis:* ego sum Sanctus Israelis patris tui, & servator tuus. *dedi pretium redemptionis tuae Aegyptum, Aethiopiam & Sebam pro te,* nam quando venit exercitus Sancheribi, & posuit faciem suam contra Jerosolymam, audivit de Tirhaka rege Aethiopiae, dicendo, egressus est ad pugnandum contra te, tunc reversus est, & pugnavit cum Aethiopibus & Sabaeis & Aegyptiis, postea reversus est cum captivis illis ad pugnandum contra Jerosolymam, & ibi percussus est exercitus ejus 2. *Reg. 19. v. 9. & 35.* Nunc verò dicit se dedisse Aethiopas & Sabaeos & Aegyptios pretium redemptionis Israelitis, nam traditi sunt in manu regis Assyriae pro Israele. Quia Seba fuit filius τῦ Cus, dicendum est, quòd hìc sub nomine Cus complectitur filios alios. Si verò respicit futurum

rum, alludit ad illud, quod dictum est in prophetia Danielis *& instar turbinis veniet contra eum Rex Aquilonis cum curribus, & cum equitibus, & cum navibus multis.... Et mittet manum suam in terras, & terra Aegypti non erit in evasionem. Et dominabitur in thesauris auri & argenti, & in omnibus desiderabilibus Aegypti, & Lubim & Cusim in gressibus ejus. Dan.* 11. *v.* 40. 42. *&* 43. item ait *Et in tempore illo stabit Michael Princeps magnus, qui stat pro filiis populi tui &c. Dan.* 12. *v.* 1.

V. 4. *Ex quo pretiosus fuisti:* repetit adhuc significationem dicens, eo quod pretiosus & gloriosus fuisti Israel in oculis meis, dabo istos populos pro te; hi conficientur, Israelitae verò eripientur, & exibunt ab exilio.

V. 5. *Ne timeas:* hoc non potest intelligi nisi de futuro; itaque secundum interpretationem, qua interpretati sumus superiora de Sancheribo, dicit, ne timeas, quia sicuti me gessi tecum antea, ita me geram tecum in posterum, & congregabo migrationem tuam a quatuor oris Mundi. Dum dicit *semen tuum*, vult dicere, etiam parvulos ducam leniter, vel dicit *semen tuum*, eo quod prophetia haec utpote futura respicit exilium hoc; prophetia verò dicta est ad eos, qui fuerunt in tempore illo, qui non futuri erant in hoc, sed semen eorum ipsum futurum erat, idcirco dicit *adducam semen tuum*. Dum verò dicit *congregabo te*, docet de revivificatione mortuorum, reviviscent enim illi, qui fuerunt in generatione ea, & migraverunt.

V. 6. *Dicam:* modò meminit quatuor ventorum, namque תימן est Auster; dicit autem תני, הכלאי, הביאי in genere foemineo, quia רוח *ventus* est generis foeminini. Quod autem dicit ventis, est per modum metaphoricum, quasi venti apprehensuri sint eos in locis suis, ut adducant in terram Israelis, vel dicit de habitatoribus ventorum, quemadmodum ait *& afferent filios tuos in brachio &c Jes.* 49. *v.* 22. per *filios meos*, & *filias meas* intelliguntur viri & mulieres, ducet enim leniter mulieres cum earum pueris, quemadmodum ait *lactantes leniter deducet. Jes.* 40 *v.* 11.

V. 7. *Omnis vocatus in nomine meo:* universus Israel appellatur populus Domini; dum dicit *Omnis*, innuit, quòd non relinquetur unus ex eis, quamvis dispersi sint in omnibus angulis, vel dicit *Omnis vocatus in nomine meo* ex Israelitis, & hi sunt justi, repurgabit enim eos Deus in ipsorum exitu, ac boni liberabuntur, quemadmodum ait *omnis scriptus ad vitam in Jerosolyma. Jes.* 4. *v.* 3. & hi sunt vocati in nomine Domini. *& ad gloriam meam creavi eum*, ut ait *creator tuus Jacobe, & formator tuus Israel, sup. v.* 1. hi enim cognoscunt ac sciunt Deum creasse ipsosmet, & creasse Mundum, & fatentur hoc magisquam caeterae nationes, ideoque sunt creati ad gloriam Dei, confitentur enim ei, notumque faciunt Deum creavisse formationem hominis, & ex nihilo produxisse in esse, licèt non ex nihilo verè ac ri-

 go-

gorosè, siquidem creatus fuit ex pulvere, sed quoniam non fuit creatus ex aliqua re eidem simili ejusdemque speciei, videl. ex carne, perinde est ac si creatus fuerit ex nihilo: formatio verò est ordinatio membrorum ejus, factura est apparatus alimentorum ejus rerumque necessariarum ejus corpori, ideo ait *feci eum*. Hac de re debet quisque considerare formationem hominis, & dispositionem membrorum ejus, quomodo facta sunt cum sapientia & apparatu alimoniae ac substentationis ejus a die nativitatis suae, quae sapientia adducit hominem ad cognoscendum Creatorem suum, & ad laudandum eum, & ad confitendum nomini ejus, quae est gloria Dei, idcirco ait, Israelem, quem elegi ad gloriam meam, qui meditatur in operibus meis, & confitetur de unitate mea, justum est, ut educam ab exilio. Licet etiam exponere versum hunc de Mundo universo, quum enim dixisset *Dicam Aquiloni, da &c. v. 6.* modò ait, conveniens est, ut ego praecipiam quatuor ventis Mundi, quia totus Mundus vocatur in nomine meo, sicuti dictum est *In principio creavit Deus Coelos &c. Genes. 1. v. 1. & ad gloriam meam creavi eum*, quia eduxi eum ex nihilo ad esse, non erat enim ibi quidquam, ex quo crearetur. *formavi eum* i. e. formas & fortitudinem ejus. *feci eum*, vult dicere dispositionem particularium ejus, Jonatan vertit *Omnia haec fient propter patres vestros justos, super quos invocatum est nomen meum, quosque in gloriam meam creavi: direxi transmigrationem eorum, & etiam mirabilia feci eis*.

V. 8. *Educere*: הוציא est Makor, quasi dicat, ego dixi me educturum populum caecum, sunt enim in exilio sicut caeci, & sicut surdi.

V. 9. *Omnes gentes*: נקבצו est praeteritum pro futuro: congregentur gentes earumque sapientes omnes, quis inter eos est, qui annunciaverit hanc rem futuram, & priora praedixerit nobis? *priora* intelliguntur de rebus Sancheribi, quis praedixit nobis istas, antequam extitissent, quemadmodum praedixi ego per Prophetas meos? *dent testes suos*, quòd dixerint ea, antequam existerent. *& justi erunt*, dicemus de illis, quòd justi sunt in sermone suo, ac fide digni in verbis suis. *alioqui audiant, & dicant, veritas est*, si verò ignorant, audiant id, quod dicit Propheta, & dicant esse veritatem, & gratias agant ob veritatem.

V. 10. *Vos testes mei*: alloquitur Israelitas. *& servus meus, quem elegi*, hic est Propheta; ait, vos estis testes, quòd quidquid ego dixi vobis de Sancheribo propter malum, quod fecit vobis, deque ejus interitu, totum ego praedixi vobis per Prophetam, antequam existeret, & ita Propheta testis est, quia ipse dixit vobis in nomine meo, & uti dixit, ita fuit. *ut sciatis*, a prioribus sciatis, quòd etiam posteriora subsistent, & credatis mihi, quòd ita subsistere faciam futura, quemadmodum dixi, videl. me educturum filios vestros ab exilio

po-

posteriori, & intelligatis, quòd etiamsi non adsit vobis testimonium de hoc, ex mente vestra poteritis intelligere, quidquid ego dico, esse veritatem. *quòd ego sum*, scilicet veritas, & sermo meus veritas. Sapiens verò Rab. Abrahamus filius Ezrae ita interpretatur *quòd ego sum* „ Haec est appropriatio, qua nulla alia praestantior, quidquid „ enim existit, non est ex semetipso „ לפני לא נוצר אל verbum istud durum ac difficile est Interpretibus, propterea quòd dicit *ante me*, & *post me*, quum Deo benedicto non sit principium neque finis, insuper quia dixit נוצר, ideo nonnulli ex illis interpretantur נוצר ut יצר, & vult dicere, antequam formarem creaturas, non formaverat Deus alius praeter me quidquam (quod quidem dicit de Idolis) & postquam formavi, pariter non formavit Deus alius praeter me quidquam. Dominus verò Pater meus b. m. interpretatur נוצר juxta simpliciorem sensum, nimirum quòd est participium Niphal in statu conjunctionis, quia habet Patach, & vult dicere, non fuit quidquam formatum per manum Dei alterius praeter me, antequam formatae fuissent formationes per manus meas, itemque non erit quidquam formatum per manum alicujus Dei praeter me, quia res creatae sunt per manus meas. Jonatan reddit *Vos testes coram me, dicit Dominus, & servus meus Messias, quem elegi, ut sciatis & credatis coram me, & intelligatis, quòd ego sum ab initio, & saecula saeculorum mea sunt, & praeter me non est Deus*.

V. 11. *Ego Ego*: replicatio inservit ad roborandum, & ita *Ego ego sum*, *infr. v.* 25. ait *Ego Ego Jehova*, quod nomen ostendit substantiam veritatis meae, etenim quum ego sim radix & fundamentum rerum existentium, & omnia existant causa mei, non erit servator praeter me, nimirum citra beneplacitum meum, & faciens quidquam praeter me; quumque salvaverim vos toties, salvabo adhuc, neque erit qui impediat. Sapiens Rab. Abrahamus filius Ezrae ita exponit „ Ait *Ego ego* duabus vicibus, quia non mutatur, sicuti mutantur „ exercitus, superiores quidem respectu centri, inferiores verò in sub- „ stantia & in figura; quapropter salvabo vos in omni tempore. „

V. 12. *Ego indicavi, & servavi*: nimirum, quoties ego servavi vos, indicavi vobis antea per Prophetas meos, & praedixi vobis per eos me servaturum vos, & ita feci. *& non in vobis alienus*, & non est in vobis Deus extraneus, ut in gentibus, idcirco posui faciem meam ad vos in bonum, ut servarem vos, quod quidem non feci reliquis populis, in quibus erat Deus alienus, in quem sperabant, & vos testes mei estis in hoc, quòd ita feci cum Patribus vestris, & vobiscum, & ego sum Deus omnipotens in principio & in fine. Jonatan vertit *Ego indicavi Abrahamo Patri vestro quae ventura erant: ego redemi vos ex Aegypto, sicut juravi ei inter divisiones. Et ego audire vos feci doctrinam Legis meae de Sinai; adhuc permanetis, & non est in vobis extraneus: & vos testes coram me, dicit Dominus, & ego Deus*.

V. 13. *Etiam a die*: scilicet antequam esset dies, quasi dicat, antequam esset Mundus; sensus verò dictionis *Etiam* hic est, quia dixerat *indicavi & servavi v. sup.* nimirum in diebus antiquis, i. e. in diebus patrum vestrorum, modò dicit, etiam ante hoc ego eram, & adhuc antequam esset Mundus pariter ego eram, & ita *a saeculo & usque ad saeculum tu es Deus. Psal. 90. v. 2.* scilicet antequam esset Mundus. Quandoquidem verò ego sum talis, non erit qui de manu mea eripiat, quando voluero servare populum a populo, aut voluero inferre vobis mala. *operabor, & quis avertet id?* quum operatus fuero ac fecero aliquid, quis avertet hanc operationem retrorsum? possumus autem interpretari *a die ego sum*, a tempore multo ego sum vobiscum, quemadmodum ait *Quoniam a saeculo confregi jugum tuum &c. Jer. 2. v. 20.* i. e. a tempore multo; & quoadusque vobiscum fui, & servavi vos de manu inimicorum vestrorum, non fuit qui eriperet.

V. 14. *Sic dixit Dominus*: prophetia haec est de migratione Babylonis. *redemptor vester*, scilicet ab exilio Babylonis. *Sanctus Israelis*, Patris vestri: jam explicavimus in vers. *Quinimo quum viderit ipse cap. 29. v. 23.* rationem, quare vocet eum Sanctum Israelis, & repetat id pluries in hoc libro, videlicet quia ob ejus merita ipse benefacit eis in ipsorum exilio, sicut ait *Et recordabor pacti mei cum Jaacobo, Lev. 26. v. 42. propter vos misi in Babylonem*, propter vos, ut reverteremini ab exilio misi Cyrum in Babylonem, ut vastaret eam, & educeret vos de medio ejus, & reduceret vos in terram vestram. *& descendere faciam fugitivos universos ipsos*, dejiciam habitatores Babylonis de gradibus suis, & fugient in adventu Cyri. בריחים Toar, veluti *fugitivi ejus usque ad Tzoar, Jes. 15. v. 5.* nisi quòd hoc derivatur ex conjugatione daghessata, בְּרִיחִיהָ verò ex Raphatis. *Chaldaei, in navibus clamor eorum*, & Chaldaei fugient in navibus. *clamor eorum*, i. e. clamor fletus, & juxta hanc significationem *surge, clama in nocte Thr. 2. v. 19.* alii interpretantur בריחים *in navibus*, adeo ut Beth sit servile, & re quidem vera רִיחִים est nomen navium, quia vadunt cum vento: Jonatan vertit *cum remis* (a). Miror verò, quòd sapiens Rab. Abrahamus Aben Ezra ita exponat שִׁלַּחְתִּי, quasi legerit שֻׁלַּחְתִּי cum collectione labiorum (b) sub Scin ex conjugatione Pual: haec sunt verba expositionis ejus „ Sensus „ igitur est, tanta veni cum celeritate ad redimendos vos, quasi missus sim. Sapiens verò magnus in Hispania ait, quòd Gloria (c) loquitur cum Propheta, & Princeps Israelis (i. e. Angelus tutelaris „ Israelitarum) est missus in Babylonem ad redimendos Israelitas „

Haec

(a) Ideo fortasse Jonatan vertit *cum remis*, quia בריח significat etiam *vectem*.

(b) Scil. cum vocali Kibbutz, quae collectis labiis profertur.

(c) Kabbalistae nomine כבוד intelligunt etiam שכינה *Majestatem*, seu *praesentiam divinam*.

Haec sunt ejus verba, ego verò per traditionem doctus sum, quòd lectio ejus est שלחתי cum Chirek sub Scin ex conjugatione Verbi Dagheſſati, & ita inveni in omnibus exemplaribus accuratis & correctis, quae vidi, ac etiam Interpres Chaldaeus videtur ita legiſſe, vertit enim *propter peccata vestra migrare vos feci in Babylonem*, nisi quòd expoſitio ejus non est ut expoſitio nostra, quia ille vult dicere, misi vos in exilium in Babylonem. Verùm juxta id, quod invenitur in Verbis Magistrorum nostrorum b. m. videtur, quòd etiam ipsi legerunt שלחתי cum collectione labiorum sub Scin, dixerunt enim, quocumque migraverunt Iſraelitae, Majeſtas divina fuit cum eis: migraverunt in Babylonem, praeſentia divina fuit cum eis, dictum enim est *propter vos miſſus ſum in Babylonem*; migraverunt in Elam, Majeſtas fuit cum eis, dictum enim est *Et ponam Solium meum in Elam*: *Jer.* 49. *v.* 38.

V. 15. *Ego Dominus ſanctus veſter*: quia ſanctifico nomen meum in vobis, ut ait Cyrus *omnia regna terrae dedit mihi Dominus*. . . *Quis in vobis de omni populo ejus, Dominus Deus ejus ſit cum eo, & aſcendat*. 2. *Par.* 36. *v.* 23. *Ezr.* 1. *v.* 2. & 3. *Creator Iſraelis*, ut explicavimus illud *Creator tuus Jaacobe*, *v.* 1. *Rex veſter*, ipſe est Rex veſter in veritate, nec derelinquet vos in manu regum populorum.

V. 16. *Sic dixit Dominus dans in mari viam*: qui dedit populo ſuo Iſraelitico viam in mari rubro, ipſe liberabit vos ab exilio iſto, ſenſus enim cohaeret cum ſuperiori; deinde repetit eamdem rem cum vocabulis diverſis dicens *& in aquis vehementibus ſemitam*, vel dicit *in aquis vehementibus* de Jordane.

V. 17. *Educens*: poſtquam meminit prodigii illius, quod fecit eis in mari rubro, meminit etiam illius, quod fecit ipſis in perſona Sancheribi, quaſi dicat, qui fecit pro vobis prodigia illa, faciet pro vobis adhuc in Babylone. Ait *Educens*, quia ipſe eduxit bellicam fortitudinem Regis Aſſyriae in curribus & equis, & adduxit illam in terram Iſraelis, ut ſcriptum eſt *ſibilabit Dominus ad Muſcam, quae eſt in extremitate rivorum Aegypti, & ad apem, quae eſt in terra Aſſyriae. &c. Jeſ.* 7. *v.* 18. praeterea dixit *Aſſur virga furoris mei*, *Jeſ.* 10. *v.* 5. & re quidem vera ipſe fecit eos exire, idemque fecit eos cadere in Jeroſolyma. *ſimul occumbent, nequaquam reſurgent*, poſtquam decubuere in nocte, non ſurrexerunt amplius, ut ſcriptum eſt *& ſurrexerunt mane, & ecce omnes ipſi cadavera mortuorum*. 2. *Reg.* 19. *v.* 35. idque eſt, quod ait *extincti ſunt ſicut linum, extincti ſunt*, quaſi dicat, quòd in momento mortui ſunt, ut linum ardens, quod celeriter extinguitur. דעכו idem ac כבו.

V. 18. *Non revocabitis in memoriam priora*: ait, ecce haec mirabilia priora non revocabitis ea in memoriam in collectione migrationis, tantum erit prodigium hoc: deinde repetit eamdem rem cum vocabulis diverſis dicens *& antiqua non conſiderabitis*, & ita dixit Jeremias

remias propheta *non dicent ultra, vivit Dominus, qui ascendere fecit &c. cap.* 27. *v.* 7. Magistri verò nostri, b. m. ita declararunt *Non revocabitis in memoriam priora*, haec est subjectio regnorum; *& antiqua non considerabitis*, hic est exitus de Aegypto.

V. 19. *Ecce ego facio novum:* ecce ego facio prodigium novum; loquitur de collectione migrationis. *nunc germinabit*, ait *nunc*, quae dictio significat tempus proximum, quia redemptio prope est, ut veniat, si modò convertantur Israelitae in paenitentia, ejus enim tempus quàm proximum foret, si essent puri ac justi Israelitae, ut dixerunt Magistri nostri b. m „ Et propter iniquitates nostras, quae multae sunt, exierunt ex eis illi, qui exierunt „ vel dicit *nunc*, quasi nunc germinaturum sit, quasi dicat, confidite in illo, perinde ac si videatis illud oculis vestris. *nonne scitis illud?* hanc salutem nonne scitis ab antiquo? scripta enim est in Lege Mosis *& reducet Dominus Deus tuus captivitatem tuam, & miserebitur tui, & reducet, & congregabit te ex omnibus populis &c. Deut.* 30. *v.* 3. quod quidem non dictum fuit de migratione Babylonis, quia non erant dispersi in omnibus populis (*a*), neque exierunt ab exilio nisi qui migraverant in Babylonem, decem enim Tribus non exierunt de exilio suo; praeterea quia dicit, quòd reverteris ad Dominum Deum tuum in toto corde tuo, & in tota anima tua *cit. loc. v.* 2. qui autem migraverunt in Babylonem non reversi sunt ad Dominum in toto corde suo & in tota anima sua, siquidem in illis erant qui profanabant sabbathum, & accipiebant mulieres alienigenas. Quod verò legitur in Libro Jeremiae *postquam impleti fuerint in Babylone septuaginta anni, cap* 29. *v.* 10. ac inferius *Et quaeretis me, & invenietis, cit. loc. v.* 13. intelligitur de duabus migrationibus, quarum facit mentionem in ista parascia. *etiam ponam*, ait *etiam*, quasi dicat, praeterea faciam vobiscum bonum magnum & prodigium grande, quod non sciatis ex lege, nimirum ponam in deserto viam, & in solitudine flumina, quemadmodum dixerat superius in vers. *Vox clamantis cap* 40 *v.* 3. & antea in parascia *confortate manus remissas: cap.* 35. *v.* 3. narraverat totam rem. בישימון significat locum desolatum, h. e. desertum, ejusque radix est ישם, ex illo *& excelsa desolata erunt, Ezech.* 6. *v.* 6.

V. 20.

(*a*) Immo etiam tunc erant dispersi in omnibus populis, ut luculentissimè patet ex vers. 5. & 6. hujus cap. *Ne timeas, quia tecum ego: ab Oriente adducam semen tuum, & ab Occidente congregabo te. Dicam Aquiloni, da, & Austro, ne cohibeas: adduc filios meos e longinquo, & filias meas ab extremitate terre.* Quòd autem hic loquatur de reditu ab exilio Babylonico, apertissimè constat ex vers. 14. ubi ait *propter vos misi in Babylonem*. Hisce addendum, quòd in vers. 1. nominat *Jacobum* & *Israelem*, quo denotantur omnes Tribus, ut in cap. 14 v. 1. & alibi. Nullo igitur fundamento innititur Rabbinorum sententia, seu potius commentum, & vana Hebraeorum omnium spes de liberatione a præsenti exilio.

V. 20. *Glorificabit me:* per metaphoram, sicuti *vel loquere ad terram, & docebit te, Job.* 12. *v.* 8. & ita dixit superius *Gaudebunt desertum & siccitas, cap.* 35. *v.* 1. etenim quando sunt in loco siccitatis aquae, quodammodo desertum & siccitas laetantur, quantò magis bestiae campi, quibus obveniat commodum ex aquis? tunc enim gaudent ac laetantur, & in laudationibus suis quodammodo glorificant me. *populo meo electo meo*, quem scilicet elegi ex reliquis populis.

V. 21. *Populum istum formavi mihi:* formavi, ut esset mihi in populum, & hi enarrabunt laudem meam ob prodigia, quae faciam illis, quum exire fecero ab exilio. Nunc verò incipit in parascia alia corripere Israelitas, qui erant in illa generatione, & dicit, omnia bona, quae ego afferam filiis vestris post vos, qui erunt in exilio, non equidem ob opera vestra bona, neque propter vos faciam; ait igitur:

V. 22. *Et non me invocasti Jaacobe:* ne quidem invocasti me in tempore angustiae tuae, quantò minus igitur laborasti propter me o Israel? illud כי יגעת significat, quòd si dicas, quòd laborasti propter me, respondebo, non fecisti, etenim ne quidem invocasti me. *propter me*, i. e. in cultu meo, quasi dicat, non invocasti me, neque laborasti ad serviendum mihi. Licet etiam exponere, non satis fuit tibi, quòd non invocasti me, verùm defatigasti me serviendo cultui extero, quae res mihi est in defatigationem.

V. 23. *Non adduxisti mihi:* id fuit in diebus Achazi, qui cessare fecit cultum Dei a domo Sanctuarii, ut scriptum est de eo *& clausit fores Domus Domini, & fecit sibi altaria in omni angulo in Jerosolyma. Et in singulis urbibus Jehudae fecit excelsa ad suffiendum diis alienis,* 2. *Par.* 28. *v.* 24. *&* 25. idemque confitetur de ipso Ezechias filius ejus *Quia praevaricati sunt Patres nostri.... & verterunt facias suas a Tabernaculo Domini, & dederunt cervicem. Etiam clauserunt fores Porticus, & extinxerunt lucernas, & suffimentum non suffierunt, & holocaustum non obtulerunt in Sanctitate Deo Israelis.* 2. *Par.* 28. *v.* 6. *&* 7. וזבחיך pro ובזבחיך, deest Bet servile, ut saepissime occurrit. *non feci te servire*, quòd si servivisses mihi, & laboravisses propter me, ego quidem te servire & laborare fecissem, sed quum neque laboraveris neque servieris, nullatenus ego te servire ac laborare feci. *in thure*, quia thus purum adhibebatur in suffumigatione, ipsi verò non suffumigaverunt.

V. 24. *Non emisti mihi calamum:* i. e. calamum aromaticum, qui adhibebatur in suffimento: dicit autem de calamo *emisti*, eo quod non esset calamus in terra Israelis nisi per emptionem, de terra enim longinqua veniebat ad illos, ut scriptum est *& calamus optimus de terra longinqua, Jer.* 6. *v.* 20. *inebriasti me*, per similitudinem. *verùm servire me fecisti*, ecce res haec contra fuit, ego enim non feci te servire, & tu fecisti me servire; sensus est, quòd substinui ut servus, qui substinet laborem suum, quo sensu dixit *fuerunt super me in*

defa-

defatigationem, laboravi sustinendo. Jes. 1. v. 14. peccata enim & iniquitates fuerunt super me in onus grave, quod dicit per similitudinem, & ego sustinui onus vestrum ut servus, cui non est facultas alleviandi laborem suum. Hac de re justum erat, ut conficerem vos in momento propter multitudinem peccatorum vestrorum, verùm cohibui me, quin consumerem vos, idque propter me, non propter vos, ac de peccatis vestris ego ultus sum contra vos paulatim.

V. 25. *Ego ego sum*: duplicatio inservit ad roborandum, vult dicere, ego sum, qui remisi praevaricationem suam generationi deserti, & ego pariter sum, qui condono ac deleo praevaricationes vestras in omni generatione & generatione. *propter me*, ne profanetur nomen meum in vobis, si consumerem vos.

V. 26. *Fac me recordari*: quòd si dicas, me oblitum esse justitias tuas, neque esse adeo multa peccata tua, ut ego assero, fac me recordari, ut is, qui facit socium suum recordari alicujus rei, cujus oblitus sit. *simus in judicio simul*, ego & vos, num percusserim te juxta praevaricationes tuis, an verò deleverim eas tibi. *narra tu, ut justifices te*, narra primùm tu argumenta tua, ut justifices te in judicio, quemadmodum ait *Justus primus est in causa sua: Prov. 18. v. 17.* vult dicere, quòd etiamsi tu narres primus, tamen si narraveris veritatem, non justificabis te, ac etiamsi non narres omnia peccata tua, neque narres omnes justitias meas, quas feci tecum.

V. 27. *Pater tuus primus peccavit*: quomodo dices te non peccavisse, quandoquidem pater tuus primus peccavit? hic verò est primus homo, homini enim naturaliter impressum est peccatum (*a*), quia cogitatio cordis hominis prava est a pueritia sua *Genes. 8 v. 21.* ומליציך i. e. principes & magnates tui, veluti *cum magnatibus principum Babylonis. 2. Par. 32. v 31.* ubi enunciatur res eadem cum dictionibus diversis, veluti *numerum numerationis populi 2. Sam. 24. v. 9.* Meminit autem principum, quia ad illos pertinet arguere populum, & convertere eos ad viam bonam, verùm e contra ipsimet praevaricati sunt in me. Alii per *patrem tuum* intelligunt regem tuum, veluti *& erit manus Domini contra vos & contra patres vestros. 1. Sam. 12. v. 15.* quem locum intelligunt de Jeroboamo, sed rectius est, ut intelligatur de Saule, qui fuit rex ab initio super universum Israelem.

V. 28. *Et occidam*: Vau est patchatum, quia Verbum non habet significationem praeteriti (*b*), sed sensus ejus est, in omni generatione & generatione ego occido Principes Sanctitatis, & do in occisionem Jaco-

(*a*) Vult Auctor noster peccatum originale homini inesse, quod aliàs Hebraei negant.

(*b*) Vau in ista voce ואחלל ideo habet Patach, quia litera subsequens utpote Gutturalis punctata est cum Scevà composito pro simplici Scevà.

Jaacobum, & Israelem in opprobria propter iniquitates eorum, sed non conficio eos omnino. Commemorat autem principes Sanctitatis, quia dixerat *magnates tui praevaricati sunt in me*: ait igitur, quòd Principes Sanctitatis, qui sunt in Israele, interficiuntur per manum inimici, & perimuntur ob iniquitates principum praevaricantium & populi, boni enim perimuntur ob iniquitates malorum, quando hi sunt plures, ut ait *ne forte perimaris in iniquitate Civitatis*. *Genes.* 19. *v.* 15. etenim non eripietur unus inter multos nisi per miraculum, & ita dictum est *Dederunt cadavera Servorum tuorum escam volatilibus Coeli, carnem Sanctorum tuorum bestiis terrae*. *Psal.* 79. *v.* 2. hinc patet, quòd fuerunt servi Dei, & Sancti ejus, & tamen perempti fuerunt ob iniquitates plurium, ad quod propositum dictum est *Quia usque ad justitiam revertetur judicium*: *Ps.* 94. *v.* 15. לחרם ad occisionem, veluti *& omnem animam interfecit*, *Jebos.* 10. *v.* 40. *conviciis*, quia ipsi sunt in opprobrium & convicium inter nationes. In Deras „ *Et* „ *occidam principes Sanctitatis*, isti sunt Levitae. „

JESAIAE CAP. XLIV.

1. ET nunc audi Jaacobe serve mi: Israel, quem elegi. 2. Sic dixit Dominus magnificator *factor* tuus, & formator tuus ab utero, *qui* auxiliabitur tibi: ne timeas serve mi Jaacobe, & o recte, quem elegi. 3. Quia effundam aquas super sitientem, & fluenta super aridam: effundam spiritum meum super semen tuum, & benedictionem meam super egressiones tuas. 4. Et germinabunt in inter herbam: sicut salices juxta processus aquarum. 5. Iste dicet, Domini ego, & hic vocabit *se* cum nomine Jaacobi: & iste scribet manu tua, Domini, & cum nomine Israelis cognominabit *se*. 6. Sic dixit Dominus rex Israelis, & redemptor ejus, Dominus exercituum: ego primus, & ego ultimus, & praeter me non est Deus. 7. Et quis sicut ego vocabit, & indicabit ea, & ordine disponet ea mihi, ex quo posui populum saeculi: & ventura, & quae venient indicabunt propter se? 8. Ne timeatis, & ne formideatis; nonne ex tunc au-

dire te feci, & indicavi? & vos testes mei: an est Deus praeter me? & non est fortis, *quem* non cognoverim. 9. Formatores sculptilis omnes ipsi vanitas, & desiderabilia eorum nequaquam proderunt: & testes sui ipsorum ipsa, non vident, neque sciunt, ut erubescant. 10. Quis formavit Deum, & sculptile texit *fudit* absque utilitate? 11. Ecce omnes socii ejus erubescent, & artifices sunt ex hominibus: congregent se omnes ipsi, stent, pavebunt, erubescent simul. 12. Faber ferri *faciet* asciam, & operabitur cum carbone, & cum malleis figurabit illud: & fecit illud in brachio *in* fortitudine sua *in fortitudine brachii sui*, etiam famelicus & absque vi, non bibit aquas, & lassus fuit. 13. Faber lignorum tendit lineam, delineabit illud cum amussi, faciet *disponet* illud cum dolabris, & cum circino describet illud: & fecit illud secundum structuram viri, secundum gloriam hominis ad manendum domi. 14. Ad succidendum sibi cedros, & cepit tirzam & castaneam *quercum*, & roboravit se in lignis silvae: plantavit ornum, & pluvia crescere faciet. 15. Et erit homini ad comburendum, & sumet ex illis, & calefaciet se, etiam ardere faciet, & coquet panem: etiam faciet Deum, & prostrabit se adorandi causa, fecit illud sculptile, & procubuit eis *ei*. 16. Dimidium ejus combussit in igne, super dimidium ejus carnem manducabit, assabit assaturam, & satiabitur: etiam calefaciet se, & dicet, euge, calefeci me, vidi lumen. 17. Et residuum ejus in Deum fecit, in sculptile suum: procumbet ei, & prostrabit se, & orabit ad illud, & dicet, libera me, quia Deus meus es tu. 18. Non cognoverunt, neque intellexerunt, quia oblinivit oculos eorum, ne videant, ne intelligant corda eorum. 19. Et non reducet ad cor suum, & non *est ei* scientia neque intelligentia dicendi, dimidium ejus combussi in igne, ac etiam coxi super carbones ejus panem, assabo carnem, & comedam: & residuum ejus in abominatio-

nem

nem faciam, ramo arboris procumbam. 20. Pascit cinerem, cor illusum declinare fecit eum: & non eripiet animam suam, neque dicet, nonne mendacium in dextera mea? 21. Memento horum Jaacobe, & Israel, quia servus meus es tu: formavi te, servus mihi es tu, Israel oblivioni non traderis a me. 22. Delevi ut nubem densam praevaricationes tuas, & ut nubem peccata tua: revertere ad me, quia redemi te. 23. Cantate Coeli, quia fecit Dominus, clangite inferiora terrae, fragorem edite montes cantu, silva & omnis arbor, *quae est* in ea: quia redemit Dominus Jaacobum, & in Israele gloriabitur. 24. Sic dixit Dominus redemptor tuus, & plasmator tuus ab utero: ego Dominus faciens omnia, extendens Coelos solus, expandens terram ex me. 25. Dissipans signa mendacium, & divinantes stultos reddet: avertens sapientes retrorsum, & scientiam eorum infatuabit. 26. Stare faciens verbum Servi sui, & consilium Angelorum suorum perficiet: dicens de Jerosolyma, habitabitur, & de civitatibus Jehudae, aedificabuntur, & vastationes ejus surgere faciam. 27. Dicens profunditati, arescito: & flumina tua siccari faciam. 28. Dicens de Cyro, pastor meus *est*, & omnem voluntatem meam perficiet: & dicendo de Jerosolyma, aedificabitur, & Templum fundabitur.

COMMENTARIUS.

V. 1. *Et nunc audi:* quamvis ego occidam & percutiam vos propter iniquitates vestras, adhuc tamen afficiam vos bono magno, & nunc audi consolationem bonam, es enim servus meus inter nationes reliquas, teque elegi ex omnibus illis. Servus autem bonus quamvis interdum peccet, tamen non expellit eum dominus ejus, sed corripit eum, ac postremò quum correptus fuerit pluries, & poenituerit servum, ac redierit ad serviendum domino suo in rectitudine cordis, tum afficit eum dominus ejus bonis multis.

V. 2. *Sic dixit Dominus:* עשך intelligendum juxta illud *qui* עשה *Mosem & Aharonem*, 1. *Sam.* 12. *v.* 6. scilicet qui magnificavit eos,

vel juxta illud *creator tuus Jes.* 43. *v.* 1. *& formator tuus ab utero*, sapiens Rab. Abrahamus Aben Ezra sentit, quòd hìc innuat Jaacobum eo modo, quo dictum est *In utero supplantavit fratrem suum*, *Hos.* 12. *v.* 4. quasi dicat, qui formavit Jaacobum in utero cum ea vi, qua tenuit manus ejus calcaneum Esavi fratris sui, quod non est secundum consuetudinem reliquorum embryonum, etenim embryo non profert manum suam de repente, multò minus apprehendit ac tenet manu sua, verùm hoc fuit opus miraculi: is autem, qui fuit cum patre vestro in utero, erit vobiscum in exilio, quod est locus angustus vobis, sicut uterus embryoni. Verùm rectius est exponere *& formator tuus ab utero*, ut explicavimus *creator tuus cap.* 43. *v.* 1. illud verò *ab utero* hoc sibi vult, quòd in tempore exitus filii ab utero pater ingredi eum facit in foedus Dei, & circumcidit octavo die. *auxiliabitur tibi*, i. e. qui auxiliabitur tibi, hic tibi dicit, ne timeas. *& o recte* (*a*), notum est, hunc esse Israelem; ita verò appellatur, quia ipse est rectus inter populos.

V. 3. *Quia effundam*: quia sicut ego effundo aquas super locum aridum, ita effundam spiritum meum super semen tuum, & ita dixit Joel *effundam spiritum meum super omnem carnem* (ubi *per omnem carnem* non vult innuere nisi Israelem tantùm, ut sequitur) *& prophetabunt filii vestri, & filiae vestrae cap.* 3. *v.* 1. & ita effundam super eos benedictionem meam. Dicit autem in hoc loco *super semen tuum*, & *super egressiones tuas*, quia tunc Propheta prophetabat ad homines generationis suae, & faciebat sperare salutem super filios eorum, eo quòd ventura esset redemptio in diebus illorum. Aptat autem metaphoram aquae spiritui & benedictioni, ac primùm animae, quia Israelitae sitiunt in exilio verbum prophetiae, quae jam cessavit multis abhinc annis, & ita dixit *non famem panis, neque sitim aquae, sed audiendi verba Domini*. *Amos.* 8. *v.* 11. ideo facit sperare se irrigaturum sitientem, ut aquae irrigant locum siticulosum & aridum, & huc refertur illud *effundam spiritum meum super semen tuum*; deinde corpori, quia Israelitae sitiunt in exilio salutem, & omne bonum, quod promisit illis Deus in ipsorum reditu ad terram suam, & de hoc dicit *& benedictionem meam super egressiones tuas*. Dum verò dicit *super aridam*, vult dicere aridam & sitientem, tota enim terra generaliter appellatur Arida, quemadmodum ait *Et vocavit Deus Aridam, terram*, *Genes.* 1. *v.* 10. verùm hìc specialiter intelligitur de loco sitienti & arido terrae.

V. 4. *Et germinabit in inter herbam*: Beth in בבין est servile ad additionem explicationis, satis enim erat si dixisset בין חציר, tale est Beth in dictione בתוך. Ait, germinabunt Israelitae in prosperitate, perinde ac si plantati sint inter herbam; idque per similitudinem,

herba

(*a*) Grotius interpretatur ישרון Ἰσραηλίδιον h. e. ô *Israelule*, quomodo filiolos alloqui solemus.

herba enim germinat celeriter, ideoque assimilavit eos herbae ob nimiam celeritatem germinationis ejus, non ob durationem, herba enim non subsistit diu, sicut ait *Quoniam sicut herba velociter succidentur*, *Psal.* 37. *v.* 2. idcirco postea dicit *sicut salices juxta processus aquarum*, qui persistunt in virore suo omnibus diebus.

V. 5. *Iste dicet*: quia superstites in Israele universi erunt Sancti, ideo clamabunt omnes, se esse Domini, & semen Jaacobi, quemadmodum ait *Et erit relictus in Tzione, & residuus in Jerosolyma, Sanctus dicetur ei: &c. Jes.* 4. *v.* 3. itemque ait *Et erit, omnis, qui invocaverit nomen Domini, evadet*: *Joel* 3. *v.* 5. *scribet manu sua, Domini*, dicet ore suo, & scribet manu sua, *Domini*, scilicet se esse Domini: Jonatan vertit *offeret oblationem suam*. Dicit autem *Iste*, & *iste*, quia veniet hinc unus, & inde alter, ut scriptum est *& vos colligemini unus & alter filii Israelis. Jes.* 27. *v.* 12. *cognominabit*, cognominabit se ipsum nomine Israelis, etenim non memorabitur nomen proprium, sed quisque dicet, ego sum Israelita.

V. 6. *Sic dixit Dominus rex Israelis & redemptor ejus*: quum redemerit Israelitas, ipse tantùm erit rex eorum, qui non erunt amplius in potestate regum gentium, ipse enim est dominus exercituum inferiorum & superiorum, in manu ejus sunt omnia, & facultas est in manu ejus educendi illos ab exilio. Ego sum primus etiam respectu exercituum superiorum manentium absque immutatione, respectu istorum quoque ego sum primus, siquidem ego creavi eos: Ego pariter sum ultimus, nam illi deficient, ego verò subsistam. *& praeter me non est Deus*, dicit ad refutandam fidem colentium Solem, Lunam, & Stellas, nullus ex istis est Deus, sed per imperium ac potestatem meam gubernant id, quod gubernant.

V. 7. *Et quis sicut ego*: quisnam, qui sit Deus sicut ego, vocabit (a) praeterita & futura, atque indicabit, ac ordine narrabit mihi id, quod fuit, ex quo posui populum mundi? scilicet a creatione Mundi; dicit autem *ex quo posui*, quasi dicat, ego posui creata in tempore, quo creavi ea, unaquaeque in termino suo, superiora superiùs, & inferiora inferiùs, & ita dicat mihi *ventura & quae venient*, ubi quidem non est repetitio vocis, sed significantur quae futura sunt in tempore proximiori, & quae ventura sunt in tempore remotiori. למו interpretatur Jonatan pro לנו: licet etiam intelligere juxta simplicem sensum, scilicet propter se ipsos, quasi dicat, indicent mihi ad justificationem suam: sunt quoque qui exponunt ואותיות in significatione portenti. He in יגידה & ויערכה intelligendum de iis, quae transierunt a creatione Mundi usque in praesens tempus.

V. 8. *Ne timeatis*: dicit Israelitis, ne timeatis a Diis aliis, neque formidetis ab illis; & ita dixit Jeremias *ne timeatis ab eis, quia non malefacient, & etiam benefaciendi non est in eis facultas*. *Jer.* 10. *v.* 5.

(a) Scil. clara & alta voce dicet ac narrabit, ut explicat Vatablus.

v. 5. ואל תרהו juxta locum suum idem significat ac אל תפחדו, Jonatan vertit *ne timeatis, neque consternemini*, veluti *ne timeas, neque consterneris*. *Deut.* 31. v. 8. nonne ex quo audire te feci & annunciavi futura, reipsa venerunt? vos quidem testes mei estis, quia vobis misi Prophetas meos, ac vobiscum feci prodigia & mirabilia, scitisque, num sit Deus praeter me, ut ait Moses Magister noster *vel numquid tentavit Deus, ut veniret ad capiendum sibi gentem de medio gentis in tentationibus in signis &c. . . . in oculis suis? Deut.* 4. v. 34. i. e. ut ait hic *& vos testes mei. & non est fortis*, (*quem*) *non cognoverim*, quia non est supra Eum quidquam cognitum, omnia enim, quae sunt cognita, universa ea apud Eum sunt; vel sensus est, non existit Potentia, quam non cognoverim, sed homines non cognoscunt Potentias in veritate, quòd non sunt Dii, idque dicit de Angelis & de Sphaeris. Jonatan vertit *& non est qui sit fortis, nisi a conspectu meo detur ei fortitudo*.

V. 9. *Formatores sculptilis*: artifices, qui faciunt & formant sculptilia, omnes sunt vanitas, quia eorum opera sunt inanitas, sculptilia enim, quae sunt desiderabilia eorum, quia desiderant ac amant ea, non proderunt illis; ad quid igitur desiderant ea? *& testes sui ipsorum ipsa*, quòd si dicatis de sculptilibus, nescimus, quòd prodesse non possint, testes sui ipsorum sunt ipsa, sculptilia ipsa testantur contra semetipsa, quòd prodesse non possunt, quia non vident neque cognoscunt; quum igitur non videant, neque audiant, neque cognoscant, quomodo proderunt aliis? sunt qui ועדיהם המה ita interpretantur, ipsa testantur contra semetipsa nullam inesse sibi vim, si enim comburas ea, non poterunt eripere se, quantò minus alios? *ut erubescant*, revocent sibi in memoriam id, ut pudore afficiantur ob cultum, quem exhibuerunt illis.

V. 10. *Quis formavit Deum*: quis faciet opus vanitatis ut hoc, quòd laboret in vanum, & ponat argentum suum in vanitatem? estne dementia huic similis? נסך texit illud, vel significat fusionem.

V. 11. *Ecce omnes socii ejus*: i. e. qui se consociant cum eo ad faciendum vel colendum illud; vel חבריו intelligendum est juxta simplicem sensum, nimirum quòd sculptile est vanitas, quique se occupant in illo, sunt pariter vanitas ut ipsummet, quemadmodum ait *Formatores sculptilis omnes ipsi vanitas supr.* v. 9. idcirco sunt socii sculptilis in vanitate. *& artifices sunt ex hominibus*, non sunt Angeli neque Seraphim ii, qui faciunt hujusmodi Deum, sed artifices ex filiis hominum, qui faciunt caetera opera, & faciunt Deum, haec est res admiratione digna. *congregent se omnes ipsi*, i. e. omnes cultores sculptilium conveniant, & discutiant opera sua, quid sint, & considerent ea; si facient id, certum est, quòd timebunt a Deo poenam ob id, quod fecerunt, & pudore afficientur ex se ipsis ob opera sua, quae apparebunt esse vana, quum consideraverint ea.

V. 12.

V. 12. *Faber:* חרש eſt conjunctum cum ברזל, quia Reſc habet Patach. Narrat nunc quomodo fruſtra laborent in opere ſculptilium: faber ferrarius facit dolabram & malleos, quia omnis artifex opus habet inſtrumentis ferreis, ſive faciat ſculptile ex ligno, ſive ex lapide, ſive ex ferro, ſive ſtanno, ſive ex argento, ſive reliquis fuſilibus vel metallis, inſtrumentis ferreis facit ea. מעצד inſtrumentum ferreum, quo faber incidit ligna, quod vulgò vocant Dolabram, vel Aſciam (a). *& operabitur cum carbone*, idem faber operatur cum pruna, in quam inflat ad calefaciendum ferrum, ut faciat ex eo inſtrumentum: item operatur cum malleis, quos facit, ut figuret cum eis ſculptile, idque eſt, quod ait *& cum malleis figurabit illud.* יצרהו radix ejus eſt יצר, & prima radicalis Verbi abſorpta eſt in Dagheſc. *& fecit illud in brachio fortitudine ſua*, cum tota vi ſua operatur in illo, quia expectat ex operatione ſua mercedem bonam. בזרוע כחו in brachio in vi ſua, etenim Bet ſervile, quod praefixum eſt voci בזרוע, iterum ſubintelligitur, vel explicandum eſt per metatheſim, ſcilicet in fortitudine brachii ſui, juxta illud *locum ibi ſepulchri Ezech.* 39. *v.* 11. *etiam famelicus & abſque vi*, ob nimium deſiderium ſuum operandi, etiam quum advenerit tempus comeſtionis, nolet ſurgere ab opere licèt famelicus, ſed operabitur, donec eſt in eo vis; item ſitiet, ac tamen non ſurget ne ad bibendum quidem, & ecce quamvis ſit laſſus, ſitibundus, ac famelicus, tamen operatur ob nimium deſiderium operandi.

V. 13. *Faber lignorum:* hìc pariter חרש eſt conjunctum, nam Reſc habet Patach. *tendit lineam*, i. e. menſuram. *delineabit illud*, i. e. terminat illud, quaſi dicat, ponit terminum in ligno cum filo phoenicio, ſcilicet cum funiculo tincto, quocum ſignat artifex id, quod vult excidere ex ligno, ſicuti *Et deſignabit terminum Joſ.* 15. *v.* 9. *&* 11. *&* 18. *v.* 14. color verò ille appellatur minium, & linea, ſeu menſura, quam dixit, eſt filum, quod intingitur in minio. *faciet illud cum dolabris*, poſtquam deſignaverit illud, diſponit & aptat cum dolabris; dolabrae verò ſunt duo inſtrumenta ſimilia quoad eorum operationem, quorum unum appellant *pialla*, alterum verò *ſimanet* (Italicè *pialluzzo*) quibus abradit artifex extimam faciem ligni, & laevigat illud, ſic illud *Et domum* יקציע *Lev.* 14. *v.* 41: Chaldaicè redditur *abradere faciet:* Jonatan במקצעות interpretatur *cum cultris*, quia hujuſmodi inſtrumenta facta ſunt inſtar cultrorum. *& cum circino deſcribet illud*, מחוגה vulgò *conpaſſo*, cum quo faciunt figuras & formam rerum figuratarum. Prius יתארהו habet Aleph cum Cha-

(a) Addit Auctor in Lib. Rad. „ Vel eſt „ קרדום ſecuris „ majus ſcil. inſtrumentum. Apud Arabas ſignificat falcem vel ſecurim ad arbores ſecandas. Non deſunt qui forcipem exponunt. Rab. Selom. ſcribit eſſe ex inſtrumentis officinae exufflatoriae,, ſeu fabrorum ferrariorum.

Chateph = Patach, alterum verò cum Chateph = Kametz. *secundum gloriam hominis*, quia figura ejus pulchrior magisque decora est quàm caeterorum animantium: Jonatan כתפארת אדם vertit *juxta decorem mulieris, ut habitet in domo*, ac si dicat, quemadmodum gloria mulieris est manere domi, & non egredi foras, ita hujusmodi sculptile perpetuò manebit domi; eadem ratione *Et anima hominis e mulieribus*, *Num.* 31. *v.* 35. Dominus verò Pater meus f. m. interpretatur juxta simpliciorem sensum, i. e. per duplicationem significatus dicens, & faciet illud secundum imaginem viri, secundum gloriam hominis; qua verò de caussa? ut maneat domi, non ad alium usum, quia de loco suo non movebit se.

V. 14. *Ad succidendum sibi cedros*: usque modò exposuit opus sculptilis ex ligno bono, nunc verò dicit, quòd alios subit labores factor sculptilis, proficiscitur enim ad silvam, ut succidat sibi cedros faciendi gratia ex illis sculptile. Majores etiam his suscipit curas, plantat enim plantam, & nutrit illam, donec eo perveniat, ut ex ea succidantur ligna faciendi gratia sculptile: videte quousque perveniat vis cultus ipsorum! & omnia quidem levia sunt in eorum oculis, dum cogitant se recepturos mercedem bonam ob hoc, verùm frustra laborant, quia non considerant opera sua. Dum dicit *cedros*, quaerit magis aestimatam inter illas, ut succidat eam. *tirzam*, haec est arbor sterilis, & interpretantur esse illam, quam Arabicè appellant جبار (*a*). אלון est castanea. *& roborabit se in lignis silvae*, quaerendo ex illis praestantiorem. *plantavit ornum*, ארן pariter est arbor bona ad opus. In Verbis Magistrorum nostrorum f. m. „ ligna cedrorum, ornorum, „ & abjetum „ *& pluvia crescere faciet*, sunt qui interpretantur גשם corpus, i. e. corpus arboris, & ita Syriacè *corpus ejus tingebatur*: *Dan.* 4. *v.* 30. *&* 5. *v.* 21. sed rectius est exponere juxta planiorem sensum ejus, ita enim reddit etiam Jonatan *pluvia nutrit*. Necesse autem non erat dicere *& pluvia crescere faciet*, quum notum sit, quòd quidquid germinat, illud crescere facit imber; verùm dixit, quòd etiamsi ipse plantet propter idololatriam, i. e. pro faciendo Idolo, tamen imber crescere facit eam, licèt imber ex missione Dei benedicti veniat, quia Mundus lege sua gubernatur, ut ad hoc propositum dixerunt Magistri nostri, quorum memoria sit in benedictione „ Num- „ quid si quis furatus fuerit Seam (mensuram) frumenti, & semina- „ verit eam, justum est, quòd non germinet? at Mundus lege sua gu- „ bernatur, & fatui, qui corruperunt, reddent rationem „

V. 15. *Et erit*: quando succidit lignum, & destinat illud pro sculptile, segmentis abscissis utitur ad comburendum, & ad calefaciendum se, &

(*a*) D. Hieronymus reddit *ilicem*, alii *pinum*, alii *cupressum*, alii *fagium*, quidam ad רזה referunt, a tenuitate, & gracilitate, ac cedri speciem esse putant proceram quidem, sed gracilem, nec frondosam, nec resina pinguem. Allata vox Arabica significat *palmam proceram*.

ſe, & coquit panem cum illis fragmentis lignorum. ויחם Chet legitur cum Kametz=Chatuf, & ſuper Jod eſt Zakef. ישיק pro יבעיר, quaſi dicat, ardere faciet cum illis fornacem. *& coquet panem*, juxta illud *& mole farinam*: *Jeſ.* 47. *v.* 2. למו pro לו, vel ſimpliciter pro להם, ſcilicet ſculptilibus, quamvis non meminerit niſi unius tantùm, plura enim ſunt.

V. 16. *Dimidium ejus*: i. e. partem ejus; ait, quòd in medietate ejus, quam ſuccendit, utilitatem capit duobus modis, nimirum quòd aſſat in ea aſſaturam, & manducat, donec ſaturetur, & adhuc quòd calefacit carnem ſuam igne. *ſuper dimidium carnem manducabit*, verba illa *aſſabit aſſaturam* declarant, quomodo manducet carne ſuper dimidium ejus, nimirum quia aſſat in eo aſſaturam. *& dicet*, *euge*, vox laetitiae, veluti *euge euge vidit oculus noſter*. *Pſal.* 35. *v.* 21. ita dicit ſtultus iſte infatuatus in negotio ſculptilis, & laetatur in illo propter ſtultitiam ſuam duobus modis, propter commodum corporis, quod tum percipit, & dum cogitat, quòd erit ipſi merces bona in cultu illius. Ita igitur dicit, quàm bonum mihi eſt hoc ſculptile! utilitatem enim percepi ex parte ejus in commodo corporis mei, & partem ejus colam, ac liberabit me in tempore anguſtiae meae. חמותי habet accentum in ultima.

V. 17. *Et reſiduum ejus in Deum*, explicat ſubdens *in ſculptile ſuum*, hoc eſt, in deum ſuum. יסגד לו וישתחו, repetitio ſignificatus cum vocabulis diverſis, יסגוד enim idem ſignificat, ac ישתחו; aut יסגוד ſignificat incurvationem, וישתחו expanſionem manuum ac pedum, ut exponunt Magiſtri noſtri f. m. (*a*). Jonatan vertit *adoravit illud*, *coluit illud*.

V. 18. *Non cognoverunt neque intellexerunt*: טח ex Quieſcentibus Ain, quamvis habeat Patach, & eſt Verbum tranſitivum in alium, & obliniens eſt Deus, juxta illud *Impingua cor populi hujus*, *Jeſ.* 6. *v.* 10. ut ibi explicavimus; vel obliniens eſt cogitatio eorum mala praevalens ipſorum intellectui.

V. 19. *Et non reducet*: Vau ולא דעת eſt ſicut Vau *elevavit Abrahamus oculos ſuos Geneſ.* 12. *v.* 4. *&* 13. vel eſt replicatio rei: ait, & non reducit ad cor ſuum verba ea, quae dixit *verſ.* 16. quum ſint verba admirationis, & non eſt in corde ejus neque ſcientia neque intelligentia dicendi, h. e. recogitandi in corde ſuo id *dimidium ejus combuſſi in igne*, *ac etiam &c. coxi ſuper carbones ejus*, item ſuperius dixerat *etiam ardere faciet v.* 15. utrumque enim facit homo cum lignis, aut ardere facit cum illis fornacem, & coquit panem per adhaeſio-

(*a*) Quatuor Verbis Hebraei honoris cultum deſcribunt: השתחוה corporis totius proſtrationem denotat: כרע verticis inclinationem: קדד demiſſionem capitis cum ſuperiore corpore uſque in genua: ברך genuum inflexionem. Ita Buxtorfius ex Talmude in radice ברך

fionem, aut coquit panem fuper carbones. *& refiduum ejus*, fcilicet quod fupereft ex illo, eftque nomen fubftantivum, ex illo *Refiduum erucae Joel* 1. *v*. 4. לבול עץ ramo arboris, & ita *Quia ramum montes afferent ei*, *Job*. 40. *v*. 15. & radix ejus eft יבול.

V. 20. *Pafcit cinerem*: dicit Propheta, qui facit fculptilia colendi gratia, pafcitur cinere, quafi dicat, occupatur in re, quae non proderit ei, juxta illud *Ephraim pafcit ventum*. *Hof*. 12. *v*. 2. Jonatan vertit *Ecce dimidium Dei ejus in cinerem redactum eft*. *cor illufum declinare fecit eum*, הותל eft Toar, quamvis habeat Patach, & juxta proprietatem deberet dagheffari, verùm eft leve, ficuti *illufit mihi*, *Genef*. 31. *v*. 7. ait, cogitatio prava, quae illudit ei, declinare eum fecit in viam malam, & ipfe non intelligit, neque eripit animam fuam, antequam pereat. *neque dicet*, *nonne mendacium in dextera mea*? id, quòd operatus fum, & feci cum dextera mea, mendacium eft, & ita vertit Jonatan *Nonne mendacium feci in dextera mea?*

V. 21. *Memento horum Jaacobe*: fi populi, qui colunt fculptilia, non intelligunt, tu memento verborum hujufmodi, ac ne finas decipi blanditiis colentium fculptilia. *quia fervus meus es tu*, ex tunc fervus meus es tu, & non fervus fculptilium, & idcirco formavi te, ut fis mihi fervus. *formavi te*, idem fignificat ac illud *creator tuus*, *& formator tuus cap*. 43. *v*. 1. vel tempus, quo accepit Ifraelitas in populum, & eduxit eos de domo fervorum, iftud eft tempus formationis: Jonatan vertit *formavi te*, *ut fis fervus meus ferviens coram me*. לא תנשני oblivioni non traderis a me, memento mei tu, & ego recordabor tui.

V. 22. *Delevi ut nubem denfam praevaricationes tuas*: inftar nubis, quae refolvitur in aquas, fic delevi praevaricationes tuas. *revertere ad me*, & id, quod peccavifti ufque modò, delevi. Sapiens Abrahamus filius Ezrae fcribit „ ut nubes, quae tranfit in egreffu folis „, repetit autem eamdem rem cum vocabulis diverfis. שובה habet accentum in ultima. *redemi te*, nunc redimam te ab exilio Babylonis.

V. 23. *Cantate Coeli*: per modum fimilitudinis, quafi univerfus Mundus laetetur in exitu Ifraelitarum ab exilio. *quia fecit Dominus*, fcilicet bonum cum populo fuo, & redemit eum. *inferiora terrae*, hoc eft punctum medium, quod eft in terra, ideoque commemorat circulum & fimul punctum: facit autem mentionem filentium & germinantium i. e. vegetabilium, animantium verò non facit mentionem, quia non laetabuntur univerfa, nam Babylo flebit. פצחו fignificat elationem vocis: memorat autem montes, quia radix & fundamentum creationis terrae funt montes, qui in ea funt. *gloriabitur*, quia gloriatio Dei erit, dum educet populum fuum ab exilio, fimulque populi glorificabunt eum propter hoc; & ita dixit Cyrus *omnia regna terrae dedit mihi Dominus*, *Ezr*. 1. *v*. 2. 2. *Par*. 36. *v*. 23.

V. 24. *Sic dixit Dominus .... plafmator tuus ab utero*: explicavimus.

faciens

faciens omnia, feci universum Mundum in tempore creationis, & non adfuit nisi ego solus, & in singulis diebus ago, quia ego facio eum stare vi ac virtute mea. *extendens Coelos, expandens terram*, explicavi ea: dum verò dicit *solus*, & *ex me*, vult dicere, quòd ego sum anterior omnibus creaturis, & in tempore creationis non fuit nisi ego tantùm, ac ex me & ex virtute mea extiterunt omnia. In Berescit Rabba „ Omnia confitentur Angelos non fuisse creatos in die primo, „ ne qui dicerent, Michael expandebat in plaga australi firmamenti, „ Gabriel in septentrionali, Sanctus verò ille benedictus metiebatur „ (extendebat) in medio ejus, verùm ego sum Dominus faciens „ omnia, extendens Coelos solus, & expandens terram ex me „ מי אתי scriptum dicit, quis fuit socius & cooperator mecum in creatione Mundi?

V. 25. *Dissipans signa mendacium*: quum sit ipse dominus universorum, dissipat ac irritat, quando vult, opera a sapientibus, qui fuerunt in Babylone, qui mentiebantur in signis suis, dicentes ea esse signa Coelorum, quemadmodum ait *& a signis Caeli ne consternemini*, *Jer.* 10. *v.* 2. vel signa hic significant horas diei, quemadmodum ait *& fuerunt in signa*, *Genes.* 1. *v.* 14. etenim non cognoverunt calamitatem, quae ventura erat ipsis, ut ait *stent nunc*, *& servent te speculantes Coelos &c. Jes.* 47. *v.* 13. appellat autem eos mendaces, quia mentiebantur in judicio signorum Coelestium. בדים ex illo *Mendacia tua homines tacere faciunt*, *Job.* 11. *v.* 3. ubi בדיך significat mendacia tua; eadem est significatio vocis קוסמים, isti enim sunt contemplatores, veluti *Et Bilamum filium Beoris divinantem Jehos.* 13. *v.* 22. erat enim contemplator astrorum: mendaces verò & divinatores & sapientes sunt replicatio ejusdem rei cum vocabulis diversis. At sapiens Rab. Abrahamus filius Ezrae explicat בדים ex derivatione בדד, quia existunt spiritus, quibus est virtus abstractionis, ac indicant futura, sed non per sapientiam. קוסמים sunt sapientes signorum Coelestium, videl. Astrologi. חכמים sunt illi, qui considerant ac speculantur jecur & humerum, h. e. aruspices.

V. 26. *Stare faciens verbum servi sui*: hic est Jesaias, Angeli verò sunt reliqui Prophetae, qui prophetaverunt super aedificatione Domus secundae. לירושלם *de Jerosolyma*, & ita *de Civitatibus*. *habitabitur*, quia revertentur habitatores ejus in eam. תושב radix ejus est ישב, ex conjugatione Pual. *& vastationes ejus*, i. e. Jerosolymae, cujus meminit.

V. 27. *Dicens profunditati*: haec est Babylo, quam assimilat profunditati maris duabus de causis, primùm quia plena erat aquis, deinde quia erat veluti convallis. חרבי *arescito*, scilicet ne relinquatur ullum bonum in ea, sed vastetur per Cyrum, & ita *ac flumina tua siccari faciam*, per modum similitudinis, etenim in manu Dei sunt

 omnia

omnia, siquidem ipse dicit de Jerosolyma, quae erat vastata, quòd reaedificabitur, & e contra dicit de Babylone, quae erat aedificata, quòd vastabitur.

V. 28. *Dicens de Cyro:* de Cyro dicit, ipse est pastor meus, quasi dicat, qui gubernabit pecus meum, scilicet Israelem. *& omnem voluntatem meam perficiet*, in Babylone ac in Jerosolyma. *Templum fundabitur*, ecce invenitur היכל in genere masculeo & foeminco, invenitur enim *& Templum Domini non fundatum erat*. *Ezr.* 3. *v.* 6. Probabile verò est, quòd Thau sit Characteristica secundae personae: dicit autem *fundabitur*, quia in diebus Cyri non fecerunt nisi fundamentum, etenim Ammonitae cessare fecerunt opus ipsorum, fuitque intermissum usque ad annum secundum Darii.

JESAIAE CAP. XLV.

1. SIc dixit Dòminus Uncto suo Cyro, cujus apprehendi dexteram ad sternendum coram eo gentes, & lumbos regum dissolvam: ad aperiendum in conspectu ejus fores, & portae non claudentur. 2. Ego ante te ambulabo, & tortuosa rectificabo: fores aeris conteram, & vectes ferri succidam. 3. Et dabo tibi thesauros tenebrarum, & thesauros latebrarum: ut scias, quòd ego Dominus vocans *te* cum nomine tuo Deus Israelis. 4. Propter servum meum Jaacobum, & Israelem electum meum: & vocavi te cum nomine tuo, cognominavi te, & non cognoveras me. 5. Ego Dominus, & non est ultra, praeter me non est Deus: cinxi te, & non cognoveras me. 6. Ut sciant ab ortu Solis & ab occasu ejus, quòd nullus praeter me: ego Dominus, & non est deinceps. 7 Formans lucem, & creans tenebrositatem, faciens pacem, & creans malum: ego Dominus faciens omnia haec. 8. Stillate Coeli desuper, & aetheres fluant justitiam: aperiat se terra, & fructificent salus & justitia, germinare faciet simul; ego Dominus creavi eam. 9. Vae contendenti cum formatore suo, testae cum testis terrae: num dicet lutum formatori suo, quid facis? & opus

& opus tuum *dicet*, non sunt manus ei? 10. Vae dicenti patri, quid generas? & mulieri *matri*, quid parturis? 11. Sic dixit Dominus Sanctus Israelis & formator ejus: ventura interrogate me, super filios meos & super opus manuum mearum praecipite mihi. 12. Ego feci terram, & hominem super ea creavi: ego, manus meae extenderunt Coelos, & omnem exercitum eorum praecepi, 13. Ego excitavi eum in justitia, & universas vias ejus dirigam: ipse aedificabit civitatem meam, & migrationem meam dimittet non in pretio neque in munere, ait Dominus exercituum. 14. Sic dixit Dominus, labor Aegypti & merx Aethiopiae & Sebaim *Sabaei* viri mensurae super te transibunt, & tibi erunt, post te ambulabunt, in compedibus transibunt: & ad te prostrabunt se, ad te orabunt, tantùm in te Deus, & non est amplius ullus Deus. 15. Verè tu Deus celans te: Deus Israelis salvator. 16. Pudore suffusi sunt, ac etiam ignominia affecti sunt omnes illi: simul iverunt in ignominia, fabri torminum. 17. Israel servatus est in Domino, salute saeculorum: non erubescetis, neque ignominia afficiemini usque in saecula perpetuitatis. 18. Nam sic dixit Dominus creans Coelos, ipse est Deus formans terram, & faciens eam, ipse aptavit eam, non in vanum creavit eam, ad inhabitandum formavit eam: ego Dominus, & non est amplius. 19. Non in abscondito loquutus sum, in loco terrae tenebrarum; non dixi semini Jaacobi frustra, quaerite me: ego Dominus loquens justitiam, indicans rectitudines. 20. Congregamini & venite, accedite simul abjecti *evasores* gentium: non cognoverunt portantes lignum sculprilis sui, & orantes ad Deum, *qui* non salvabit. 21. Indicate, & accedere facite, etiam consultent simul: quodnam *ex Idolis* audire fecit hoc ab antiquo, ex tunc indicavit id? nonne ego Dominus? & non est ultra Deus praeter me, Deus justus & servator, nullus citra me. 22. Respicite ad me, & salvi estote omnes

fines.

fines terrae: quia ego Deus, & non eſt deinceps. 23. Per me juravi, exiit ab ore meo *in* juſtitia verbum, & non revertetur, quòd mihi incurvabit ſe omne genu, jurabit omnis lingua. 24. Verùm per Dominum, mihi, dixit, *ſunt* juſtitiae & fortitudo: ad eum veniet *venient*, ac pudefient omnes, qui exardeſcunt ira in illum. 25. In Domino juſtificabuntur, & gloriabuntur univerſum ſemen Iſraelis.

COMMENTARIUS.

V. 1. *Sic dixit Dominus Uncto ſuo Cyro*: ſicuti appellavit eum *paſtorem meum*, *cap.* 44. *v.* 28. ita nunc appellat eum *Unctum meum*, quaſi dicat regem meum, quia ego feci eum regnare, ut vaſtaret Babylonem, rex enim ungi ſolet; aut propterea quòd initiatio regni fit per unctionem, ideo praefectus, quem quis praeficit huic negotio enunciatur vocabulo unctionis, veluti *& unges Chazael in regem* 1. *Reg.* 19. *v.* 15. *unges in Prophetam pro te cit. loc. v.* 16. *propterea unxit Dominus me Jeſ.* 61. *v.* 1. & ita *Uncto ſuo Cyro*, i. e. praefecto ſuo, quia Deus praefecit eum in regem. לרד Makor ex Kal juxta analogiam illius *ut tendunt aucupes*, *Jer.* 5. *v.* 26. ac eſt ex derivatione illius *qui ſubſternit populum meum ſub me*. *Pſal.* 144. *v.* 2. nimirum ſignificat *ſternere*, nam Chaldaeus וירקעו reddit ורדידו *Exod.* 39. *v.* 3. *diſſolvam*, ne ſit in illis robur coram Cyro, quia cingulum eſt robur ac munitio lumborum. *ad aperiendum*, quaſi eſſent apertae, & ita *non claudentur*, quaſi non ſint amplius claudendae, dicit enim *fores aeris conteram*, *verſ. ſeq.*

V. 2. *Ego ante te*: quaſi dicat, auxilium meum ambulabit ante te. *& tortuoſa*, vias tortuoſas complanabo ante te, idque per modum ſimilitudinis, ne impingat, dum Babylonem contendet, in ullam rem: ſimile autem הדורים שׁוֹ habetur in Verbis Magiſtrorum noſtrorum דכנתא הדורה (a). אושר ſcriptum eſt cum Vau, ſed legitur אישר cum Jod, ſignificatio verò eadem eſt, quia litterae *Ehevi* commutantur inter ſe. *conteram*.... *ſuccidam*, quia per auxilium meum capietur Babylo, quamvis portae ejus aereae ſint, & vectes ejus ferrei.

V. 3. *Et dabo tibi theſauros tenebrarum*: id enim, quod quis theſaurizat ex argento & auro lapidibuſque pretioſis, ſubter ſolo theſaurizat in loco obſcuro, & in latibulis; in Babylone verò fuerunt theſauri multi, quemadmodum vocavit eam *auream cap.* 14. *v.* 4. videlicet dominam auri. ומטמני cum Sciurek ſub Mem ſecundo. *ut*

ſcias,

(a) Videlicet *inteſtina minora convoluta*, *Ileon*, *volvulus*.

sciat, quòd ego Dominus, scilicet quòd haec victoria, quam referes in terris subjiciendo reges terrarum subter te, non per exercitum erit, neque per vires, sed per spiritum ac beneplacitum meum; & re quidem vera Cyrus cognovit id in mente sua, nimirum a Deo evenisse sibi, ut ipse ait *omnia regna terrae dedit mihi Dominus Deus Coelorum*, *Ezr.* 1. *v.* 2. 2. *Par.* 36. *v.* 23. Quia verò reges, qui ante ipsum fuere, superbierunt, neque cognoverunt Deum, donec misit manum suam in ipsos, ut rex Assyriae, qui dixit *in fortitudine manus meae feci, & in sapientia mea, quia prudens fui Jes.* 10. *v.* 13. & Nebucadnetzar, qui dixit *Ascendam super excelsa nubis, similis ero Altissimo*. *Jes.* 14. *v.* 14. idcirco intellexit Cyrus in se ipso, quumque vidisset priores, qui superbierant, cecidisse in manum Dei, sensit vim Deo acceptam esse referendam, simulque cognovit omnia esse in manu ejus, ipsumque exaltare & deprimere.

V. 4 *Propter servum meum Jaacobum*: id, quod facio, non propter te, sed propter servum meum Jaacobum, idque totum ad vastandam Babylonem (quia Babylonii servire fecerunt Israelitas durius quam par est, & aggravaverunt Mundum) & ad educendos eos ab exilio; propter hoc ego do tibi hujusmodi vires. *cognominavi te, & non cognoveras me*, plures enim annos ante Cyrum, & ante migrationem Israelitarum, prophetavit Propheta de vastatione Babylonis. Ait *& vocavi te cum nomine tuo*, simulque dicit *cognominavi te*, quia interdum vocatio facta fuit per nomen *Cyri*, interdum absque commemoratione nominis Cyri, i. e. per cognomen. *& non cognoveras me*, & adhuc non cognoveras me, quum proclamarem per Prophetam meum, te vastaturum Babylonem.

V. 5. *Ego Dominus* . . . *cinxi te*: posui cingulum in lumbis tuis, dum adhuc non cognoveras me, jam enim loquutus sum per servos meos Prophetas de te, me daturum tibi vim supra regna terrae ac super Babylonem.

V. 6. *Ut*: וממערבה He est raphatum, quia non est suffixum, sed nomen substantivum in genere foemineo, pro מערב in genere masculeo; rectius verò, quòd He sit suffixum Solis, qui invenitur etiam in genere foeminino, nec obstat, quòd He sit raphatum, quia sic alibi reperitur. Meminit autem Orientis & Occidentis, quia ab ortu usque ad occasum Orbis est perfectè habitabilis, non ita verò a Septentrione ad Meridiem.

V. 7. *Formans lucem*: ובורא חשך habet accentum in ultima, ובורא רע habet accentum in penultima. Meminit lucis ac tenebrositatis, pacis & mali, quia hujusmodi res sibi invicem contrariae sunt. Commemorat verò eas cum distinctione, ita enim se geret Deus, dabit lucem & pacem Israeli, tenebras & malum Babyloni; malum verò est contrarium paci, quia pax est bonum, bellum autem malum. Ait de luce ac pace *formans*, *faciens*, quia istae sunt opus; de tenebrosita-

te:

te verò & malo ait *creans*, eoquod non sint res, nam subtractio lucis est tenebrositas, & subtractio boni ac pacis est malum. Hic *& creans* habet significatum decisionis, veluti *Et si creationem creaverit Dominus*, *Num.* 16. *v.* 30. videlicet decernens ut fit. Dominus autem Pater meus f. m. interpretatur *& creans tenebrositatem*, scilicet terram, quia ipsa causat tenebras in Mundo, quando enim occidit Sol, terra media est inter Solem & nos, idcirco ea est tenebrositas. *faciens pacem*, scilicet inter qualitates, quae contrariae invicem sunt ex natura ipsarum, in consensu enim vel aequali temperamento quatuor istarum qualitatum consistit sanitas corporis, quae est pax; si verò una ingravescat & augeatur prae altera, frigidum prae calido, vel calidum prae frigido, sive humidum prae sicco, vel siccum prae humido, eveniet morbus corporis, quod est malum. Hic autem venit ex cibis noxiis corpori, nam si sint calidi, & comedat ex illis magis quam par est, praevalebit qualitas calida, aut e contra, quia unaquaeque stat in proportione alterius. Aut morbus venit a rebus aliis, Creator verò creavit res istas & cibos; & quamvis homo sit sibimetipsi causa morborum, qui proveniunt propter cibos, tamen Creator benedictus creavit eos, idque est *& creans malum*, quamvis reverà ipse non creaverit eos in malum. Scribit Magister noster Saadias, quòd attribuit bonum & malum creationi Dei contra sententiam illorum, qui credunt in duas Divinitates, unam bonam, alteram malam, idcirco ait *ego Dominus faciens omnia haec*.

V. 8. *Stillate Coeli desuper* : הרעיפו habet significationem stillationis, & ita ex Kal *& aetheres stillabunt rorem*. *Prov.* 3. *v.* 20. ubi est litterarum transpositio. *fluant*, dicit hoc metaphoricè de salute, quae veniet Israelitis, perinde ac si Angeli Coelorum venturi sint in eorum auxilium, & ita habitatores terrae. *& fructificent salus & justitia*, *germinare faciet simul*, nimirum fructificent salus & justitia, quas germinare faciet terra simul; & quamvis super ישע sit Zakkef, tamen istud nomen copulatum est cum וצדקה, idcirco dicit *& fructificent* in numero plurali. *creavi eam*, scilicet unamquamque ex eis, nimirum salutem & justitiam, Jonatan interpretatur hunc versum de revivifcentia mortuorum.

V. 9. & 10. *Vae contendenti cum formatore suo*: dicit hoc de rege Babylonis, qui superbiebat, seque elevabat contra Deum, & protulit vasa Domus Sanctuarii, ut biberet in illis *Dan.* 5. *v.* 2. Assumit autem parabolam, & ait, num lutum contendet cum eo, qui format ipsum, dicetque ei, quid facis? ego sum sciens magis quam tu. *testae cum testis terrae*, quia iste rex testa reputabitur cum testis terrae, etenim tanquam vas figuli dispersus est celeriter, ut scriptum est *In ipsa nocte interfectus est Belsciatzar rex*, *Dan.* 5. *v.* 30. *non sunt manus ei*, videtur, quòd non fecerint ipsum manus; & ita assimilat filio, qui dicat patri, quid generas? aut matri, quid parturis? haec enim
est

est res quae, non subsistit: & quomodo elevabit se rex Babylonis super Deum, cujus in manu ipse est, ut lutum in manu figuli? & ita dixit de rege Assyriae *Numquid gloriabitur securis contra incidentem cum ipsa? Jes.* 10. *v.* 15.

V. 11. *Sic dixit Dominus .... ventura interrogate me:* ait veluti coram nationibus, interrogate me circa futura, quae ventura sunt Israelitis, ego indicabo vobis, non ut Dii vestri, qui non sciunt quidquam. *super filios meos*, super Israelitis, qui sunt filii mei, & opus manuum mearum, praecipite Prophetis pro me, ut dicant vobis verba mea, & ipsi indicabunt vobis id, quod ego facturus sum propter filios meos; & quidem vis est in manu mea faciendi, quia ego creavi omnia.

V. 12. *Ego.....& hominem super ea creavi:* facit mentionem hominis, quia ipse est praefectus super ea, & caput creationum terrae, ac omnia in ea creata sunt propter ipsum: ait *manus meae extenderunt Coelos*, itemque ait *& omnem exercitum eorum praecepi*, quemadmodum dixit David *quia ipse praecepit, & creata sunt. Psal.* 148. *v.* 5. ut ostenderet tibi, opus & extensionem non fuisse nisi praeceptum; praeceptum verò non fuit in sermone, sed in voluntate.

V. 13. *Ego excitavi eum in justitia*: pronomen *eum* refertur ad Cyrum, cujus meminit superius: ait, ego sum, qui feci totum hoc, suscitavi Cyrum, qui faceret justitiam, & educeret Israelitas ab exilio, ac debellaret eos, qui odio habent & servire faciunt illos, & haec est justitia. *ipse aedificabit civitatem meam*, ipse enim dedit illis argentum & aurum ad aedificandam Domum & Urbem. *non in pretio neque in munere*, sed ut faceret voluntatem meam, quia cognovit in animo suo, me fecisse ipsum regnare, quemadmodum ipsemet ait *dedit mihi Dominus Deus Coelorum*, *Ezr.* 1. *v.* 2. 2. *Par.* 36. *v.* 23. itemque ait *& ipse praecepit mihi, ut aedificem ei domum d. vers.* 2. *& migrationem meam dimittet*, ut idem ait *Quis in vobis de universo populo ejus, sit Deus ejus cum eo, & ascendat Ezr.* 1. *v.* 3. 2. *Par.* 36. *v.* 23. hoc igitur faciam Israelitis, & insuper salutem aliam ante hanc, & ante ipsorum migrationem, & haec est caedes Sanchéribi, de qua dicit:

V. 14. *Sic dixit Dominus, labor Aegypti:* eodem sensu, quo dixerat superius *dedi pretium redemptionis tuae Aegyptum, Aethiopiam & Sebam pro te. cap.* 43. *v.* 3. ubi exposuimus significatum, pariterque explicavimus in Parascia *erunt quinque civitates in terra Aegypti, cap.* 19. *v.* 18. *& Sebaim viri mensurae*, i. e. mensurae magnae, veluti *viri mensurarum*. (i. e. gigantes) *Num.* 13. *v.* 33. *super te transibunt*, rex enim Assyriae fecit eos transire illuc ad Jerosolymam. *& tibi erunt*, nam ceperunt Israelitae universam praedam, siquidem erant in compedibus & in catenis. *& super te*, pro *& ad te*; dicit Jerosolymae *& ad te prostrabunt se, ad te orabunt*, ut liberes ipsos a vinculis suis, & confitebuntur tibi, o Israel, non esse fortem nisi te,

 neque

neque auxiliatorem praeter te, nullumque Deum nisi Deum Israelis.

V. 15. *Verè*: ita dicent illi; vel sunt verba Prophetae, quòd sic confitebuntur gentes, & ita est in veritate, quòd tu es Deus abscondens te, quia es invisibilis, esque Deus Israelitarum, quia in illis apparet potentia, & fortitudo tua in salute, qua salvas eos in tempore angustiae ipsorum. מסתתר interpretatur Jonatan ut נסתר, vertit enim *In veritate tu Deus habitare fecisti in fortitudine excelsa Majestatem tuam*: sapiens verò Rab. Abrahamus filius Ezrae interpretatur juxta proprietatem ejus, quòd est ex conjugatione Hitpael „ Equidem „ verum est, te esse Deum celantem te a gente, in qua non est tibi „ beneplacitum, teque esse Deum Israelis Salvatorem. „

V. 16. & 17. *Pudore suffusi sunt, ac etiam ignominia affecti sunt*: innuit ignominiam, esse quid majus pudore. *fabri torminum*, scilicet artifices sculptilium, quae appellantur צירים, quod nomen habet significationem ex illo *tormina & dolores apprehendent eos*. *Jes.* 13. v. 8. quemadmodum etiam vocantur עצבים. Hinc igitur patet, quòd iverunt in ignominiam artifices sculptilium eorumque cultores, quia non servaverunt eos in tempore calamitatis ipsorum sculptilia, quae adduxerunt secum, at Israelitae non erubescent, neque ignominia afficientur, quia salvabuntur in Domino salute saeculorum: saecula significant tempora longa. *non erubescetis*, sunt verba Prophetae ad Israelitas. *usque in saecula perpetuitatis*, omnibus diebus Mundi.

V. 18. *Nam sic dixit Dominus*: ait *Nam*, quia haec Parascia est ratio superioris, quae loquitur de Idolis, quae non salvabunt neque eripient, quum non sit servator nisi Deus, quia ipse creavit omnia. *creans Coelos*, jam superius explicavimus, istius argumenti mentionem saepissime facere Prophetam propter fides pravas, quae erant in generatione sua. *ipse est Deus*, quum ipse creaverit omnia, necessariò est Deus, scilicet judex & gubernator, non Orbes Coelestes & Stellae, quae licèt gubernent inferiora, jussu tamen meo id faciunt, ego verò sum Deus super illis, ut scriptum est *ipse est Deus Deorum*, *Deuter.* 10. v. 17. Ait hoc veluti coram cultoribus Idolorum, quòd non deceat colere nisi eum, qui est Dominus super omnibus, & ita dicit *formans terram* ad recipiendam virtutem & gubernationem superiorum, *& faciens eam*, scilicet disponens eam, quasi dicat, ipse disposuit eam, ut essent habitatores super ea, quando congregare fecit aquas in unum locum. *Genes.* 1. v. 9. *ipse aptavit eam*, aptavit eam, ut essent creata super ea fructifera & multa, ut ait illis *crescite & multiplicamini Genes.* 1. v. 2. si verò imminuuntur, id fit culpa hominum, quibus est scientia intelligendi bonum & malum, & dum faciunt malum, imminuuntur vel hic per illum in bello, vel per caedem a Deo, quemadmodum caesus fuit exercitus Assyrius, cujus meminit, ob iniquitatem enim suam caesi & imminuti fuerunt, siquidem Deus creavit terram ad fructificandum & ad multiplicandum, non creavit eam frustra „

ut.

ut esset vacua sine hominibus ac bestiis, sed ut essent habitatores super ea, qui non-imminuuntur nisi ob iniquitates suas. *ego Dominus, & non est amplius*, non est qui vulneret, ac sanet a morte, & vivificet, nisi ego tantùm.

V. 19. *Non in abscondito loquutus sum*: quum loquerer in statione montis Sinai, non fuit id in abscondito, & in loco terrae tenebroso, ne quis videret, neque audiret, sed palam revelavi me super montem Sinai semini Jaacobi cum tonitribus, & fulguribus, & nube gravi, & voce tubae valde vehementi, & audiverunt ac viderunt tonitrua loca proxima monti Sinai, & ex illis audiverunt alii, & alii ex aliis, impossibile enim erat rem tantam ut hanc non innotescere in universo Mundo. Totum autem hoc non feci in vanum, sed hoc fine proposito, ut scirent, quòd ego sum Deus, & imperavi semini Jaacobi, ut quaererent me, quemadmodum ait *ego sum Dominus Deus tuus, Exod.* 20. *v.* 2. & non quaererent alium praeter me, ut ait *non erunt tibi Dii alii coram me. Exod.* 20. *v.* 3. *non dixi semini Jaacobi frustra*, hoc judicium manavit omnibus hominibus, verùm illi & ipsorum patres adhaeserunt mihi magisquam caeterae gentes, & sumpsi eos peculium ex omnibus populis, & ideo debebant reliqui populi discere ab illis, & non quaerere Deos alios, quia non profuturi erant ipsis, quemadmodum non profuerunt neque servaverunt sculptilia, quae erant in exercitu Assyrio. *ego Dominus loquens*, id, quod loquutus sum ad semen Jaacobi, totum est justitia & rectitudines.

V. 20. *Congregamini .... accedite*: accedite omnes vos ad me. פליטי הגוים abjecti inter gentes, isti verò sunt cultores sculptilium, possibile enim non est, nullos in gentibus esse sapientes, & intelligentes vanitatem esse cultum sculptilium. Et quamvis cultores multi sint, appellat tamen eos פליטי, nimirum viles & abjectos, veluti *abjecti Ephraim estis, Jud.* 12. *v.* 4. ubi פליטי significat viles & abjectos, qui erant in Ephraim. *non cognoverunt portantes lignum sculptilis sui*, non cognoscunt neque intelligunt, quomodo sit Deus, quum ipsi portent eum, & tamen precantur ad eum, & in veritate est Deus, qui salvare non potest.

V. 21. *Indicate*: quisque socio suo, & accedere facite alter alterum coram magnatibus & gubernatoribus vestris, qui etiam consilium communicent simul, si scierunt hoc, & dicant, quodnam ex omnibus Idolis suis praedixit id ab antiquo, antequam veniret, & quodnam ex omnibus sculptilibus suis indicavit id ex eo tempore, antequam veniret hujusmodi decretum, quod adduxi super Castra Assyriae, pariterque decretum, quòd adduxi super Babylonem: dicit *hoc*, quia de utroque loquutus fuerat in Parascia superiori. *nonne ego Dominus?* ego sum, qui indicavi per servos meos Prophetas decretum hoc, antequam veniret. *& non est altra Deus praeter me*, qui annunciaverit illud, & ego sum Deus justus, quasi dicat, fidelis & constans in verbis meis.

meis. *& servator*, servavi enim Jerosolymam a rege Assyriae, & liberavi Israelem ab exilio Babylonis.

V. 22. *Respicite ad me:* ut vidistis Israelitas, qui salvi sunt per me, eoquòd respiciunt ad me, ita vos, omnes fines terrae; quasi dicat, omnes gentes ab extremis terrae usque ad extrema terrae respicite ad me pariter, eritisque pariter salvae per me, ac scietis me esse Deum, nullumque alium esse praeterea.

V. 23. *Per me juravi:* juramentum hoc est decretum, quod non revertetur: ait, Per me juravi, quòd hoc erit in novissimus diebus, quòd respicient ad me, & salvabuntur omnes fines terrae, idque est quod ait *exiit ab ore meo justitia verbum, & non revertetur*, scilicet exiit ab ore meo in justitia, neque revertetur retrorsum istud verbum; & quodnam est id? quòd mihi incurvabit se omne genu, jurabit omnis lingua, ut ait Tzephanias Propheta *Quia tunc convertam ad populos labium purum, ut invocent omnes nomen Domini, ut serviant ei humero* (i. e. consensu) *uno. cap. 3. v. 9. jurabit omnis lingua*, quemadmodum ait *& per nomen ejus jurabis. Deut. 6. v. 13.* vult dicere, quòd non commemorabunt nomen Deorum aliorum, neque incurvabunt se coram illis, sed coram Deo incurvabunt se, & orabunt, ac per nomen ejus jurabunt in veritate.

V. 24. *Verùm per Dominum: mihi, dixit, justitiae:* sentiunt Glossatores haec esse verba Prophetae: alii sic interpretantur, ait Propheta, haec futura non scivi per sapientiam, sed per Deum, quia dixit mihi Deus meus justitias & fortitudinem: sapiens Rab. Abrahamus filius Ezrae ita exponit, verùm in Domino tantùm sunt justitiae & fortitudo, & ingreditur vox לי hoc sensu, cum Domino, qui loquitur mecum. Dominus verò Pater meus f. m. ita exponit, ait Propheta, ego juro per Dominum, qui mihi dixit justitias & fortitudinem. *ad eum veniet*, scilicet praeditus justitiis & fortitudine accedet ad eum, & pudore ac ignominia afficientur omnes succensentes in eum, scilicet omnes qui indignantur & irascuntur in eum: Jonatan vertit *Veruntamen in verbo Domini dixit ad me, ut adduceret justitiam & fortitudinem. In verbo ejus confitebuntur, & confundentur in Idolis suis omnes populi, qui irruebant in populum ejus.* Rectior verò mihi videtur haec esse declaratio, quòd hic versus cohaereat cum superiori, ait, jurabit omnis lingua, sed per Dominum tantùm, & non per Deum alium; ratio verò expositionis hujus ea est, quia τῶ *jurabit* non est ligatura in eo versu, ac τὸ לי non est cum illo ligatum, quum non ligetur (h. e. construatur) significatio juramenti hac ratione, sed cum Bet, non cum Lamed, veluti *per Dominum juravi, 2. Sam. 19. v. 8. Per me juravi vers. super. Jer. 22. v. 5. & 49. v. 13. & per nomen ejus jurabis. Deut. 6. v. 13. & juravi ei per Dominum, 1. Reg. 2. v. 8.* & ita generaliter. Itaque sensus hujus loci est, dixit Deus, mihi sunt justitiae & fortitudo, quas impertior illis, qui serviunt mihi. *ad eum veniet; ac pudefient omnes, qui exardescunt ira in illum*, omnes populi

li, qui succensebant in eum, & spreverunt eum, & cultum ejus usque ad diem illum, tunc venient ad eum, & confitebuntur coram eo, ac pudore afficientur ob id, quod fecerunt. Ait *veniet* in numero singulari, volens dicere unumquemque populum: Masora notat, quòd haec est una ex vocibus illis, quae existimantur numeri pluralis.

V. 25. *In Domino justificabuntur*: populi pudore afficientur, at semen Israelis justificabuntur in cultu ipsius, & jactabunt se in illo coram populis, eo quòd adhaeserunt ei etiam in exilio ipsorum, ut ait *si obliti sumus nominis Dei nostri, & expandimus palmas nostras ad Deum alienum*. *Psal.* 44. *v.* 21.

JESAIAE CAP. XLVI.

1. CUrvavit se Bel, reflexus est Nebo, fuerunt Si-
mulachra eorum super bestiam & super jumen-
tum: *jumenta* portantia vos onerata, onus lasso. 2. Re-
flexerunt se, curvaverunt se simul, non potuerunt effu-
gere onus: & anima eorum in captivitatem abiit. 3. Au-
dite ad me Domus Jaacobi, & omne residuum Domûs
Israelis: qui bajulamini ab utero, qui portamini a vul-
va. 4. Et usque ad senectutem ego sum, & usque ad ca-
nitiem bajulabo: ego feci, & ego portabo, & ego baju-
labo, & eruam. 5. Cui assimilabitis me, & aequabitis,
& comparabitis, & similis *ero*? 6. Vilipendentes aurum
de crumena, & argentum cum calamo appendent: mer-
cede conducent aurifabrum, & faciet ex eo Deum, pro-
cumbent, etiam prostrabunt se. 7. Attollent illum, su-
per humerum bajulabunt illum, & sistent illum in loco
suo, & stabit, e loco suo non movebit se: etiam clama-
bit ad illum, & non respondebit *exaudiet*, de angustia
sua non servabit eum. 8. Mementote hujus, & praestate
vos viros *roborate vos*: reducite praevaricantes super cor.
9. Mementote priorum a saeculo: quòd ego Deus, &
non est deinceps; Deus, & nihil sicut ego. 10. Indicans
a principio posterius, & a pridem *ea*, quae non facta sunt:
di-

dicens, consilium meum stabit, & omnem voluntatem
meam faciam. 11. Vocans ab Oriente Avem, de terra
longinqua Virum consilii mei: etiam loquutus sum, etiam
venire faciam illud, formavi, etiam efficiam illud. 12.
Audite ad me fortes corde: o longinqui a justitia. 13.
Appropinquare feci justitiam meam, non procul distabit,
& salus mea non tardabit: & dabo in Tzione salutem,
Israeli gloriam meam.

COMMENTARIUS.

V. 1. *Curvavit se Bel*: nunc revertitur ad deridendum sculptilia, quorum meminit dicens *portantes lignum sculptilis sui, cap.* 45. *v.* 20. ait igitur, quando capta fuit Babylo, non solùm non eripuit eos ipsorum Deus, verùm & ipse semet incurvavit, nimirum fregerunt illum, quocirca se curvavit, ceciditque in terram, pariterque reflexus est Nebo, קורס enim idem significat, quod כרע. Bel autem est nomen sculptilis, seu Idoli, quod colebant in Babylone, itemque Nebo. *super bestiam & super jumentum*, quae scilicet portaverunt ea; postquam enim fregerunt Idola, oneraverunt iisdem bestias ac jumenta, ut afferrent ea in Mediam ac Persidem, quia erant obtecta argento & auro. Hinc patet, quòd vox חיות, quae propriè significat animantia parva, usurpatur etiam de animalibus aptis oneri, veluti de elephantibus. נשואותיכם עמוסות, ait per derisionem ac subsannationem, animalia, quae portant vos, onerata sunt, videlicet onerata magisquam par est, eoquòd gravia sint onera ob copiam auri, quod in ipsis est, adeout dicant agasones & ductores camelorum *onus lasso*, עיפה enim est adjectivum jumenti, quod est lassum ob gravitatem ponderis. נשואותיכם, pro מנשאותיכם, & est Toar seu adiectivum jumentorum; dicit autem *onerata*, eo quòd onusta sint magis quam par est. Suffixum in voce נשואותיכם refertur ad Idola, ad irridendum jumenta portantia illa, quae nimis onerata sunt, & ideo lassa: Jonatan vertit *Incurvatus est Bel, succisus est Nebo, fuerunt simulacra eorum in similitudinem serpentum & jumentorum. Onera Idolorum eorum gravia sunt portantibus ea, & ipsi sunt lassi*. Deinde repetit eamdem rem, & ait:

V. 2. *Reflexerunt se, curvaverunt se:* מלט משא, non potuerunt jumenta eripere se a ferendo onere sculptilium. *& anima eorum*, scilicet & ipsa iverunt in captivitatem, quantò minus igitur eripuerunt cultores suos? *& anima eorum*, i. e. ipsa, veluti *ferrum ingressum est animam ejus*. *Psal.* 105. *v.* 18. vel dicit *anima eorum* juxta opinio-

nem

nem cultorum eorum Jonatan vertit *& non potuerunt liberare portantes ea, & cultores eorum in captivitatem abierunt*.

V. 3. & 4. *Audite*: dicit *& omne residuum* de exulantibus in Babylonem, qui erant residuum decem Tribuum, quae antea migraverant, neque reversae sunt in reditu captivitatis Babylonis. *qui bajulamini ab utero*, vos portati estis super me ab utero & a vulva matris vestrae, eodemque modo feram & portabo vos usque ad canitiem, quasi dicat, omnibus diebus non dimittam vos, vel dicit *& usque ad canitiem*, quia tunc magis opus est portatione & substentatione: vult dicere, quòd in omni tempore, quo eritis in angustia, ego portabo vos, & ita dixit David *super te projectus sum a vulva*, *Psal.* 22. *v.* 11. itemque dixit *Et etiam usque ad senectutem & canitiem*, *Deus, ne derelinquas me*, *Psal.* 71. *v.* 18. canities plus est, quàm senectus, dixerunt enim „ Filius sexaginta annorum ad senectutem, filius septua„ ginta ad canitiem „ *ego sum*, ego sum vobiscum. *ego feci*, quum fecerim, & educaverim vos, ad me pertinet ferre ac portare vos; portatio verò & bajulatio super Deum benedictum est per similitudinem. *& eruam*, eruam vos ab exilio Babylonis.

V. 5. *Cui assimilabitis me*: ונדמה & similis ero; ait hoc veluti coram Babyloniis, qui confidebant in sculptilibus suis, & servire faciebant Israelitas, simulque dicebant, non poterit eorum Deus eripere eos de manu nostra, quia Dii nostri tradiderunt eos in manu nostra, idcirco ait, quomodo assimilatis istos Deos mihi, quum sint ex auro & argento, ideoque opus manuum hominum?

V. 6. *Vilipendentes*: significatio hujus Verbi זול habetur in Verbis Magistrorum nostrorum f. m. „ proferentes aurum viliter „ quamvis aurum sit in pretio, illi tamen faciunt Idola ex eo tanquam ex re vili, multumque ex eo promunt e loculo suo. *cum calamo*, hic est calamus bilancium. *etiam prostrabunt se*, prostratio plus est, quàm adoratio seu incurvatio, idcirco dicit *etiam*, ut explicavimus in vers. *procumbet ei*, *& prostrabit se*. *cap.* 44. *v.* 17.

V. 7. *Attollent illum*: postquam fecerit illum Aurifex, portabunt in domum suam, quia non ambulabit cum pedibus suis. תחתיו in loco suo. *& stabit*, stabit ibi in loco, ubi ponent eum. לא ימיש Verbum intransitivum ex conjugatione Hiphil, veluti *non movebat se de medio Tabernaculi* Exod. 33. v. 11.

V. 8. *Mementote hujus*, *& praestate vos viros*: ex significatione vocis איש; quasi dicat, estote viri, & non jumenta, quae non intelligunt neque sapiunt: sunt qui exponunt *roborate vos*, juxta significationem illius *ob fundamenta Kir=Chareset*, *Jes.* 16. *v.* 7. ubi אשישי significat fundamenta, quae sunt robur & firmitas parietis, & ita vertit Jonatan *confortamini*. Dominus verò Pater meus f. m. interpretatur ex significatione אש ignis, nimirum urimini & conburimini, quasi di-

dicat, pudeat vos operum vestrorum malorum, quae jam patrastis.

V. 9. *Mementote priorum a saeculo*: quòd eduxi Israelitas ab Aegyptiis, eisdem invitis, & in Diis eorum feci judicium; ex hoc poteritis cognoscere, me esse Deum, nullumque alium esse Deum. *& nihil*, pro *non*, vel *nullus*.

V. 10. *Indicans*: omnia enim futura ista praedixi, antequam venirent, scilicet venturum Cyrum, & vastaturum Babylonem ejusque Deos, & eductum Israelem de medio ejus. *dicens, consilium meum stabit*. ego dico, & facio, consiliumque meum, quod dixi, stabit, & non est qui irritet. *& omnem voluntatem meam faciam*, nec est qui impediat manum meam.

V. 11. *Vocans*: dicit hoc de Cyro, qui veniet de terra sua, quae est Orientalis respectu Babylonis, venietque citissimè instar avis, idcirco appellat eum Avem. *Virum consilii mei*, quia subsistere faciet id, quod consului contra Babylonem. *loquutus sum*, scilicet hoc decretum, illudque venire faciam. Dicit *etiam* ad augendam operationem supra dictum; prius verò *etiam* est ad augendam vim vocationis, cujus meminit. Hujusmodi vocatio in eo consistit, quòd suscitavit cor ejus, quod perinde est, ac si vocaverit eum, sermo verò fuit per Prophetam. Dominus Pater meus interpretatur hunc versum de Rege Messia, quem vocat volucrem, quia volabit celeriter in tempore suo, & ita duos versus sequentes de redemptione exilii hujus: Jonatan pariter vertit eadem ratione *Qui dico, ut congregarem captivitatem ab Oriente, & adducerem publicè sicut avem velocissimam de terra longinqua filios Abrahami dilecti mei: etiam loquutus sum, & etiam adducam illud, praeparabo illud, faciam quoque illud.*

V. 12. *Audite*: alloquitur viros Babylonis, qui sunt fortes corde, & crudeles in Israelitas. *o longinqui a justitia*, i. e. a facienda justitia illis.

V. 13. *Appropinquare feci .... gloriam meam*: salus, quam dabo illis, erit gloria mihi.

JESAIAE CAP. XLVII.

1. DEscende, & sede super pulverem virgo filiae Babylonis; sede in terra, non est *amplius tibi* Solium filia Chaldaeorum: etenim non addes, *ut* vocent te mollem & delicatam. 2. Sume molas, & mole farinam: detege comam tuam, denuda pedem, revela coxam, transi flumina. 3. Revelabitur nuditas tua, etiam videbitur

bitur opprobrium tuum: vindictam sumam, & non occurram *ut* homo. 4. Redemptor noster, Dominus exercituum nomen ejus: Sanctus Israelis. 5. Sede *in* silentio, & ingredere in tenebrositatem filia Chaldaeorum: quia non addes, *ut* vocent te Dominam regnorum. 6. Iratus sum contra populum meum, profanavi haereditatem meam, & dedi eos in manu tua: non posuisti eis miserationes, super senem aggravasti jugum tuum valde. 7. Et dixisti, in saeculum ero Domina: usque *idcirco* non posuisti haec in corde tuo, non recordata es finis ejus. 8. Et nunc audi hoc, voluptuaria sedens confidenter, dicens in corde suo, Ego, & praeter me adhuc: non sedebo vidua, neque cognoscam orbitatem. 9. Et venient tibi duo ista repente in die uno orbitas & viduitas: secundum integritatem suam venerunt super te cum multitudine praestigiarum tuarum, cum fortitudine incantationum tuarum valde. 10. Et fidisti in malitia tua, & dixisti, nemo videt me: sapientia tua & scientia tua ipsa rebellem te reddidit: & dixisti in corde tuo, Ego, & praeter me adhuc. 11. Et veniet super te calamitas, non cognosces auroram ejus; & cadet super te contritio, non poteris amovere eam: & veniet super te repente destructio, non cognosces *praesenties*. 12. Sta nunc in incantationibus tuis & in multitudine praestigiarum tuarum, in quibus laborasti a pueritia tua: fortasse poteris prodesse *tibi*, fortasse roborabis te. 13. Defatigata es in multitudine consiliorum tuorum: stent modò, & servent te speculantes Coelos, aspicientes in astra, notificantes in noviluniis, ab *iis*, quae venient super te. 14. Ecce fuerunt ut stipula, ignis combussit eos; non eripient animam suam de manu flammae: non pruna ad calefaciendum se, flamma ad sedendum coram ea. 15. Sic fuerunt tibi, quae laborasti: mercatores tui a pueritia tua quisque ad latus suum erraverunt, non fuit, qui te servaret.

COMMENTARIUS.

V. 1. *Descende, & sede:* descende a Solio regali tu, quae regnabas super omnes terras, & sede super pulverem, quia non erit tibi regnum ne in terra quidem tua, super pulverem enim sedebis, videlicet eris vastata. Vocat autem eam virginem, quia fuerat usque modò ut virgo innupta, nimirum cui non est dominata manus viri; deinde repetit eamdem rem cum vocabulis diversis, & ait *sede in terra &c. etenim non addes*, תוסיפי habet accentum in ultima cum Pascèt uno tantummodo; ait, non addes, ut vocent te teneram ac delicatam, sicuti vocaverunt usque modò, dum eras deliciis affluens, praeditus enim deliciis appellatur tener, ut ait *Vir tener in te ac delitiosus*, *Deut.* 28. *v.* 54. *Quae mollis & delicata est in te*, *Deut.* 25. *v.* 56. siquidem pro modo deliciarum solet esse mollities & debilitas in membris, viri enim laboris, quibus non sunt deliciae, ac utuntur cibis crassis, sunt duri & fortes, ac ferunt laborem.

V. 2. *Sume molas:* more captivorum, quos ponebant in domo carceris, ubi molebant, quemadmodum ait *usque ad primogenitum ancillae, quae est post molas*. *Exod.* 11. *v.* 5. itemque dictum fuit de Simsone *& molebat in domo vinctorum*. *Jud.* 16. *v.* 21. ait igitur ei, quòd ibit in captivitatem. *detege comam tuam*, הצמה est coma, quam disponit mulier circa tempora super faciem, quamque tegit velo, & haec est gloria & ornamentum ejus; at mulieris, quae eat in exilium, decidit gloria, neque ponit velum, & ideo coma detecta cadit super ejus vultum instar mulieris contemptae & abjectae. *denuda pedem*, חשפי idem ac גלי, ex significatione illius *denudationem albi*. *Genes.* 30. *v.* 37. *& denudatos natibus*. *Jes.* 20. *v.* 4. pes autem vocatur שובל ex significatione nominis שביל, quod significat viam, veluti *semitis saeculi*, *Jer.* 18. *v.* 15. *& semitae tuae in aquis multis*. *Ps.* 77. *v.* 20. mulier verò quamvis tegere soleat pedes suos, tamen dum ambulat in via, detegit illos, & si transeundum sit ei flumen, discoperit etiam coxas. Quia verò assimilavit Babylonem mulieri tenerae ac delicatae, dicit ei, quòd erit insuper ut famula molens, & proficiscetur in captivitatem detecta comà, transibitque flumina discooperta coxis. חשפי Chet habet Saegol. In Midrasc exponitur שובל ex significatione illius *a fluxu fluminis Jes.* 27. *v.* 12. dicitur enim in Midrasc Chazit „ חשפי שובל exhauri fluxum fluminis. „

V. 3. *Revelabitur nuditas tua:* postea repetit eamdem rem dicens *videbitur opprobrium tuum*, nimirum patebit universo Mundo opprobrium tuum. *vindictam sumam*, propter malum, quod fecerunt Israelitis. *& non occurram homo*, ex significatione illius *ne forte occurrant nobis cum pestilentia, aut gladio*. *Exod.* 5. *v.* 3. אדם deest Caph, servi.

servile, sicuti *cor laetum benefaciet medicina*, pro *ut medicina*. *Prov.* 17. *v.* 22 & ita hic *homo*, pro *ut homo*, quasi dicat, non occurram ut caeteri homines, sed sumam vindictam perfectam de illis; eodem sensu vertit etiam Jonatan *& mutabo judicium tuum a filiis hominum*. Sunt qui exponunt אפגע ex significatione deprecationis, veluti *& ne depreceris me: Jer.* 7. *v.* 13. & quando est absque Bet significat exorari, exaudire preces, & ita לא אפגע אדם non accipiam deprecationem hominum pro illis, & ita pariter *suscepisti deprecationem gaudentis Jes.* 64. *v.* 4. ut ibi exponam.

V. 4. *Redemptor noster*: quis fecit omnia haec in Babylone? redemptor noster Dominus exercituum, qui vocatur *Sanctus Israelis*, quia propter Israelem ostendet Sanctitatem nominis sui in Babylone.

V. 5. *Sede silentio*: sede in silentio, ne audiatur vox tua, quemadmodum ait *& erit sicut Pythonis de terra vox tua*, *Jes.* 24. *v.* 4. דומם est nomen substantivum, vel adjectivum utriusque generis, ut nomen ריק, veluti *suscita te, lapidi silenti*, *Chabak.* 2. *v.* 19. *& ingredere in tenebrositatem*, ne videaris, justum enim est, ut sis ignominiâ affecta, neque audiant te, neque videant te homines, quia fuisti Domina regnorum, nunc verò captiva & exulans; quòd si dicas, te reversuram adhuc in regnum tuum, respondebitur *non addes, ut vocent te Dominam regnorum*, תוסיפי habet accentum in ultima, ut in versibus superioribus, scilicet *vers.* 1. utrobique in Masora notantur cum accentu in ultima.

V. 6. *Iratus sum*: tota haec mulcta venit tibi propter Israelitas, contra quos iratus sum; isti autem sunt haereditas mea & portio mea ex universis reliquis nationibus, & quum iratus sim contra eos in mulctam, tu non posuisti eis miserationes. *super senem*, quem mos Mundi est honorare, non laboribus onerare, & ita dixit Jeremias *facies senum non honoratae sunt*. *Thr.* 5. *v.* 12.

V. 7. *Et dixisti.....haec*: scilicet ea, quae ventura erant super te, non recogitasti, quòd possent venire: ulterius autem declarat dicens, adeo firmiter credebas te perpetuò futuram Dominam, ut nihil posueris in corde tuo de malo, quod venturum erat super te, quia existimabas perpetuam tibi futuram vitam, neque recordata es finem superbiae tuae magnae, quae deprimenda erat: alii sic interpretantur, recordata non es finem Jerosolymae, quae erat Domina, & tamen cecidit in manum tuam.

V. 8. *Et nunc,... voluptuaria*: scilicet mollis & delicata, ut superius vocat *vers.* 1. ואפסי & praeter me, in magnitudine non est sicut ego. *vidua*, Civitas evadit vidua in morte regis sui, qui est ei, ut maritus mulieri, & orba in morte populi sui, qui sunt ei, ut filii mulieri.

V. 9. *Et venient*: Vau habet Sceva. *repente in die uno*, quia noctu occisus fuit Belsciatzar rex, & ingressi sunt Persae & Medi, & ceperunt

runt civitatem, ut scriptum est *In ipsa nocte interfectus est Belsciatzar rex Chaldaeus. Et Dariaves Medus suscepit regnum, Dan. 5. v. 30. & 31.* Illud *in die* significat *in tempore*, veluti *die clamavi, in nocte coram te. Ps. 88. v. 2.* שכול & אלמן utrumque est nomen substantivum, vult dicere, quòd morientur pueri & grandiores, eruntque mulieres viduae absque maritis suis, & orbatae filiis suis. כתמם juxta integritatem & perfectionem suam, quasi dicat, mala perfecta venient super te. *cum multitudine praestigiarum tuarum*, scilicet cum multitudine praestigiarum tuarum, & fortitudine incantationum tuarum, quae non proderunt tibi; significatio autem duplicata est cum vocabulis diversis. חבריך ex illo *Et incantans incantatione, Deut. 18. v. 11.* quae est significatio praestigiarum seu incantationum

V. 10. *Et fidisti in malitia tua*: dicit *in malitia tua* de praestigiis, quae sunt malitia & subtractio fiduciae a Deo; tu fidisti in illis, & non proderunt tibi. *nemo videt me*, quia opus praestigiarum fit clam & in abscondito, ut ait *Et fecerunt sic Magi in arcanis suis: Exod. 8. v. 7.* quamvis verò feceris in abscondito, ego vidi. Aleph in רואני habet Patach pro Tzere, sed in quibusdam exemplaribus est kametzatum, & ita *ad educendum nos ex Aegypto. Exod 14. v. 11.* להוציאני habet Kametz pro Tzere. *sapientia tua & scientia tua*, scilicet sapientia extera, quae erat in te, sapientia ista avertit te, ne respiceres ad Deum, quia existimasti eam profuturam tibi, ista, inquam, rebellem te reddidit in Deum. שובבתך significat rebellionem, veluti *Convertimini filii rebelles, Jer. 3. v. 14.* & similia his.

V. 11. *Et veniet super te calamitas*: ובא est Verbum in genere masculino, רעה verò est nomen generis foeminini, quapropter dicemus deesse *dies*, vel *negotium*, i. e. dies calamitatis. *non cognosces auroram ejus*, neque cognosces tempus adventus ejus, quemadmodum non cognoscitur adventus aurorae, quae venit mane in momento. Sunt qui interpretantur, non poteris exire ab ea in lucem, quia calamitas est tenebrositas: Jonatan vertit *& nescies deprecari super ipsum*. הוה contritio. כפרה amovere eam, veluti *& amovebo faciem ejus cum munere. Genes. 32. v. 20.* scilicet amovebo indignationem ejus. שואה destructio.

V. 12. *Ita .... a pueritia tua*: scilicet omnibus diebus existentiae tuae, vel sensus est, quòd docebant pueros easdem praestigias & incantationes. *fortasse*, per derisionem. תערוצי roborabis te, quod est Verbum intransitivum ex significatione nominis עריץ, quasi dicas, fies robusta.

V. 13. *Defatigata es*: quia non proderunt tibi consilia & praestigiae tuae. נלאית idem ac יגעת. עצתיך plurale masculinum, quod hìc solùm reperitur. *speculantes Coelos*, declaratur id ex eo, quod sequitur *aspicientes in astra*, scilicet decidentes judicium futurorum secundum astra. Scriptum est הוברו, quasi dicat, qui viderunt tibi usque modò,

modò, sed legitur הוברי, qui vident nunc; utroque autem modo significatio eadem est. מודיעים לחדשים Lamed habet Saegol, quod non est juxta morem: scribit sapiens Rab. Abrahamus Aben Ezra, ostendunt futura per sapientiam suam in noviluniis, quia non satagunt scire omnia, quae accidunt in aere ac in provinciis nisi a tempore conjunctionis luminarium, quae sunt fundamentum eorum fidei, & hic est sensus illius לחדשים. Verba illa *ab iis, quae venient* conjungenda sunt cum *& servent te*. Magistri verò nostri conjunxerunt cum לחדשים, dixerunt enim, partim, sed non omnino, quasi dicant, faciunt cognoscere partem futurorum, sed non omnia. Sensus igitur hujus versus est, speculatores, qui nota faciunt accidentia futura, quomodo non indicaverunt tibi calamitatem hanc, quae ventura erat super te, antequam veniret, si cognoverunt? & modò si est illis solertia servandi te ab illa, servent te.

V. 14. *Ecce fuerunt*: speculatores fuerunt ut stipula, quae celeriter comburitur ab igne, siquidem non potuerunt eripere se ipsos de manu flammae, quae ussit eos, ista verò est calamitas; quomodo igitur servabunt te? *non pruna ad calefaciendum se*, ecce speculatores non sunt ut lignum combustum, cujus in pruna est aliquid utilitatis, sed ut stipula cremata, in qua nihil est emolumenti, quia non restat pruna, & etiam ejus flamma non durat, sic isti astrologi in adventu calamitatis confusi sunt, neque profuerunt per sapientiam suam sibi, neque aliis. לחמם Makor juxta formam illius *cubando cum filia Jaacobi; Genes.* 34. *v.* 7. vult dicere, ad calefaciendum se cum ea, & Lamed habet Patach propter Chet. *flamma ad sedendum coram ea*, scilicet neque flamma, nam particula *non* semel adhibita intelligitur repetita. אור est flamma, quasi dicat, ex flamma, quae ussit eos, non ceperunt ullum commodum, veluti ad sedendum coram ea calefaciendi se gratia, sic in adventu angustiae non invenerunt animabus suis aliquid loci utilis.

V. 15. *Sic fuerunt tibi*: scilicet sapientes tui, sic perstiterunt tibi in tempore angustiae, ut videbis. *quae laborasti*, scilicet in illis, ut essent sapientes in medio tui praestigiis utentes, & speculantes, & aspicientes, quorum tamen nulli profuerunt tibi, neque adfuerunt tibi in tempore angustiae tuae; & ita *mercatores tui a pueritia tua*, scilicet qui mercati sunt in terra ista plurimis abhinc annis, in tempore angustiae tuae fugerunt ex urbe, & abierunt sibi. *quisque ad latus suum*, hic ad Ortum, & iste ad Occasum, neque fuit qui te servaret: ait *erraverunt*, quia fugerunt veluti errantes in via huc & illuc confusi.

JE-

JESAIAE CAP. XLVIII.

1. AUdite hoc Domus Jaacobi, vocati cum nomine Israelis, & de aquis Jehudae exierunt: jurantes per nomen Domini, & Deum Israelis commemorant, non in veritate neque in justitia. 2. Nam de Civitate Sanctitatis vocati sunt, & super Deo Israelis innixi sunt: Dominus exercituum nomen ejus. 3. Priora ex tunc indicavi, & ex ore meo exierunt, & audire feci ea: subitò feci, & venerunt. 4. Ex scientia mea, quòd durus tu: & nervus ferri cervix tua, & frons tua aes. 5. Et indicavi tibi ex tunc, antequam veniret, audire te feci: ne forte diceres, Idolum meum fecit ea, & Sculptile meum & Fusile meum praecepit ea. 6. Audivisti, vide totum illud, & vos nonne narrabitis? audire te feci nova ex nunc, reservata, & vos nescivistis. 7. Nunc creata sunt, & non ex tunc, & *non* ante diem, & non audivistis: ne forte diceres, ecce novi ea. 8. Etiam non audivisti, etiam non scivisti, etiam ex tunc non aperta fuit auris tua: nam cognovi, *quòd* praevaricando praevaricaberis, & praevaricator ab utero vocatum est tibi *vocatus es*. 9. Propter nomen meum prolongabo iram meam, & *propter* laudem meam protraham *furorem meum* tibi, ne excidam te. 10. Ecce repurgavi te & non in argento: elegi te in catino afflictionis. 11. Propter me propter me faciam, nam quomodo profanabitur? & gloriam meam alteri non dabo. 12. Audi ad me Jaacobe, & Israel vocatus meus: ego sum, ego primus, etiam ego ultimus. 13. Etiam manus mea fundavit terram, & dextera mea palmavit Coelos: clamo ad eos, stabunt simul. 14. Congregamini omnes vos, & audite, quis in illis indicavit haec? Dominus dilexit eum, faciet voluntatem ejus in Babylone, & brachium

chium ejus *in* Chaldaeis. 15. Ego ego loquutus ſum, etiam appellavi eum: adduxi eum, & proſperabitur via ejus. 16. Accedite ad me, audite hoc, non a principio in abſcondito loquutus ſum, a tempore, quo fuit illud, ibi ego: & nunc Dominus Deus miſit me, & ſpiritus ejus. 17. Sic dixit Dominus, redemptor tuus, Sanctus Iſraelis: ego Dominus Deus tuus docens te ad juvandum, incedere te faciens in via, *in qua proſperè* ambules. 18. Utinam attendiſſes ad praecepta mea: fuiſſet enim ut flumen pax tua, & juſtitia tua ut fluctus maris. 19. Et fuiſſet ut arena ſemen tuum, & egreſſiones viſcerum tuorum ut lapilli ejus: non exſcindetur *exſcinderetur*, neque delebitur *deleretur* nomen ejus a conſpectu meo. 20. Egredimini e Babylone, fugite a Chaldaeis in voce cantionis, annunciate, audire facite hoc, exire facite hoc uſque ad extremitatem terrae: dicite, redemit Dominus ſervum ſuum Jaacobum. 21. Et non ſitierunt, in locis aridis incedere fecit eos, aquas de petra fluere fecit eis: & ſcidit petram, & effluxerunt aquae. 22. Non eſt pax, dixit Dominus, impiis.

COMMENTARIUS.

V. 1. A*Udite hoc*: ait Propheta veluti coram hominibus, qui erant mali, audite hoc, quod futurum eſt, dixi enim me vaſtaturum Babylonem propter vos, poſtquam migraveritis illuc propter iniquitates veſtras, quibus non oſtantibus non dimiſi vos. Vos igitur domus Jaacobi, qui fuit ſervus meus, debebatis diſcere opus Patris veſtri, quum ſitis vocati nomine Iſraelis, pariter quum ſitis vocati nomine Iſraelis Patris veſtri debebatis eſſe ut ille. *& de aquis Jehudae exierunt*, i. e. de ſemine Jehudae, qui fuit bonus, & hoc eodem ſenſu dictum fuit *Oculus Jaacobi Deut.* 33. *v.* 28. *ex fonte Iſraelis*. *Pſ.* 68. *v.* 27. Meminit autem Jehudae, quia ſuper Tribu Jehudae prophetavit, ut ait in principio libri *quam vidit ſuper Jehudam & Jeroſolymam*: *cap.* 1. *v.* 1; *jurantes per nomen Domini, & Deum Iſraelis commemorant*, repetitio ſignificatus cum vocabulis diverſis; ipſi quidem jurant per eum, & commemorant nomen ejus, ſed non in veritate, neque in juſtitia, quia non faciunt praecepta ejus, neque timent eum, neque habent ratio-

tio-.

tionem in commemoratione nominis ejus, sive in veritatem sive in vanum. Quòd si quis juraret per vitam regis, & mentiretur in eum, sanè dignus esset punitione.

V. 2. *Nam de Civitate Sanctitatis*: intelligit Jerosolymam, quae est Civitas Sanctitatis, quia Deus elegit eam pro Majestate sua, ipseque est Sanctus Israelis; quapropter vos debebatis esse Sancti, & non polluere Civitatem, cujus de nomine vos appellamini, ut ait *Et filii Tzionis exultate, & laetamini in Domino Deo vestro*, *Joel.* 2. *v.* 23. ubi non loquitur de Jerosolyma tantùm, sed etiam de omnibus habitatoribus terrae Jehudae. *innixi sunt*, ore, non corde suo. Nomen verò ejus est Dominus exercituum, quia ipse est Dominus exercituum superiorum & inferiorum, ac in manu ejus sunt omnia ad faciendum in illis juxta voluntatem suam: quomodo igitur non veremini a conspectu ejus?

V. 3. *Priora*: verba scilicet de Sancheribo, etenim reprehensio haec post caedem illius dicta fuit. Quum igitur indicaverim per Prophetas meos, & reipsa venerit id, quod dixi, debebatis credere in me, & custodire mandata mea, quandoquidem vidistis me repente fecisse in Sancheribo id, quod decrevi contra eum, quemadmodum ait *& egressus est Angelus Domini, & percussit in Castris Assyriae* 2. *Reg.* 19. *v.* 35. Dicit autem *Priora* in numero plurali, itemque *exierunt*, & *audire feci ea*, quia saepius prophetavit de Sancheribo, ut scriptum est in hoc Libro, & ut nos declaravimus.

V. 4. *Ex scientia mea*: jam novi te esse durum, & ideo reprehendo te, quia perinde est, ac si non vidisses salutem magnam, quam vidisti in diebus Sancheribi; estne duritia cordis in Mundo ut ista? ita dixit & Moses Magister noster, super quem sit pax, *Etenim ego novi rebellionem tuam, & cervicem tuam duram*. *Deut.* 31. *v.* 27. itemque dixit *novi, quòd corrumpendo corrumpetis, cit. loc. v.* 29. *& nervus ferri*, scilicet dura ut nervus ferreus, postquam enim avertisti faciem tuam a me, non respexisti amplius ad me, quasi cervix tua esset nervus ferreus, adeout non possit se vertere, quasi careat vertebrarum compagibus. Pariter frons tua est veluti aes, quoniam non convertitur a facie mea; durities autem & protervia apparet in fronte ac in vultu, quia is, cui inest impudentia, elevat frontem & faciem tuam coram reprehensore suo, quasi frons & facies ejus adeo sint durae, ut nequeat illas incurvare, & affici verecundia, sed elatas cum impudentia tenet frontem & faciem, & ita scriptum est *obfirmaverunt facies suas prae petra*; *Jer.* 5. *v.* 3.

V. 5. *Et indicavi*: decretum venturum indicavi tibi ex tunc, antequam veniret, ne forte diceres, si id non fecissem, & certè dixisses, Idolum meum fecit ea, i. e. fecit haec decreta, quae modò venerunt, & Fusile meum praecepit, ut venirent.

V. 6. *Audivisti, vide totum illud*: audivisti hoc decretum, quando praedixi tibi, ecce nunc venit omnino. *& vos nonne narrabitis?* scil.

quòd

quod vidiſtis oculis veſtris, ecce praedico vobis adhuc nova ex hoc tempore ventura, ſcilicet vaſtationem Babylonis. ונצורות & reſervata apud me, quae vos neſcitis.

V. 7. *Nunc creata ſunt:* tempus, quo exeunt ab ore Dei, eſt tempus creationis eorum. *& ante diem*, & non ante diem hunc, quo annuncio ea, ne forte dicas, ecce novi ea; hoc non fuit ita, quia nunc creata ſunt, neque ſciviſti, neque audiviſti ea uſque modò.

V. 8. *Etiam non audiviſti*: poſſumus explicare hunc verſum ut conjunctum praecedenti, ſed rectius eſt exponere ut ſeparatum: dicit ei per redargutionem, etiam non audiviſti id, quod praecepi tibi, videlicet non recepiſti, etiam non ſciviſti, quia receſſerunt praecepta a corde tuo, & oblitus es eorum, idcirco neſciviſti ea: *etiam ex tunc*, non eſt nunc principium praevaricationis tuae, etiam a generationibus, quae praeterierunt, aperta non fuit auris tua ad recipienda verba mea: Chirek ſub Phe in פתחה ſtat pro Sciurek, veluti *& apertae erunt portae tuae Jeſ.* 60. *v.* 11. *aperuerit ſe uva parva*, *Cant.* 7. *v.* 12. rectius tamen eſt, quòd ſint juxta ſimpliciorem eorum ſenſum ex conjugatione Piel, & ſint Verba intranſitiva. *praevaricando praevaricaberis*, in omni generatione & generatione ſunt in te praevaricatores, quia *ab utero*, ſcilicet ex quo es mihi in populum, praevaricatus es in me; & ita vocaverunt te praevaricantem, quia ſaepius in deſerto praevaricatus fuiſti in me, non enim qui ſemel praevaricatur, ſed qui repetit jugiter praevaricationem ſuam, is dicitur praevaricator: vel *ab utero* id ſignificat, quòd impio inditae ſunt quaedam hujuſmodi proprietates ex natura ipſa formationis ejus, ut & juſto, quemadmodum ait *Alienati ſunt impii a vulva: erraverunt ab utero loquentes mendacium*. *Pſ.* 58. *v.* 4. itemque dicit de juſto *Antequam formarem te in utero, novi te: Jer.* 1. *v.* 5.

V. 9. *Propter nomen meum:* quia vocatum eſt nomen meum ſuper vos, quum appellati ſitis populus Domini, ut ait Moſes Magiſter noſter in oratione ſua *Et ipſi ſunt populus tuus, & haereditas tua; Deut.* 9. *v.* 29. *prolongabo iram meam*, in omni generatione & generatione, vos enim digni eſſetis conſumptione propter opera veſtra mala, niſi ego prolongarem iram meam propter nomen meum, & propter laudem meam, ſiquidem laus eſt mihi, dum eſt mihi populus peculiaris inter populos adhaerentes mihi, & ſi praevaricentur in me, revertantur ad me. אחטם idem ac אאריך אפי, ira enim dicitur etiam חוטם.

V. 10. *Ecce repurgavi te:* nolui exterminare te propter iniquitates tuas, ſed repurgavi te per afflictiones in gladio in captivitate & in peſte. *& non in argento*, ſed non ut repurgans argentum, nam repurgans argentum removet omnes ſcorias ab argento, conſumitque eas ab illo, donec non relinquatur in ipſo niſi argentum purum; ego verò non feci ſic, quia pauci ſuperfuiſſent, ſi feciſſem ita, verùm improbos, qui ſunt in vobis, quique ſunt ſcoriae, afflixi morbis, aut captivitate, aut orbitate filiorum ſuorum, aut in fructu pecoris ſui,

aut in fructibus terrae, quemadmodum scriptum est in maledictionibus, ne exterminarem omnino, idque est, quod ait *elegi te in catino afflictionis*. In Derasc ,, *& non in argento*, & non per ignem Gehen-,, nae, conflatio enim seu purgatio argenti fit per ignem; tibi verò ,, elegi conflatorium seu purgatorium afflictionum pro purgatorio ignis,, כור est vas, in quo fundunt argentum. עני complectitur omnes species afflictionum. Sunt qui interpretantur בחרתיך ut בחנתיך, scilicet *probavi te*, sed opus non est, quum tantùm in simplici significatione electionis subsistat sensus, quia repurgatio seu probatio argenti est illius electio ab scoriis.

V. 11. *Propter me propter me*: replicatio hoc sibi vult, propter nomen meum, & propter laudem meam, ut ait superiùs *vers.* 9. *nam quomodo profanabitur*? alioqui profanaretur nomen meum, si exterminarem te (a). *& gloriam meam alteri non dabo*, non dabo Deo alteri gloriam meam, quia gloriarentur cultores Dei alterius contra me dicentes, ipsorum Deus tradidit Israelitas, & non fuit potentia in manu sua servandi eos a manu illorum, quibus traditi sunt. יחל ex conjugatione Niphal ex Verbis praeditis duplicatione.

V. 12. *Audi ad me Jaacobe, & Israel vocatus meus*: scilicet quem ego vocavi Israelem, & vos de nomine ejus vocamini Israelitae. *ego sum*, in tempore praesenti, *ego primus*, in tempore, quod transiit, *ego ultimus*, in tempore futuro.

V. 13. *Etiam manus mea*: ne dicas, quòd tantùm a principio temporis ego existo, nam etiam ante tempus existebam, siquidem manus mea fundavit terram, & dextera mea ordinavit Coelos, tempus verò creatum fuit in creatione istorum: ait *fundavit*, quia terra est ut fundamentum aedificio, quum sit inferior, Coeli verò extenti super eam. Meminit autem manus, quae est laeva, dum loquitur de terra, eoquod sit ignobilis in comparatione Coelorum; commemorat verò dexteram, dum loquitur de Coelis, quia Coeli nobiliores sunt terra, sicuti dextera est nobilior laevâ. Praeterea quia opus dexterae firmius est opere laevae, sic Coeli stabiliores sunt in individuis suis, quod ita non est in individuis terrae. טפחה aptavit direxit extendit eos cum palmo suo, quemadmodum ait *& Coelos in palmo direxit*, *cap* 40. *v.* 12. *clamo ad eos, stabunt simul*, hìc dissentiunt Magistri nostri f. m. in creatione Coeli & terrae: Domus Sciammai (i. e. illi de Schola Sciammai) dicunt primùm creatum fuisse Coelum, deinde terram, quia dictum fuit *In principio creavit Deus Coelum & terram*. *Genes.* 1. *v.* 1. Domus verò Hillelis dicunt, primùm creatam fuisse terram, deinde Coelum, quia dictum fuit *Antea terram fundasti, & opus manuum tuarum Coeli*. *Ps.* 102. *v.* 26. Dixit Rab. Tanchuma, ego protero rationem conciliandi hos textus: quoad informationem (Italicè *abbozzo*) Coeli praecesserunt, quia dictum fuit *In principio creavit Deus Coelum & ter-*

(a) Nimirum si paterer, te confici a Gentibus, quae quidem dicerent, vires mihi deesse ad liberandum populum meum.

& terram. *Genes.* 1. *v.* 1. sed quoad absolutionem praecessit terra, quia dictum fuit *in die quo fecit Dominus Deus terram & Coelum Genes.* 2. *v.* 4. Dixit Rab. Simeon filius Jochai, ego miror, quomodo dissentiant Patres saeculi, Domus Sciammai, & Domus Hillelis, circa creationem Coeli & terrae, ambo enim creata non fuere nisi ut sartago & operculum ejus, quia dictum est *clamo ad eos, stabunt simul*. Dominus verò Pater meus f. m. ita exponit *stabunt simul*, quando creavit Creator benedictus Coelum & terram, eduxit ea ex nihilo in esse, & ex potentia ad actum, & conjunctim creavit ea in principio ipsorum, Coeli verò ascenderunt ex natura sua juxta morem, quem habent superiora ascendendi, terra autem descendit ex natura sua juxta morem, quem habent inferiora descendendi, & nisi ea stare fecisset Deus, adhuc Coeli ascenderent, & terra descenderet; verùm postquam vidit Deus benedictus bonum esse stationem eorum, fecit consistere, idque est, quod ait *clamo ad eos, stabunt simul*. Sapiens Rab. Abrahamus ita interpretatur, ego feci ea, & quando voco ea, ut impleant voluntatem meam, ambo stant in conspectu meo tamquam servi. Rectior verò interpretatio hujus loci mihi videtur haec, ego feci ea in principio creationis ipsorum, & per omnes dies saeculi stant simul ex virtute mea; illud verò *clamo ad eos* significat, quòd ego influere facio super eos virtutem meam in omni tempore, per quam subsistunt in dispositione sua, & quasi clamem ad eos, ut stent, stant.

V. 14. *Congregamini*: quum ego fecerim omnia, in manu mea sunt omnia creata, quapropter humiliabo regnum istud, & exaltabo aliud, quemadmodum faciam Babyloni ad deprimendam eam, & ad sublimandum Cyrum; postquam verò congregati fueritis, eritne in vobis congregatis quispiam, qui sciverit haec futura, quae facio? *quis in illis?* qui indicaverit ea. *Dominus dilexit eum*, videlicet Cyrum, jam saepius dixit eum vastaturum Babylonem, idcirco innititur intelligenti, & commemorat eum cum pronomine, & non cum nomine ejus: Dominus dilexit eum, quia faciet voluntatem Dei in Babylone, & ostendet brachium Dei in Chaldaeis, quia ipse non gloriatus est in potentia sua, ut Sancheribus & Nebucadnetzar, verùm dixit *omnia regna terrae dedit mibi Deus Coelorum: Ezr.* 1. *v.* 2. 2. *Par.* 36. *v.* 23. dicit *Congregamini* in persona secunda, ac deinde *in illis*, in persona non secunda, quia talis est mos Linguae, veluti *audite populi omnes illi* 1. *Reg.* 22. *v.* 28. 2. *Par.* 18. *v.* 27. & alibi. *Chaldaeis* deest Bet servile, pro *in Chaldaeis*, & ita *fornicando domo patris sui*, pro *in domo patris sui*, *Deut.* 22. *v.* 21. & ita saepissime. Jonatan interpretatur *dilexit eum* de Israele, namque vertit *Dominus enim, qui dilexit Israelem, faciet voluntatem suam in Babylonem, & fortitudinem brachii sui revelabit in Chaldaeos*.

V. 15. *Ego ego*: duplicatio ad roborandum, vel sensus est, ego qui fui, & ego qui ero; sicuti verò loquutus sum de Cyro per Prophetas meos, sic adducam eum in Babylonem, & prosperabitur via ejus. *e-*

tiam appellavi eum, scilicet appellavi eum cum nomine, ut ait *Uncto suo Cyro*, *Jes.* 45. v. 1.

V. 16. *Accedite:* haec sunt verba Prophetae. *non a principio in abscondito loquutus sum*, prophetiam de Sancheribo, quae fuit prior, non sum loquutus in abscondito, sed palam dixi, sic futurum. *a tempore, quo fuit illud*, scilicet a tempore, quo emanavit decretum, ut dixi *& vos testes mei: cap.* 44. *v.* 8. & ita nunc Dominus Deus misit me ob decretum venturum, scil. ob vastationem Babylonis. *& spiritus ejus*, scilicet & Angelus ejus, quasi dicat, & Angelus ejus, qui venit ad me in legatione Dei benedicti per prophetiam, & notum mihi fecit hujusmodi decretum venturum, misit me ad vos, ut notum facerem idem vobis. Cur autem opus ei fuit dicere *& spiritus ejus*? eo quòd interdum audiret Propheta vocem absque visione Angeli, interdum verò videret Angelum in visione prophetiae. Dominus Pater meus f. m. ita exponit *non a principio*, quando prophetavi prophetiam de Sancheribo, palam loquutus fui, & a tempore illius prophetiae, quae dicit *quem mittam, & quis ibit nobis? cap.* 6. *v.* 8. ex tunc ego sum paratus, & nunc Dominus Deus misit me, & spiritum suum posuit in medio mei, ut prophetem futura. Excellens verò Doctor Saadias interpretatur pro *in spiritu suo* juxta illud *& contestatus es in eos in spiritu tuo, & per Prophetas tuos Nehem.* 9. *v.* 30. eodemque modo *Quaerite Dominum, & fortitudinem ejus*, pro *in fortitudine ejus: Ps.* 105. *v.* 4. Denique sapiens Rab. Abrahamus filius Ezrae ורוחו exponit *& Angelus ejus*, scilicet praefectus regno Persarum, quia sunt Angeli praefecti regnis, ut scriptum est in Libro Danielis. Jonatan vertit *a tempore, quo separati sunt populi a timore mei, inde applicavi Abrahamum Patrem vestrum ad servitutem meam. Dixit Propheta, Et nunc Dominus Deus misit me, & Verbum ejus.*

V. 17. *Sic dixit Dominus redemptor tuus:* scilicet ab exilio Babylonis per manus Cyri. *docens te*, ego doceo te quotidie ad juvandum te, ut sis in pace, si obtemperabis mihi, etenim non migrares in Babylonem, neque indigeres salvatione hac, si per viam ambulares, per quam ego jubeo te incedere.

V. 18. *Utinam attendisses:* utinam fecisses hoc, scilicet quòd attendisses ad praecepta mea, fuisset enim ut flumen pax tua, & non dominaretur tibi manus inimici, & veniret ut flumen, scilicet ut aquae fluminis, quae sunt multae; Jonatan vertit *ut inundatio fluminis Euphratis. & justitia tua*, & justitia, quam fecissem tecum, fuisset ut fluctus maris, qui sunt continui absque cessatione unus post alterum.

V. 19. *Et fuisset ut arena:* pariter fuisset ut arena semen tuum, siquidem ego benedixissem tibi in fructu ventris tui; deinde repetit rem cum vocabulis diversis dicens *& egressiones viscerum tuorum ut lapilli ejus*, מעותיו sunt lapilli arenae, scilicet lapilli parvi ad similitudinem obolorum, quorum fit mentio in Verbis Magistrorum nostrorum f. m. Sunt qui במעותיו interpretantur *ut viscera maris*, h. e. pi-

e. pisces: Jonatan vertit *ut grana parva ejus*, scilicet lapilli arenae, qui sunt particulae perexiguae. *non exscindetur neque delebitur nomen ejus*, i. e. nomen seminis tui, quasi dicat, etiamsi non dederis operam praeceptis meis, non delebo te omnino, sed migrare te faciam in terram inimicorum tuorum, & postea redimam te, dicamque tibi, egredimini e Babylone. *a conspectu meo*, sed faciam te stare coram me in Domo Majestatis meae: pronomen *ejus* refertur ad *semen suum*, propterea quod major pars illorum, qui reversi sunt ab exilio, fuerunt filii, nam patres mortui erant.

V. 20. *Egredimini e Babylone, fugite a Chaldaeis*: non est haec fuga ex timore, quia in manu excelsa exierunt, & in voce exultationis, sed significat velocitatem itineris, veluti *ut fugeret in Tarsis Jon. 1. v. 3.* quia a facie Domini fugiebat, ut explicat Dominus Pater meus f. m. *exire facite hoc*, scilicet hoc evangelium.

V. 21. *Et non sitierunt*: si Prophetia haec respicit redeuntes ab exilio Babylonis, ut videtur, mirandum est, quomodo scriptum non sit in Libro Ezrae, ubi narrat exitum ipsorum e Babylone, quòd facta fuerint cum eis signa, veluti quòd sciderit rupem propter illos in deserto.

V. 22. *Non est pax, dixit Dominus, impiis*: scilicet viris Babylonis, idque est, quod ait *dixit Dominus*. Quod autem habetur inferius in Parascia *Quia sic dixit exelsus & elevatus manens aeternitatis cap. 57. v. 15.* nimirum *Non est pax, dixit Deus meus, impiis. d. cap. 57. v. 21.* distinguitur ab hoc in eo, quòd hic est *Dominus*, illic *Deus meus*.

JESAIAE CAP. XLIX.

1. AUdite Insulae ad me, & attendite populi e longinquo: Dominus ab utero vocavit me, a visceribus matris meae commemoravit nomen meum. 2. Et posuit os meum ut gladium acutum, in umbra manus suae celavit me: & posuit me in sagittam puram, in pharetra sua occultavit me. 3. Et dixit mihi, servus meus es tu: Israel, quia in te gloriabor. 4. Et ego dixi, in vanum laboravi, in vanitatem & inanitatem fortitudinem meam consumpsi: verumtamen judicium meum cum Domino, & opus meum cum Deo meo. 5. Et nunc dixit Do-

Dominus, qui formavit me ab utero in servum sibi ad reducendum Jaacobum ad ipsum, & si Israel non congregabitur, tamen gloriosus ero in oculis Domini, & Deus meus fuit fortitudo mea. 6. Et dixit, *num* leve est esse te mihi servum ad suscitandum Tribus Jaacobi, & deserta Israelis ad reducendum? & dabo te in lucem gentium, ut sit *perveniat* salus mea usque ad extremitatem terrae. 7. Sic dixit Dominus redemptor Israelis Sanctus ejus ad *eum*, *quem* contemnit anima *quisque*, ad *eum*, *quem* abominatur *omnis* gens, ad servum dominantium, reges videbunt, & surgent, principes, & prostrabunt se: propter Dominum, qui *est* fidelis, *propter* Sanctum Israelis, & elegit te. 8. Sic dixit Dominus, in tempore voluntatis exaudivi te, & in die salutis adjuvi te: & servabo te, & dabo te in foedus populi ad suscitandum terram, ad faciendum possidere possessiones desolatas. 9 Dicendo vinctis, exite, & iis, qui sunt in tenebris, revelate vos: super viis pascentur, & in omnibus clivis pascuum eorum. 10. Non esurient, neque sitient, neque percutiet eos aestus & sol: quia miserator eorum deducet eos, & secus scaturigines aquarum ducet eos. 11 Et ponam omnes montes meos in viam: & semitae meae elevabuntur. 12. Ecce hi e longinquo venient: & ecce isti ab Aquilone & a Mare, & illi de terra Sinìm. 13. Cantate Coeli, & exulta terra, fragorem edite montes cantu: quia consolatus est Dominus populum suum, & pauperum suorum miserebitur. 14. Et dixit Tzion, dereliquit me Dominus: & Dominus oblitus est mei. 15. Numquid obliviscetur mulier infantis sui, ut non misereatur filii uteri sui? etiam hae obliviscentur, ego verò non obliviscar tui. 16. Ecce super volis scripsi te: muri tui coram me jugiter. 17. Festinaverunt filii tui: destruentes te & vastantes te a te exibunt. 18. Eleva in circuitu oculos tuos, & vide; omnes illi congregati sunt, venerunt tibi: vivo ego, dicit Dominus, quòd omnibus hisce ut orna-

ornamento vesties te, & ligabis eos tanquam sponsa. 19. Nam vastationes tuae & desolationes tuae, & terra destructionis tuae: quia nunc angusta eris prae habitatore, & elongabunt se absorbentes te. 20. Adhuc dicent in auribus tuis filii orbitatum tuarum: angustus mihi locus, accede mihi, & habitabo. 21. Et dices in corde tuo, quis genuit mihi hosce, & ego orba & solitaria? demigrans & recedens, & hos quis nutrivit? ecce ego relicta sum sola, hi ubi erant? 22. Sic dixit Dominus Deus, ecce levabo ad gentes manum meam, & ad populos erigam vexillum meum: & afferent filios tuos in brachio, & filiae tuae super humerum portabuntur. 23 Et erunt reges nutricii tui, & principes (*principissae*, *reginae*) eorum nutrices tuae, facie in terram prostrabunt se tibi, & pulverem pedum tuorum lingent: & scies, quòd ego Dominus, non erubescent expectantes me. 24. Numquid auferetur a forti captura *praeda*? & num captivitas justi *justa* eripietur? 25. Nam sic dixit Dominus, etiam captivitas fortis auferetur, & captura tyranni *violenti* eripietur: & litem tuam ego litigabo, & filios tuos ego servabo. 26. Et manducare faciam opprimentes te carnem suam, & tanquam musto sanguine ipsorum inebriabuntur: & scient omnis caro, quòd ego Dominus servator tuus, & redemptor tuus, fortis Jaacobi.

COMMENTARIUS.

V. 1. *Audite Insulae*: scilicet habitatores insularum: haec sunt verba Prophetae dicentis, audite ac attendite, alloquens populos remotos, perinde ac si essent penes ipsum, quia prophetavit ad illos ultionem venturam super eos, prophetavit enim contra Sancheribum regem Assyriae, idque pluries, pariter prophetavit contra Babylonem, contra Moabitidem, contra Damascum, contra Aegyptum, contra Dumam, contra Tyrum, & Tzidonem. *Dominus ab utero vocavit me*, ne miremini, si prophetem contra vos mala, nam destinatus sum ad prophetandum ab utero, idque eadem ratione, qua explicavimus versum *& praevaricator ab utero cap. sup. v. 8.*

V. 2.

V. 2. *Et posuit os meum:* non possum cohibere me, quin prophetem, quia ipse posuit os meum ut gladium acutum, ut loquar futura in scissione linguae (*a*) absque timore. *in umbra manus suae celavit me*, ne possint nocere mihi Israelitae, etiamsi loquar contra ipsos mala. *et posuit me in sagittam puram*, ad jaculandum cum lingua mea in longinquum in gentes. *in pharetra sua occultavit me*, quia assimilaverat se sagittae, ideo comparat latibulum Dei pharetrae, in qua sagittae absconduntur. Dicit autem *gladium acutum* (*b*), dum loquitur de Israelitis, quia erant hi proximi ei, siquidem cum gladio homines percutiunt cominus, non eminus; ait verò *sagittam*, dum loquitur de gentibus, quae erant remotiores, quia sagitta homines jaculantur eminus. ברור significat tersam & expolitam, donec evadat pura & nitida.

V. 3. *Et dixit mihi, servus meus es tu:* quia tu destinatus es legationi meae, ut servus domino, dixisti enim *Ecce ego, mitte me. cap. 6. v. 8. Israel*, loquitur universaliter & particulariter, in te Israel gloriabor, ut dominus in servo suo fideli.

V. 4. *Et ego dixi:* quum vidissem non esse conversos Israelitas ad poenitentiam in reprehensionibus meis, dixi, in vanum laboravi; deinde repetit eamdem rem cum vocabulis diversis. Judicium meum & opus meum sunt cum Deo, qui misit me ad eos, nec quidquam profeci, & cum eo contendam super hoc.

V. 5. *Et nunc dixit... ad reducendum Jaacobum ad ipsum:* ideo formavit me, ut sim ei in servum, & ut reducam Jaacobum ad ipsum cum reprehensionibus meis, & ut ipse congreget Israelitas ad se, i. e. ad cultum suum, & si non proficiet in generatione hac, sufficit mihi, quòd honorabor in oculis Domini, & ostendet mihi arcana & futura sua, & ipse erit fortitudo mea, ne noceant mihi. Scriptum est לא יאסף cum Aleph, sensus verò scripti est cum admiratione.

V. 6. *Et dixit:* נקל Niphal intransitivum, Koph habet Tzere, sensus verò est cum admiratione, nam deest He admirationis, quasi dixisset, num vile est, quòd dixisti te in vanum laborasse? num vile habetur esse mihi servum? non sufficit tibi hoc, quamvis non audiant te viri generationum tuarum? sufficiat tibi, quòd functus sis legatione mea, quodque suscitaveris Tribus Jaacobi ab casu ipsarum in exilium inter populos; nonne sufficit tibi, quòd prophetavisti bonum, quod ego adducturus sum super eas? *& deserta Israelis ad reducendum*, i. e. ad reducendum ea in pristinum, ונצורי significat loca deserta, veluti *& in desertis pernoctabunt: Jes. 65. v. 4. & dabo te in lucem gentium*, sensus est, quòd prophetiae tuae erunt in lucem gentium, quum enim viderint, quòd subsistent prophetiae tuae, revertentur ad viam bonam, & illuminabuntur per te, adeo ut extendatur salus mea usque ad extremum terrae, nam in salute Israelis erunt salvae etiam gen-

(*a*) Italicè dicimus *anche a costo di farmi tagliar la lingua*.
(*b*) Vel potius *ferreum*, si derivationem ex Arabico spectes.

gentes post bellum Gogi & Magogi, ut ait *veniet omnis caro ad prostrandum se ad conspectum meum*, *Jes.* 66. *v.* 23. pariter *Et ambulabunt gentes ad lumen tuum : & reges ad splendorem ortus tui*. *Jes.* 60. *v.* 3.

V. 7. *Sic dixit Dominus redemptor Israelis :* scilicet ab exilio populorum, nam futurum respiciunt parasciae sequentes. *Sanctus ejus*, quia sanctificabitur in illis per mirabilia, quae ostendet, dum educet eos ab exilio. לבזה נפש, ait, Deus propter Israelem, quem quisque contemnit, & omnis gens abominatur, estque servus tot dominorum, adhuc ostendet, quòd timebunt eum reges, & surgent a conspectu ejus, item principes, & incurvabunt se ei. *propter Dominum, qui est fidelis*, propter Dominum, qui est in auxilio Israelis, facient id, ut ait Zacharias *apprehendent decem homines &c. . . . ibimus vobiscum, quia audivimus Deum vobiscum*. *Zach.* 8. *v.* 23. *qui fidelis*, scilicet in verbo suo, & in fiducia sua, qua confidere fecit Israelitas: item propter sanctum Israelis, qui elegit te.

V. 8. *Sic dixit Dominus, in tempore voluntatis* : dicit Dominus Israeli, in tempore, quo facis voluntatem meam, ego exaudio te, dum clamas ad me de tribulatione, si qua venit super te. *& in die salutis*, i. e. & in die, quo indigebis salute mea, auxiliabor tibi, & conservabo te, & ita faciam in omni generatione & generatione, praeservabo te a consumptione, quamvis interdum sis ea dignus, tamen conservabo te, donec ponam te in foedus populi, idque futurum est in diebus Messiae, in quibus opus erit, ut sis in foedus populi, scilicet in stabilitatem populi, quemadmodum ait *Statuet te Dominus sibi in populum sanctum*, *Deut.* 28. *v.* 9. *ad suscitandum terram*, i. e. ad suscitandum vastitates terrae Israelis, & ad faciendum te haereditare haereditates, quae fuerunt desolatae per totum tempus exilii; & ita vertit Jonatan *in tempore voluntatis*, ut explicavimus, *in tempore, quo vos facitis voluntatem meam, ego suscipio orationes vestras, & in die tribulationis ego suscito salutem & adjutorium vobis*, illud verò *ad suscitandum terram* reddit *ad suscitandum justos, qui jacent in pulvere*.

V. 9. *Dicendo vinctis, exite :* scilicet iis, qui sunt in exilio tanquam vincti, neque est eis vis exeundi e potestate ac dominatione gentium, & ita assimilat exilium tenebris. *pascentur*, invenient enim in omni loco sufficientiam suam, dum exibunt ab exilio. *& in omnibus clivis*, i. e. in locis excelsis, veluti *& abiit in clivum Num.* 23. *v.* 3. facit mentionem clivorum, quia non solet reperiri pascuum pecoribus & armentis in montibus, eo quòd non sint aquosi; sic in locis, in quibus non reperit viator sufficientiam suam, ipsi invenient in illis sufficientiam suam.

V. 10. *Non esurient:* in toto itinere non erit eis fames neque sitis, quia Deus parabit illis, aperiet enim eis in deserto fontes, & germinare faciet eis pariter arbores cibi cum fructibus suis, idque per miraculum & prodigium, quemadmodum ait *Juxta dies egressionis*

tuae de terra Aegypti ostendam ei mirabilia. *Mich*. 7. *v*. 15. *aestus*, veluti *consumebat me aestus*, *Genes*. 31. *v*. 40. Targum מבועי . שרבא radix ejus est נבע, quacumque iter facient per desertum, scaturient eis aquae.

V. 11. *Et ponam*: quemadmodum ait *Omnis vallis elevabitur*, *&* *omnis mons & collis humiliabuntur*: *cap*. 40. *v*. 4. idque intelligendum prout sonat per miraculum, ne ascendant neque descendant in itineribus; vel est per metaphoram, nimirum quòd non lassabuntur neque defatigabuntur in itineribus, quia ascensus & descensus fatigat viatorem, verùm Deus roborabit eorum vim, ne fatigentur. Dicit *montes meos*, & *semitae meae* cum suffixo primae personae, quo innuitur Deus, quia vult dicere se renovaturum vias illas in desertis, ubi non erit iter, quemadmodum ait *Et erit ibi semita strata*, *&* *via &c Jes*. 35. *v*. 8.

V. 12. *Ecce hi*: commemorat quatuor angulos, in quibus omnibus Israelitae dispersi sunt: de angulo Orientis dicit *e longinquo*, quia terra Israelis est ferè in medio Orbis, aliquanto tamen remotior ab angulo Orientis, quia inclinat ad angulum Occidentis in terra, idcirco de Oriente dixit *e longinquo*. *& a mare*, intelligit Occasum. *de terra Sinim*, intelligit Austrum, seu Meridiem, ut vertit Jonatan *de terra Australi*, quia illic habitant Sinim, qui sunt ex filiis Chenaanis, ut scriptum est *Genes*. 10. *v*. 17. Magnus Saadias f. m. interpretatur locum nomine Pelusium (*a*).

V. 13. *Cantate Coeli*: per similitudinem, quasi universus Mundus laetetur in exitu Israelis de exilio. ופצחו ita scriptum est, sed legitur יפצחו, sensus verò idem est, & significat elationem vocis cum laetitia; commemorat autem montes separatim, quamvis comprehendantur in generalitate terrae, quia isti sunt radix creationis terrae, & pars firmissima in ea; praeterea quia in illis sunt metalla.

V. 14. *Et dixit Tzion*: commemorat Tzionem, quia est caput regni Israelitici, & quia quodammodo moerore affici videtur civitas ob filios suos, qui migraverunt ex ipsa; universi verò Israelitae filii ejus sunt, non tantummodo habitatores ejus, eoquòd ad eam proficiscebantur universi Israelitae ad colendum Deum. *dereliquit me*, *oblitus est mei*, dicit id propter longitudinem exilii hujus, etenim ferè videtur dereliquisse eam Deus, & oblitus esse illius.

V. 15. *Numquid oblivifcetur mulier infantis sui*: i. e. filii sui parvuli, cujus ideo magis miseretur, quia non est ei vis quaerendi sibi alimoniam, ut adulto; deinde repetit eamdem rem dicens *ut non misereatur filii uteri sui*, quod pariter dicit de parvulo, nam בן בטנה idem est ac עולה, & ita *Si filium cornupetierit*, *vel filiam cornupetierit*, *Exod*. 21. *v*. 31. *si filios & si filias*, *Ezech*. 14. *v*. 16. Ait igitur

(*a*) Veram hujus nominis lectionem restituit Bochartus, qui pro בלפיון, ut habent libri editi, reposuit פלסיון. *Geograph. Sacr. lib*. 4. *cap*. 17.

igitur, numquid oblivifcetur mulier infantis fui, ut non mifereatur filii uteri fui? hoc non erit. *etiam hae oblivifcentur*, interdum evenit, quòd etiam mulieres oblivifcantur filiorum fuorum, quando ineft illis proprietas crudelitatis, invenitur enim in illis, fed tamen paucae funt, ego verò mifericors fum, neque oblivifcar tui in faeculum.

V. 16. *Ecce fuper volis:* Rab. Saadias interpretatur בכפים ut עננים veluti *Levemus corda noftra ad nubes*, *Thr.* 3. *v.* 41. fed rectius eft exponere juxta fenfum fimplicem, prout vertit etiam Jonatan, nimirum perinde eft, ac fi tu fcripta fis coram me, ut recorder tui jugiter. *muri tui*, fcilicet muri tui deftructi.

V. 17. *Feftinaverunt:* praeteritum loco futuri, pro *feftinabunt*, talis enim eft mos in prophetiis utplurimum. *deftruentes te*, & *vaftantes te*, fcilicet praevaricatores exibunt a te, confumentur enim, ne fit amplius in te impius & praevaricator, quia ifti fuerunt caufa deftructionis & vaftationis.

V. 18. *Eleva in circuitu oculos tuos*: ab omni enim angulo venient univerfaliter omnes filii tui ab univerfis lateribus. *vivo ego*, haec eft fpes, quae non revertetur retrorfum, quafi dixiffet, per me juravi: dum congregabuntur omnes Ifraelitae ad te, erunt tibi veluti ornamentum, & redimicula fponfae.

V. 19. *Nam vaftationes tuae & defolationes tuae*: tu, quae doles ob eas, non dolebis amplius. *quia nunc angufta eris prae habitatore*, omnes vaftationes & defolationes adeo erunt habitatae, ut angufta evadas propter multitudinem habitantium. תצרי angufta eris. *& elongabunt fe abforbentes te*, qui te corrumpunt, elongabunt fe in extremum terrae, neque veniet amplius in fines tuos corruptor.

V. 20. *Adhuc...orbitatum tuarum:* ii, quibus nunc es orbata, tanti erunt in medio tui, ut dicturus fit quifque proximò fuo, anguftus eft mihi locus, accede mihi (*a*), & habitabo, quafi dicat, recede ulterius propter me, ut poffim habitare, adeo multi erunt habitatores: Jonatan vertit *fac fpatium mihi, ut fedeam*.

V. 21. *Et dices:* גלמודה folitaria. *demigrans & recedens*, propter filios ejus, qui migraverunt & recefferunt ab ea, & ita *ficut quercus decidens foliis fuis Jef.* 1. *v.* 30. וסורה eft nomen Toar, veluti *recedentes mei in terra fcribentur: Jer.* 17. *v.* 13. איפה הם, unde hi? quafi dicat, quo ex loco venerunt? vel fenfus eft, ubi fuerunt?

V. 22. *Sic dixit:* בחצן fignificat brachium, vel oram veftimenti, ficuti *oram veftimenti mei excuffi*, *Nech.* 5. *v.* 13.

V. 23. *Et erunt:* אמניך nutricii tui, veluti *quemadmodum portat nutricius fugentem Num.* 11. *v.* 12. *& fcies*, tunc fcies me effe Dominum,

(*a*) Nimirum, ut explicat R. Salomon „ accede ad latus aliud propter me, & habitabo „ vel ut Aben Ezra „ accede illuc propter me, „ veluti *accede illuc*, *Genef.* 19. *v.* 9. „ quod idem eft, proinde ac fi dixiffet *recede a me*.

num, ac in manu mea esse omnia ad humiliandum & exaltandum, & si fuisti humilis per dies plures, eris elata super omnes populos, & ego is sum, ut non erubescant expectantes me, si enim expectavistis me per dies plures in exilio, non periit spes vestra, neque erit vobis ulterius pudor a nationibus dicentibus non esse vobis spem.

V. 24. *Numquid auferetur a forti*: haec sunt verba gentium: quomodo auferetur a forti praeda, quam cepit? praesertim quum sit captivitas justa, nam in justitia & jure cepit eam; quomodo igitur eripietur de manu ejus? idque duabus de causis, primùm quia est fortis, deinde quia est justus in captivitate sua, ita Israelitae quomodo egredientur de subter potestate nostra?

V. 25. *Nam sic*: respondet Sanctus ille benedictus, etiam captivitas fortis auferetur, ego enim sum fortior vobis, & auferam de manu vestra: quod autem dicitis *justi*, non est talis, sed tyranni, quia vi ac tyrannide cepistis eam, non in justitia & jure, sic interpretatur dominus Pater meus f. m. יריבך est nomen Toar, & Jod est additium, ut Jod in יקום *Genes.* 7. *v.* 4. quasi dicat, cum contendente tecum in exilio ego contendam, & liberabo filios tuos de medio eorum.

V. 26. *Et manducare faciam* מוניך *opprimentes te*, veluti *& non opprimens ultra principes mei populum meum. Ezech.* 45. *v.* 8. quod vertit Jonatan *& non depopulabuntur. carnem suam*, juxta illud *unusquisque carnem brachii sui comedent Jes.* 9 *v.* 20. *& tanquam musto*, vinum uvarum, vel vinum malorum granatorum appellatur עסיס, quia egreditur per expressionem & calcationem, ex illo *Et conculcabitis impios, Malach.* 4. *v.* 3. & ita *de musto mali granati mei. Cant.* 8. *v.* 2. *stillabunt montes mustum, Joel* 4. *v.* 18. *sanguine ipsorum*, pro *ex sanguine ipsorum*, vertit Jonatan *Dabo carnem illorum, qui opprimebant te in escam omni volatili Coeli: & sicut inebriantur vino mero, ita bestiae agri inebriabuntur sanguine eorum.*

JESAIAE CAP. L.

1. Sic dixit Dominus, ubi est liber repudii matris vestrae, quam dimiserim? aut quis ex creditoribus meis est, cui vendiderim vos? ecce propter iniquitates vestras venditi estis, & propter praevaricationes vestras dimissa est mater vestra. 2. Quare veni, & non est quispiam, clamavi, & non est qui respondeat? num abbreviando abbreviata est manus mea a redemptione? & num

non

non est in me vis ad eripiendum? ecce in increpatione
mea siccabo mare, ponam flumina desertum, putrescet
piscis eorum sine aquis, & morietur in siti. 3. Induam
Coelos atrore: & saccum ponam operimentum eorum. 4.
Dominus Deus dedit mihi linguam doctorum ad sciendum
tempestivè loqui cum lasso verbum: excitabit in mane in
mane, excitabit mihi aurem ad audiendum instar docto-
rum. 5. Dominus Deus aperuit mihi aurem, & ego non
fui rebellis: retrorsum non aversus sum. 6. Corpus me-
um dedi percutientibus, & maxillas meas depilantibus:
faciem meam non abscondi ab ignominiis & sputo. 7. Do-
minus autem Deus auxiliabitur mihi, quapropter ignomi-
nia affectus non sum: ideo posui faciem meam ut silicem,
& novi, quòd non erubescam. 8. Proximus est justificans
me, quis contendet mecum? stemus simul: quis est do-
minus judicii mei *adversarius meus*? accedat ad me. 9.
Ecce Dominus Deus auxiliabitur mihi, quisnam condem-
nabit me? ecce omnes isti ut vestimentum veterascent,
tinea devorabit eos. 10. Qui *est* inter vos timens Domi-
num, audiens vocem servi ipsius: qui ambulavit *in* tene-
bris, & non est splendor ei, speret in nomine Domini,
& innitatur in Deo suo. 11. Ecce omnes vos accenden-
tes ignem, suscitantes scintillas: ambulate in foco ignis
vestri, & in scintillis, *quas* succendistis; a manu mea
fuit hoc vobis, in dolore jacebitis.

COMMENTARIUS.

V. 1. *Sic dixit Dominus, ubi est liber repudii matris vestrae?* eodem proposito dixit Jeremias *dimisi eam, & dedi libellum repudii ad eam: Jer.* 3. *v.* 8. sentiunt Interpretes Jeremiam esse loquutum de decem Tribubus, quibus dedit libellum repudii, quia futurus non erat ex eis amplius rex, nam de congregatione migrationum dictum fuit *& servus meus David princeps in medio eorum: Ezech.* 34. *v.* 24. pariter dictum fuit *& non dimidiabuntur amplius in duo regna. Ezech.* 37. *v.* 22. Jehudae verò non dedit libellum repudii, verùm se gessit ut maritus, qui expellat uxorem suam e domo sua, quia iratus est

contra

contra eam, non dedit tamen ei libellum repudii, eoquod reducturus sit eam ad se, sic reducturus est regnum ad Jehudam. Possumus etiam sic interpretari, quia decem Tribus non redierunt in reditu exilii e Babylone, & adhuc quia postquam migraverunt, non exierunt de loco exilii sui, & prolongatum est eis exilium valde, idcirco perinde est, ac si dederit eis libellum repudii. Filii verò Jehudae reversi sunt in terram suam post septuaginta annos, & habitaverunt in terra sua quatuor centum & viginti annos; & si tunc Jehuda nondum migraverat, eo casu dicendum est, quòd Propheta loquatur de futuro, & de consolatione, consolatur enim Israelitas, qui sunt in hoc exilio, asserens quòd ipsi revertentur, quia venditi non sunt nisi propter eorum iniquitates, quumque conversi fuerint ad Deum, ipse reducet captivitatem eorum. Dicit autem veluti coram Jehudaeis *ubi est liber repudii*, quasi dicat, quòd propè est, ut convertamini ad me, quemadmodum conversi estis alia vice, non est enim inter me & inter vos libellus repudii, & in reditu vestro revertentur etiam reliquae Tribus, quia David regnabit super Israelem universum, ut ait Ezechiel *Ecce ego assumo lignum Josephi, quod est in manu Ephraimi, & Tribus Israelis socias ejus, & ponam eas super ipsum cum ligno Jehudae, & faciam eas lignum unum, Ezech.* 37. v. 19. Quamvis igitur dederit eis libellum repudii, jam fuit repudium magnum, & prolongatum est exilium earum valde, ideoque reducet eas cum Tribu Jehudae. Mater verò eorum est congregatio & universitas, filii autem sunt particulares. Vos igitur non estis venditi, ideo opus non habetis argento pro redemptione vestra, sed inquitates vestrae fuerunt pretium venditionis, & conversio erit argentum redemptionis.

V. 2. *Quare:* vos estis, qui retardatis redemptionem, quia ego paratus sum ad recipiendum vos in conversione, si convertamini; & quare fuit id? quia veni, & non fuit qui responderet mihi. *clamavi*, convertimini ad me, & ego convertar ad vos. *& non est qui respondeat*, ex vobis. *num abbreviando abbreviata est manus mea a redemptione?* numquid ob longitudinem exilii vestri putatis ex abbreviatione manus meae esse id, quòd non redemerim vos usque modò? non est ita, sed propter vos, qui non conversi estis ad me. Per adventum verò & clamationem intelliguntur verba Prophetarum, ut scripsimus in pluribus locis, Deus enim recipit eos, qui convertuntur, quocumque tempore clamant ad ipsum in corde perfecto, ipse proximus est ad eos, & paratus ad recipiendum eos. *ecce in increpatione mea*, quomodo putatis abbreviatam esse manum meam, eoquod non sitis usque modò redempti? ecce siccabo mare in increpatione mea, quemadmodum feci in mari rubro in increpatione tantùm, ut scriptum est *Et increpavit mare Saph, & siccatum est: Ps.* 106. v. 9. increpatio verò est, quòd immisit ventum vehementem, qui posuit mare in siccitatem. *ponam flumina desertum*, quum voluero, arefaciam flumina, ut feci in Jordane, quem arefeci, donec transissent Israelitae, & a loco transitus

usque

usque ad mare aruit flumen, quemadmodum ait *& descendentes in mare solitudinis, mare salis, consumptae sunt, excisae sunt, Jehos.* 3. *v.* 16. idcirco mortui sunt pisces, qui erant in flumine, postquam consumptae fuerunt aquae, & computruerunt: dicit autem de Jordane *flumina*, licèt sit unus, quia flumina alia influunt in illum, & ita dixit de eodem *tu siccasti fluvios fortitudinis*. *Ps.* 74. *v.* 15. ut explicavi in libro Psalmorum.

V. 3. *Induam:* ita feci in Aegyptiis in perditione aeris illorum, super eos enim indui Coelos caligine, & fuerunt illis tenebrae tribus diebus. *& saccum ponam operimentum eorum*, perinde ac si saccus fuisset operimentum eorum, quia non viderunt lucem, per saccum verò intelliguntur tenebrae; sicut igitur haec omnia feci, ita potero educere vos de exilio, quamvis vos sitis in medio populorum multorum. Facit autem mentionem aquae & aeris, quia sunt elementa, & si in elementis facit voluntatem suam, multò magis faciet in rebus creatis ex illis. Possumus etiam exponere *Induam Coelos atrore* de tenebrositate Solis & Lunae, aut de nubibus, ut dictum est de illis *& Coeli contenebrati sunt nubibus & vento*, 1. *Reg.* 18. *v.* 45. verumtamen rectius est exponere omnia de eo, quod fecit propter Israelem. Rectè pariter se habebit explicando versus hosce metaphoricè, nimirum quòd videantur bona populorum quoad copiam & abundantiam ut mare & flumina, quae ait se siccaturum & arefacturum, nimirum se facturum cessare bona eorum propter malum, quod fecerunt Israeli, adeo ut sit sensus, ut explicavimus in vers. *& ponam flumina in insulas, & stagna arescere faciam cap.* 42. *v.* 15.

V. 4. *Dominus Deus:* haec sunt verba Prophetae, quae dicit de seipso: ait, dedit mihi linguam doctorum linguâ, h. e. virorum assuefactorum in lingua, videl. eloquentium, veluti *doctus desertum*, *Jer.* 2. *v.* 24. & ita dixit superius *Et posuit os meum ut gladium acutum*, *cap.* 49. *v.* 2. disposuit enim linguam meam ad loquendum pura & candida velociter more hominis assueti in sermone. *ad sciendum*, scilicet verbum Dei, & ad alloquendum tempestivè illum, qui est lassus, videlicet sitiens audiendi verbum Domini, veluti *ut bibat qui lassus fuerit in deserto*. 2. *Sam.* 16. *v.* 2. h. e. sitibundus, & ita *in terra siccitatis & lassa absque aqua*. *Psal.* 63. *v.* 2. לעות significat loqui rem in tempore suo. *excitabit in mane in mane*, fortasse fuerunt ejus prophetiae per visiones nocturnas, eratque proinde ac si Deus excitaret eum mane, & prophetia in ore ejus; vel *in mane in mane* significat die post diem, quia non erat cessatio in prophetia ejus, sic ut esset absque prophetia per mensem, aut dies. *excitabit mihi aurem*, ecce disposuit os meum ad loquendum, & aurem meam ad audiendum more doctorum.

V. 5. אדוני יהוה: dicit bis אדוני יהוה *v.* 4. *&* 5. ac deinde ter um dicit ואדוני יהוה *v.* 7. & הן אדוני יהוה *v.* 9. quia loquitur

tur per prophetiam, prophetia verò venit ad Prophetam per medium Angelorum, qui appellantur Dii. *non fui rebellis*, quin ſubirem legationem ejus, neque reverſus ſum retrorſum, ne irem, ſed dixi *ecce ego, mitte me. cap. 6. v. 8.*

V. 6. *Corpus meum*: quamvis contemnerer propter legationem, non prohibui me propter hoc, ſed libenter ivi; non eſt autem id ſecundum verba Jeremiae *Et dixi, non recordabor ejus, &c. Jer. 20. v. 9.* nam iſtud *Corpus meum dedi percutientibus* probabile eſt, quòd reipſa fuerit, verùm non invenimus hoc in Scriptura: probabile etiam eſt, quòd ſenſus hujus verſus talis ſit, etiamſi percutiant ac depilent me, ego recipiam hoc pro amore Dei. *depilantibus*, i. e. evellentibus pilos maxillarum ejus, & barbam ejus.

V. 7. *Dominus autem Deus auxiliabitur mihi*: ſi percutient me: dicit autem *auxiliabitur mihi*, quia non tradet me in manum eorum, ut interficiant me; quòd ſi reipſa non percuſſerunt eum, ſenſus eſt, auxiliabitur mihi in ratificandis verbis prophetiae meae, quapropter ignominia affectus non ſum dicendo palam verba prophetiae meae, ſiquidem ſciebam non fore mihi ignominiam, eoquòd ſubſtitura eſſent verba mea. *ut ſilicem*, ſignificat petram praeduram.

V. 8. *Proximus eſt juſtificans me*: qui juſtificabit verba mea, & ponet ea veritatem, ipſe proximus eſt mihi, jugiter enim innovat prophetias ad me, etiam repetit mihi quaſdam prophetias, veluti de Sancheribo; quum igitur repetat mihi jugiter, ſanè omnibus modis ſubſiſtere faciet eas, ſi modò non facient poenitentiam, adeo ut convertatur retrorſum verbum ejus, & conſoletur ob malum: vel *proximus* ſignificat, quòd prope eſt, ut juſtificet verba mea. *quis contendet mecum*? ſcil. quòd non erit, ſicuti prophetavi.

V. 9. *Ecce Dominus Deus... quiſnam condemnabit me*? ſcilicet in verbis meis; non dicit autem *quiſnam condemnabit me*, quòd non inveniretur, qui condemnaret eum, multi enim fuerunt, qui condemnaverunt eum, ſed ait, quis eſt, qui condemnet me in verbis meis? ירשיעני, ſicuti *& condemnabunt impium. Deut. 25. v. 1. quem condemnaverint judices, Exod. 22. v. 9. omnes illi ut veſtimentum*, omnes qui ſtant coram me, ut repugnent verbis meis.

V. 10. *Qui inter vos*: quandoquidem ſunt qui condemnant me, qui eſt inter vos timens Deum, audiat me, ac etiam ex illis, qui ambulaverunt in tenebris uſque modò, convertatur a via ſua mala, & ſperet in nomine Domini, & bonum erit ei.

V. 11. *Ecce omnes vos*: h. e. plerique veſtrum, quia verè timentes Deum fuerunt in illis; verùm de illis, ad quos clamabat dicens *qui ambulavit in tenebris, v. 10.* ut converterentur ad eum, dicit, novi, quòd non convertemini, quia omnes vos, qui fuiſtis in via mala uſque modò, accenditis ignem, h. e. accenditis ignem in furore Dei, veluti *Quia ignis ſuccenſus eſt in furore meo, Deut. 32. v. 22.* ſed iſtud eſt Verbum intranſitivum, hoc verò tranſitivum, item eſt tranſiti-

ſitivum in illo *quoniam ignem ſuccendiſtis in furore meo*, *Jer*. 17. v. 4. *ſuſcitantes ſcintillas*, repetit rem cum vocabulis diverſis: qui proferunt ignem ex lignis & ex lapidibus vocantur *ſuſcitantes ſcintillas*. זיקות ſunt ſcintillae ignis, Jonatan vertit *concitantes ignem*, ſic illud *Et mittam in vos Lev*. 26. v. 22. Chaldaicè vertitur *Et concitabo in vos*. *ambulate in foco ignis veſtri*, ignem accendiſtis, qui devorabit vos, iniquitas enim conſumet vos. *a manu mea fuit hoc vobis*, ne dicatis, caſu accidit hoc nobis, verùm a manu mea fuit hoc vobis, ut jaceatis in dolore; cubatio verò haec, de qua loquitur, eſt ut cubatio morbi, vel mortis, quaſi dicat, quòd non erit in vobis ſurgendi vis coram hoſtibus veſtris. אשכם Aleph habet Saegol, & Scin eſt raphatum.

JESAIAE CAP. LI.

1. Audite ad me ſequentes juſtitiam, quaerentes Dominum: aſpicite ad petram, *ex qua* exciſi eſtis, & ad perforationem ciſternae, *in qua* effoſſi eſtis. 2. Aſpicite ad Abrahamum patrem veſtrum, & ad Saram, pariet vos *quae peperit vos*: nam unum vocavi eum, & benedicam *benedixi* ei, & multiplicabo *multiplicavi* eum. 3. Quia conſolatus eſt Dominus Tzionem, conſolatus eſt omnes vaſtationes ejus, & poſuit deſertum ejus tanquam Eden, & ſolitudinem ejus ut hortus Domini: gaudium & laetitia invenietur in ea, gratiarum actio & vox pſalmodiae. 4. Attendite ad me popule mi, & gens mea ad me aures convertite: etenim lex a me exibit, & judicium meum in lucem populorum, quieſcere faciam. 5. Proxima juſtitia mea, exiit ſalus mea, & brachia mea populos judicabunt: me inſulae expectabunt, & brachium meum praeſtolabuntur. 6. Elevate in Coelos oculos veſtros, & aſpicite ad terram deorſum, nam Coeli ut fumus evanuerunt *evaneſcent*, ac terra ſicut veſtimentum veteraſcet, & habitatores ejus pariter morientur: at ſalus mea in ſaeculum erit: & juſtitia mea non frangetur. 7. Audite

 ad

ad me scientes justitiam, populus, lex mea in corde eorum: ne timeatis opprobrium hominum, & a conviciis eorum ne consternemini. 8. Nam sicut vestimentum manducabit eos tinea, & sicut lanam exedet blatta: justitia verò mea in saeculum erit, & salus mea in generationem generationum. 9. Expergiscere expergiscere, indue fortitudinem brachium Domini, expergiscere secundum dies antiquitatis, *secundum* generationes saeculorum: nonne tu es excidens Rahab, dolore afficiens Draconem? 10. Nonne tu es exsiccans mare, aquas abyssi magnae? ponens profunditates maris viam, ut transeant redempti? 11. Sic redempti Domini revertentur, & introibunt Tzionem cum cantu, & laetitia saeculi super caput eorum: gaudium & laetitiam assequentur, fugient moeror & gemitus. 12. Ego ego sum, qui consolor vos, quaenam tu, & timuisti ab homine, *qui* morietur, & a filio hominis, *qui ut* herba dabitur? 13. Et oblitus es Domini factoris tui extendentis Coelos, & fundantis terram, ac formidasti jugiter omni die a facie aestuantis irae arctantis, postquam dispsuit se ad corrumpendum: & ubi est ira aestuans arctantis? 14. Festinavit demigrans, ut solvatur: & non morietur in corruptione, neque deficiet panis ejus. 15. Et ego Dominus Deus tuus dividens *scindens* mare, & personuerunt fluctus ejus: Dominus exercituum nomen ejus. 16. Et posui verba mea in ore tuo, & in umbra manus meae protexi te: ad plantandum Coelos, & ad fundandum terram, & ad dicendum Tzioni, populus meus es tu. 17. Excita te excita te, surge Jerosolyma, quae bibisti de manu Domini calicem excandescentiae ejus: faecem calicis tremoris (*veneni mortiferi*) bibisti, expressisti. 18. Non est ductor ei ex omnibus filiis, *quos* peperit: & non est qui apprehendat manum ejus ex omnibus filiis, *quos* enutrivit. 19. Duo haec acciderunt tibi, quis condolebit tibi? vastatio & contritio, & fames & gladius, *in* quo consolabor te? 20. Filii tui defece-

runt,

runt, jacuerunt in capite omnium platearum, ut bubalus *in* rete: pleni excandeſcentia Domini, increpatione Dei tui. 21. Idcirco audi nunc id paupercula, & ebria, ſed non ex vino. 22. Sic dixit Dominator tuus, Dominus & Deus tuus judicabit populum ſuum, ecce abſtuli de manu tua calicem tremoris (*veneni mortiferi:*) faecem calicis aeſtuantis irae meae, non addes, ut bibas amplius. 23. Et ponam illum in manu moerore afficientium te, qui dixerunt animae tuae, incurva te, & tranſibimus: & poſuiſti quaſi terram corpus tuum, & quaſi plateam tranſeuntibus.

COMMENTARIUS.

V. 1. **A***udite ad me*: alloquitur hìc homines probos timentes Dominum. *aſpicite ad petram, exciſi eſtis*, ſcil. ex qua exciſi eſtis, hic eſt Abrahamus. *& ad perforationem ciſternae, effoſſi eſtis*, ſcilicet in qua effoſſi eſtis, & haec eſt Sara: aſſimilat vulvam mulieris ciſternae, מקבת enim ſignificat effoſſionem ciſternae, quaſi dixiſſet, ad ciſternam perforatam, in qua aut ex qua effoſſi eſtis. Sapiens Rab. Abrahamus filius Ezrae interpretatur petram de Sara, quia patitur actionem, & מקבת de Abrahamo, quia eſt inſtrumentum (*a*) agens in petra. *effoſſi eſtis*, ex ſignificatione illius *num oculos virorum iſtorum effodies? Num.* 16. *v.* 14.

V. 2. *Aſpicite*: nunc explicat ſimilitudinem: תחוללכם *pariet vos*, iſtud autem *pariet* eſt futurum loco praeteriti, pro *peperit vos*, ſignificatio verò eſt ex illo *dolor ut parturientis Jer.* 6. *v.* 14. *&* 22. *v.* 23. *&* 50. *v.* 43. Ait, reſpicite ad eos, & ambulate in viis eorum, & videte eos, & conſiderate id, quod feci eis. *nam unum vocavi eum*, & dixi ei *vade tibi e terra tua, & e cognatione tua, Geneſ.* 12. *v.* 1. unus tantùm fuit, ſed poſtea benedixi ei, & multiplicavi eum. Cur conjungat id cum conſolatione Tzionis, declarat dominus Pater meus f. m. nimirum quia in tempore, quo deſperabant ambo fore ſibi filium, in tempore ſcilicet ſenectutis ipſorum, tunc viſitavi eos, & dedi illis filium; ſic Iſraelitae, poſtquam prolongatum fuerit exilium eorum valde, adeo ut deſperent de redemptione, tunc viſitabit eos Deus, & educet eos ab exilio. *& benedicam ei, & multiplicabo eum*, futu-

(*a*) Nam vox מקבת non ſolùm *perforationem* & *excavationem* ſignificat, ſed etiam *malleum*, propriè una parte acutum ad Perforandum aptum, latiùs verò quemvis malleum, à נקב *Perforavit Transfixit*.

futurum loco praeteriti, nam Vau in וארבהו habet Sceva, & ita ואברכהו habet Patach, loco tamen Sceva.

V. 3. *Quia consolatus est Dominus Tzionem*: memorat Tzionem, quia est metropolis regni. *solitudinem ejus* idem ac *desertum ejus*, veluti *in deserto in solitudine*, *Deut.* 1. v. 1. & similia his: dicit *consolatus est*, & *posuit* praeteritum vice futuri juxta morem suum praesertim in prophetiis.

V. 4. *Attendite*: ולאומי habet Vau unà cum Daghesc, similia huic scripsimus in Libro Miclol. *etenim lex a me exibit*, quemadmodum ait in principio Libri *quia de Tzione exibit Lex*, *cap.* 2. *v.* 3. namque Rex Messias docebit populos ambulare in viis Domini, idque erit post bellum Gogi & Magogi, *& judicium meum*, ut ait ibidem *& judicabit inter gentes*, *d. cap.* 2. *v.* 4. *in lucem populorum*, quia illuminabit oculos eorum in viis Domini, & judicabit inter eos, & reprehendet eos, ut sint in pace hic cum illo, ut ait *& contundent gladios suos in ligones &c.* *d. cap.* 2. *v.* 4. idque est; quod ait *quiescere faciam*, quasi dicat, requiescere faciam, & quietem praestabo illis ab ira mea, aut a bello; seu לאור עמים significat in oculis populorum pacem praestabo eis, & judicium meum illis, h. e. faciam judicium meum in illis.

V. 5. *Proxima justitia mea*: si audierint me filii exilii, prope est justitia mea ut veniat, & salus mea perinde est, ac si jam exierit, ut ait inferius *quia prope est salus mea ut veniat*, *cap.* 56. *v.* 1. *& brachia mea populos judicabunt*, hoc est bellum Gogi & Magogi: dicit autem *& brachia mea* in numero plurali ob magnitudinem vindictae, quam faciet in illis more hominis percutientis utraque manu. *me insulae expectabunt*, habitatores insularum expectabunt me a die illo & ulterius. *& brachium meum*, quia substentabo eos manu dextera mea.

V. 6. *Elevate*: si versus hic intelligendus est, prout sonat, quomodo dicit *& salus mea in saeculum erit*? etenim si Mundus peribit, quomodo erit salus & justitia, si non subsistet Mundus creatus? dominus pater meus f. m. sic interpretatur, hoc quidem erit (quòd salus & justitia maneant in saeculum) & non erit illud (quod Mundus pereat) verùm dicit id per modum hyperboles, quasi dicat, priùs vastabo Mundum, quam cessare faciam salutem & justitiam meam, & quemadmodum illi sunt stabiles, ita erit salus mea stabilis, & ita dixit per Jeremiam prophetam *Si removeri possunt decreta ista a facie mea, etiam semen Israelis cessabunt, ne sit gens coram me* *Jer.* 31. *v.* 36. Sapiens Rab. Abrahamus filius Ezrae ita scribit „ Ex hoc versu didi„ cerunt Theologi animam hominis esse immortalem, quorum qui„ dem sermo veritas est; Coeli sunt firmamentum, terra Orbis habi„ tatus, salus verò hominis & justitia ejus manet in aeternum „ vult dicere, quòd aeri accidit corruptio & immutatio, itemque terrae, veluti

luti terraemotus, & casus montium, unde venit corruptio Orbis habitabilis. *&* *habitatores ejus pariter morientur*, quamvis hi constent ex quatuor elementis, tamen duo tantùm commemorat, quia in aere consistit vitalitas corporis, & fundamentum corporis est pulvis, ut ait *quia pulvis es, & in pulverem reverteris. Genes.* 3. *v.* 19. ast anima sapiens in perpetuum vivet, non morietur. Magnus Rabbi Moses filius Maimonidis f. m. explicat metaphoricè de perditione nationum, & nocentium Israelitis, ait,, Videte, quomodo scissi sunt Coeli illi, & de-
,, solata est terra illa, & mortuus est quisquis erat super ea, & tamen
,, vos estis ut caeci,, perinde ac si dixisset, quòd illi, qui impleverant terram, ideoque reputanda erat eorum statio & firmitas in Coelis (idque per modum similitudinis & hyperbolicae loquutionis) perierunt celeriter & consumpti sunt, ut consumitur fumus, eorumque res firmae in stabilitate terrae perierunt, ut perit vestimentum vetus. נמלחו significat corruptionem, veluti *terra corruptionis, quae non habitabitur. Jer.* 17. *v.* 6. & est praeteritum vice futuri. תחת frangetur, sicuti *ne timeas, & ne frangaris. Deut.* 1. *v.* 21. *Jehos.* 8. *v.* 1. 1. *Par.* 22. *v.* 13. *&* 28. *v.* 20.

V. 7. *Audite*: loquitur adhuc veluti coram exulibus, repetitque eamdem rem cum dictionibus diversis, nisi quòd mutat in ea partem significatus. *lex mea in corde eorum*, quorum in corde, non in ore tantùm est lex mea, quia isti videbunt salutem. *opprobrium hominum*, quia opprobriis afficiunt eos nationes ob protractionem exilii, & ita dixit *Omni die verecundia mea coram me; &c. Psal.* 44. *v.* 16. *& a conviciis*, convicium idem est ac opprobrium.

V. 8. *Nam sicut vestimentum*: versus hic opitulatur interpretationi Rab. Mosis filii Majemonidis f. m. *manducabit eos*, pronomen refertur ad impios, quasi dicat, vorabit eos malum veniens super ipsos, ut vestimentum, quod vorat tinea; blatta autem est soror tineae, quae Arabicè appellatur سوس, illi enim peribunt de terra, vos autem eritis in ea perpetuò in justitia & salute mea, quam dabo vobis.

V. 9. עורי עורי utrumque habet accentum in ultima: *indue fortitudinem tuam*, metaphoricè, veluti *elationem induit, Psal.* 93. *v.* 1. עורי, haec autem est vox penacuta: *secundum dies antiquitatis*, scilicet in Aegypto. *saeculorum*, significat dies multos, & tempora longa, quae transierunt. *Rahab*, haec est Aegyptus, veluti *Memorabo Rahab & Babylonem Psal.* 87. *v.* 4. Ait *excidens*, quia percussit eos decem plagis. *dolore afficiens*, ex derivatione illius *dolor ut parturientis Jer* 6. *v.* 14. *&* 22. *v.* 23. *&* 50. *v.* 43. *Draconem*, hic est Pharao, veluti *Draco magnus cubans in medio fluminum suorum. Ezech.* 29. *v.* 4.

V. 10. *Nonne tu es exsiccans mare?* hoc est mare rubrum, ut ait *& posuit mare in siccitatem: Exod.* 14. *v.* 21. deinde duplicat significationem ac triplicat cum vocabulis diversis. השמה vox penacuta

cum

cum duobus Pascetìn, quia est Verbum praeteritum, & quia est pro אשר שמה, veluti *ingressa in Aegyptum, septuaginta. Genes.* 46. *v.* 27. scilicet *quae ingressa est*, etenim non ponitur He demonstrationis in praeteritis..

V. 11. *Sic redempti*: sicut fecisti olim, ita facies adhuc cum exulibus Israelis; praeterea sicuti transierunt redempti per mare rubrum, & pervenerunt in terram suam, sic redempti Domini reverrentur ab exilio, & introibunt Tzionem cum exultatione. Vau in ופדוי stat pro כן, quia Vau adhibetur etiam ad similitudinem aequationem & comparationem rerum & verborum, ut scriptum est in Libro Miclol, & ita Vau in illo *sic labiis cantionum laudabit os meum, Psal.* 63. *v.* 6. ut explicavimus in Libro Psalmorum, pariter *sic fama bona impinguabit corpus. Prov.* 15. *v.* 30. In Libro Proverbiorum passim occurrit Vau in hac significatione. *& laetitia saeculi super caput eorum*, metaphoricè, quia incedent cum statura capitis elati ob laetitiam. ישיגון נסו, superius in parascia *Roborate manus remissas: cap.* 35. habetur ישיגו ונסו v. 10. ibique scripsimus signum distinctionis inter hunc versum & illum, quod est Vau Nun.

V. 12. *Ego ego sum, qui consolor vos*: ait *consolor vos* in numero plurali, deinde *quaenam tu, & timuisti* in genere foemineo, denique *Et oblitus es .... & formidasti v. seq.* in genere masculeo, quia talis est mos Scripturae, dum loquitur ad congregationem Israelis; quando enim loquitur in numero plurali, tum loquitur veluti coram particularibus, quando loquitur in numero singulari, tum loquitur veluti habita ratione universitatis, demum quando loquitur in genere foeminino, tum loquitur veluti habita ratione congregationis. *morietur*, quia filius mortis est, ideoque si angustiat te hodie, non angustiabit te cras. *herba*, scilicet ut herba, & ita *Catulus leonis Jehuda*; *Genes.* 49. v. 9. & similia huic multa.

V. 13. *Et oblitus es*: quum sit ipse Creator Mundi, debebas cogitare, esse vim in manu ejus eripiendi te de manu hominum: quomodo igitur formidasti ab hominibus, & non es recordatus Dei? quòd si converteris ad eum, ac deprecaberis a conspectu ejus, eripiet te de manu eorum. *extendentis*, & *fundantis*, explicavi pluries. *postquam disposuit se ad corrumpendum*, idcirco formidas ab illis. Convertere ad Deum, & ne formides ab illis, homines enim, si ascendat ira eorum, & se disponant ad corrumpendum, non efficient, neque sufficient sibi, prout accidit Sancheribo; ubi verò est ira ejus? abiit ut nubes.

V. 14. *Festinavit demigrans*: non laedet te ira affligentis, quia nunc festinabit demigrans, ut solvatur e domo migrationis; hic verò est Israel, qui exulatur inter populos. Verbum צועה significat migrationem de loco ad locum, interdum migrationem captivitatis, nonnumquam migrationem aliam: idem dicendum de voce גלות, nam illud

mi-

migrans tu ad locum tuum. 2. *Sam.* 15. *v.* 19. non significat migrationem captivitatis. Verbum verò צועה interdum est intransitivum, velut hìc *Festinavit demigrans*, pariter *tu vagans meretrix*. *Jer.* 2. *v.* 20. interdum est Verbum transitivum, veluti *& mittam ei demigrare facientes, & demigrare facient eum*; *Jer.* 48. *v* 12. *demigrare faciens in multitudine potentiae suae*. *Jes.* 63. *v.* 1. *& non morietur in corruptione*, non morietur in exilio, quod est ei veluti sepulchrum, ubi loquitur de universitate, nam si moriuntur particulares, ascendent in revivificatione mortuorum; dum igitur ait *& non morietur*, de universitate loquitur, quasi dicat, quòd non relinquetur ibi, quia omnibus modis egredietur, & solvetur a vinculo exilii. *neque deficiet panis ejus*, scilicet dum adhuc est in exilio, quamvis sit captivus, Deus enim etiam inter populos, qui sunt illis inimici, quique duxerunt eos captivos, victum & necessaria ipsis honoratè parat, vel sensus est, neque deficiet panis eorum, dum egredientur ab exilio, in itinere, quemadmodum ait *Non esurient neque sitient*. *Jes.* 49. *v.* 10. In Deras ita exponitur versus hic „ Quomodo pavebis ab homine, qui „ morti est obnoxius? immo adhuc vivens est res admodum debilis, si „ enim illius foramina nimis dura sint (h. e. difficultate laboret eva„ cuationis) necesse est, ut acceleret evacuationem, ne moriatur. Post„ quam verò acceleravit evacuationem, opus habet cibis, si enim „ desit ei panis, moritur „ Jonatan ita vertit *Cito revelabitur vindicta, & non morientur justi in corruptionem, nec deficient cibaria eorum*.

V. 15. *Et ego Dominus:* cujus in manu vis est educendi te ab exilio, quum enim dividam mare, multò magis objurgabo populos detinentes vos. Jonatan sumpsit רוגע ut גוער, vertit enim *increpans mare*: licet etiam exponere *disrumpens*, veluti *pellis mea disrupit se, & dissolvit se*. *Job.* 7. *v.* 5. *In potentia sua disrupit mare*. *Job.* 26. *v.* 12. Igitur juxta mentem Jonatanis hic est sensus, Ego sum Dominus Deus tuus, qui increpavi mare rubrum, ut vos transiretis. *& personuerunt fluctus ejus*, in loco divisionis, neque potuerunt transire, donec transierunt Israelitae, sic *& personuerunt fluctus ejus, & non transierunt illud*. *Jer.* 5. *v.* 22. *Dominus exercituum nomen ejus*, ipse est Dominus exercituum superiorum & inferiorum, & in manu ejus sunt omnia.

V. 16. *Et posui:* ecce posui verba mea in ore tuo, ut sis mihi in populum, sicuti *& verba mea, quae posui in ore tuo*, *Jes.* 59. *v.* 21. *& in umbra manus meae protexi te*, ne possint populi consumere te in exilio per omne tempus, quo erunt verba mea in ore tuo & in corde tuo, etenim non posui ea in ore tuo, nisi ut essent in corde tuo, ut exequereris ea, quemadmodum ait *in ore tuo & in corde tuo ad faciendum illud*. *Deut.* 30. *v.* 14. *ad plantandum Coelos*, tali modo protegam te in exilio, donec adveniat tempus plantandi Coelos, & fundandi terram, nimirum tempus congregationis exulum, erit enim Israel Mundus novus, ut ait *ecce ego creo Coelos novos, & terram novam: & non memorabuntur priores &c.* *Jes.* 65. *v.* 17. *& ad dicendum Tzioni*,

popu-

populus meus es tu, scilicet filiis Tzionis, memorat autem Tzionem, quia est metropolis regni: Jonatan vertit *ut suscitarem populum de quo dictum est, Quòd multiplicarentur sicut stellae Coeli: & ut fundarem congregationem, de qua dictum est, Quòd multiplicaretur sicut pulvis terrae: & dicerem habitantibus in Tzione, Populus meus estis vos.*

V. 17. *Excita te:* קבעת faeces calicis, התרעלה significat tremorem, aut venenum mortiferum. Ait, sat tibi in exilio, jam bibisti calicem veneni mortiferi usque ad faeces, etiam expressisti illud, adeo ut non superfuit in calice ne stilla quidem ejus, quasi dicat, omnia mala scripta advenerunt super te, & satis tibi, surge ab exilio, suscita te, etiam ac etiam suscita te.

V. 18. *Non est ductor ei*: quum adhuc esset in exilio, non fuit potestas in manu exulum ducendi se invicem, & prehendendi manum, & sublentandi se a calamitate, quia omnes fuerunt aequales in illo.

V. 19. *Duo haec*: mala, quae evenerunt tibi, quum adhuc esses in terra tua paulo ante migrationem, duo fuerunt, vastatio & contritio, scilicet fames & gladius, nam vastatio est gladius, & contritio est fames; haec mala fuerunt tibi praeter mala exilii, quod toties pertulisti. קראתיך cum Motione super Aleph. *in quo consolabor te?* quisnam populus est, qui vapulatus sit sicut tu, ut possim consolari te in eo? scilicet exemplo aut similitudine illius.

V. 20 *Filii tui defecerunt:* עלפו idem significat ac illud *super caput Jonae, & defecit: Jon. 4. v. 8.* nimirum significat lassitudinem & contusionem membrorum, ita ut non possit consistere super se, ut ait in Lamentationibus Jeremias *sederunt in terra in plateis puer & senex, Thr. 2. v. 21. ut bubalus in rete*, ut bubalus, qui jacet in rete, quo ceperunt eum: bubalus autem est fera, cujus sit mentio in Lege *& bubalum & camelopardalim. Deut. 14. v. 5.* per metathesim litterarum, veluti כבש & כשב, nimirum est bos silvestris. מכמר significat rete, veluti *Cadent in retia ejus improbi. Psal. 141. v. 10.* item *& expandentes rete Jes. 19. v. 8.*

V. 21. *Idcirco . . . & ebria, sed non ex vino*, scilicet ebria calamitatibus, & non vino.

V. 22. *Sic dixit Dominus tuus:* ipse erit Dominus tuus, & non reges gentium, ipse enim est Deus tuus, qui sumet judicium tuum contra populos. *judicabit populum suum*, sumet judicium populi sui, & vindictam eorum adversus gentes, & ita *judicate viduam. Jes. 1. v. 17.*

V. 23. *Et ponam illum in manu moerore afficientium te:* radix ejus est יגה, ex illo *quia Dominus moerore affecit Thr. 1. v. 5. animae tuae*, ait *animae tuae*, simulque *corpus tuum*, eoquod anima affligitur in afflictione corporis. *& quasi plateam*, scilicet ut forum, per quod omnes

omnes transeunt: totum autem hoc tulisti pro amore mei, idcirco dixit *&* *posuisti*.

JESAIAE CAP. LII.

1. EXpergiscere expergiscere, indue fortitudinem tuam *o* Tzion: indue vestimenta gloriae tuae *o* Jerosolyma civitas Sanctitatis, quia non addet, *ut* veniat in te amplius incircumcisus & immundus. 2. Excute te de pulvere, surge *o* captivitas Jerosolymae: solve te vinculis colli tui captiva filia Tzionis. 3. Quia sic dixit Dominus, gratis venumdati estis: & non in argento redimemini. 4. Nam sic dixit Dominus Deus, *in* Aegyptum descendit populus meus in principio ad peregrinandum *inhabitandum* ibi: & Assur pro nihilo oppressit eum. 5. Et nunc quid mihi hìc? ait Dominus, nam ablatus est populus meus gratis: dominatores ejus ejulare faciunt, ait Dominus, & jugiter omni die nomen meum blasphematur. 6. Quapropter cognoscet populus meus nomen meum: propterea in die illa, quia ego sum loquens, ecce ego. 7. Quàm pulchri sunt super montes pedes evangelizantis, audire facientis pacem, annunciantis bonum, promulgantis salutem: dicentis Tzioni, regnavit Deus tuus. 8. Vox Speculatorum tuorum, elevaverunt vocem, simul acclamabunt: quia oculo ad oculum videbunt, quum reversus fuerit Dominus Tzionem. 9. Edite sonum, cantate simul desolationes Jerosolymae: quia consolatus est Dominus populum suum, redemit Jerosolymam. 10. Nudavit Dominus brachium Sanctitatis suae in oculis omnium gentium: & videbunt omnes fines terrae salutem Dei nostri. 11. Recedite recedite, exite inde, immundum ne tangatis: exite de medio ejus, mundate vos, qui portatis vasa Domini. 12. Quia non in festinatione exibitis, & in fu-

ga non ambulabitis: namque vadens ante vos Dominus, & colligens vos Deus Israelis. 13. Ecce prosperabitur servus meus: exaltabitur, & elevabitur, & sublimis erit valde. 14. Quemadmodum obstupuerunt super te multi, ita corruptus prae viro aspectus ejus: & forma ejus prae filiis hominum. 15. Sic loqui faciet gentes multas, super eum aperient *claudent* reges os suum: quia *id*, quod non fuit narratum ipsis, viderunt, & *id*, quod non audierunt, intellexerunt.

COMMENTARIUS.

V. 1. E*Xpergiscere expergiscere* . . . . *fortitudinem tuam*, qua fuisti exuta usque modò, indue eam. *incircumcisus & immundus*, per *incircumcisum* intelliguntur Edomaei (scilicet Romani seu Christiani) qui sunt incircumcisi, per *immundum* verò intelliguntur Ismaelitae (scilicet Turcae) qui ostendunt se mundos in lotione corporis sui, sed sunt immundi ob opera ipsorum prava. Utrique verò tenuerunt Jerosolymam a die, quo vastaverunt eam, & utrique pugnaverunt adversus eam tempore multo, unus hinc & alter inde subjiciens eam; sed à die redemptionis & ultra non transibunt per eam amplius omnibus diebus Mundi, dictum enim est *& alieni non transibunt per eam amplius. Joel. 3. v. 23. al. 4. v. 17.*

V. 2. *Excute te de pulvere:* assimilat mansionem eorum in exilio ei, qui involutus est pulvere, & ait, excute te de pulvere, & surge. *captivitas*, veluti *captivitatem & capturam*, *Num. 31. v. 12.* Jonatan vertit in significatione sessionis *surge sede super solium gloriae Jerusalem. solve te vinculis colli tui*, deest Mem servile, pro *a vinculis colli tui*, ità enim se habet in exilio, quasi substineat jugum vinculorum super collum. שביה Toar juxta formam עניה.

V. 3. *Quia sic dixit Dominus, gratis:* absque argento, sed ob iniquitates. *& non in argento*, sed in poenitentia: ulterius prolongabimus nos in argumento isto in vers. *Et vidit, quòd non esset vir*, *cap. 59. v. 16.*

V. 4. *Nam sic dixit Dominus, Aegyptum descendit populus meus in principio:* commemorat duas migrationes, migrationem Aegypti, & migrationem Babylonis, rex enim Assyriae est rex Babylonis. Ait, Aegyptii, quo descendit in principio ad peregrinandum (seu ad inhabitandum) itemque Assyrii pro nihilo oppresserunt eum, etenim Aegyptiis non fuit jus faciendi illum servire cum saevitia, quia ad peregrinandum venit illuc initio, pariter Assyriis non fuit jus in illis, neque enim fuerunt eorum captivi jure belli ob id, quod venit Sancheri-

cheribus, & deportavit decem Tribus, & Nebucadnetzar deportavit Jehudam & Binjaminum, idque pro nihilo absque jure; quamvis enim fuerit decretum Dei, Aegyptii tamen servire fecerunt eos, & afflixerunt magis, quam par esset, & ita pariter Assyrii, quemadmodum ait *ego iratus sum parùm, ipsi verò auxiliati sunt mihi in malum*. *Zach.* 1. *v.* 15.

V. 5. *Et nunc*: scilicet in praesenti exilio, quod est tertium. *quid mihi hic?* quid mihi usque adeo in hoc exilio? prolongavi enim eis tempus multum in exilio: sic dicet Deus, quum appropinquaverit tempus redemptionis. *nam ablatus est populus meus gratis*, non morantur in exilio propter argentum, quod debeant illis, qui fecerunt ipsos captivos, sed propter iniquitates suas migraverunt, pro quibus jam sumpserunt mulctam. *dominatores ejus ejulare faciunt*, populi, qui dominantur illis, ejulare faciunt eos in servitute ipsorum dura, pervenit enim clamor eorum ad me: praeterea toto die nomen meum blasphematur in exilio, gentes enim blasphemant illud, dum interficiunt & spoliant eos ob unitatem nominis mei. לֻקַּח habet Patach, quia est Verbum praeteritum ex conjugatione Pual. יְהֵילִילוּ radix ejus est ילל, ex significatione ejulatus, ex conjugatione Hiphil, & est Verbum transitivum. מִנֹּאָץ compositum ex Pual & Hitpael, cujus jam benè dilucidavimus structuram grammaticalem in Libro Miclol in parte, quae agit de re grammatica, in conjugatione Pual.

V. 6. *Quapropter cognoscet populus meus nomen meum*: quod quidem non est notum in exilio, sed est blasphematum, redemptionis verò tempore cognoscet populus meus nomen meum, idque est, quod ait *in die illa*; tunc cognoscet populus meus nomen meum, itemque caeteri populi tum cognoscent illud, verùm facit mentionem populi sui, quia ipse cognoscet illud in veritate, ac scient prophetiam non esse loquutam in vanum, & fiduciam, qua confidere eos feci per Prophetas, tunc scient esse veritatem, simulque scient me esse loquentem, non quòd loquuti sint Prophetae ex seipsis, sed tantùm prophetasse in nomine meo. Quando igitur videbunt, quòd subsistent fiduciae illae, scient me esse, qui loquutus sum ad ipsos, & ecce ego sum, sicut fui, non immutatus sum, neque immutabor, nisi quòd illi non cognoverunt me, quemadmodum cognoscent me tunc in tempore redemptionis.

V. 7. *Quàm pulchri sunt*: radix Verbi נָאווּ est אוה, Aleph quiescit, & Nun est characteristica conjugationis Niphal, sicuti *Pulchrae sunt maxillae tuae*, *Cant.* 1. *v.* 10. & significat pulchritudinem; utitur autem significatione pulchritudinis de pedibus (scilicet attribuit pulchritudinem pedibus) per metaphoram, veluti *Quàm pulchri sunt gressus tui*, *Cant.* 7. *v.* 1. *al.* 2. quasi dicat, quàm decori erunt & pulchri pedes evangelizantis, qui ascendet super montes, ut faciat audire vocem ad annunciandum pacem, & bonum, & salutem, & ad dicendum Tzioni, regnavit Deus tuus; nam usque ad tempus

illud

illud non ostendet se esse regem, sed tunc dicent omnes eum esse regem, ut dictum est *& erit Domino regnum*. *Obad.* 1. *v.* 21. significatio verò est metaphorica, nimirum quòd innotescet res in Mundo universo, perinde ac si homines audire faciant super montibus vocem salutis; & ita mos Mundi est, quum annunciandum est aliquid boni, destinare aliquem in dignitate constitutum, qui annunciet illud.

V. 8. *Vox speculatorum tuorum*: i. e. prophetarum tuorum, propheta enim appellatur speculator, veluti *speculatorem dedi te*; *Ezech.* 3. *v.* 17. *&* 33. *v.* 7. quia est speculator futurorum: postea declarat, qualis erit vox speculatorum tuorum, dicens *elevaverunt vocem*, ac si dicat, quòd edent vocem in laetitia, & jubilabunt simul. *quia oculo ad oculum videbunt, quum reversus fuerit Dominus Tzionem*, quasi dicat, videbunt per visionem prophetiae reversam esse Majestatem Domini ad Tzionem, videlicet spiritum prophetiae, quae jam cessavit, ex quo mortui sunt Chaggaeus, Zacharias, & Malachias, tempore verò salutis revertetur spiritus prophetiae ad pristinum, & etiam magis eo, quod fuerat antea, & ita *quòd oculo ad oculum visus sis Domine*, *Num.* 14. *v.* 14. in omnibus enim illis fuit spiritus prophetiae in statione Montis Sinai praeter gloriam, quam viderunt cum sensu oculi: Jonatan *speculatorum tuorum* vertit *Gubernatorum tuorum*.

V. 9. *Edite sonum*: פצחו significat elationem vocis, veluti *fragorem ede cantu*, *Jes.* 54. *v.* 1.

V. 10. *Nudavit*: metaphoricè, quasi dicat, quòd salus Israelis erit manifesta, sic *& brachium tuum nudum*, i. e. manifestum: *Ezech.* 4. *v.* 7.

V. 11. *Recedite recedite*: repetitio ad roborandum. *inde*, scilicet e loco exilii. *immundum*, scilicet Christianos & Turcas, inter quos estis exules; isti verò sunt immundi, & vos polluti estis usque modò cum eis, at nunc exite ab eis, ne polluamini amplius in illis, & ne tangatis eos. *de medio ejus*, de medio uniuscujusque civitatis, in qua estis. *mundate vos*, purificate vos ab omni immunditia & iniquitate. *qui portatis vasa Domini*, arma vestra erunt vasa Domini, non verò gladius, neque lancea, sed misericordiae Dei, misericordiae enim ejus ipsae erunt instrumenta vestra in exitu vestro de exilio, ratio verò ejus est id, quod sequitur *Quia non in festinatione vers. seq.* Jonatan vertit *portantes vasa domus Sanctuarii*, cujus quidem non assequor mentem, quum in hoc exilio non sint vasa domus Sanctuarii, sicuti fuerunt in exilio Babylonis, quae portaverunt secum in exitu ipsorum de exilio (a).

V. 12. *Quia non in festinatione*: quasi dicat in manu excelsa exibitis, non pavebitis admodum, neque opus habebitis armis. *namque vadens ante vos*, ideo exibitis tranquillè, quia non timebitis ab homini-

(a) Jonatan hic & alibi frequenter coarguit vafritiem recentiorum Rabbinorum, qui de praesenti exilio interpretantur prophetias illas, quae respiciunt captivitatem Babylonis & reditum ab ea. *Vid. Ezr.* 1. 8. 9. 10. 11.

minibus; de Aegypto verò exierunt cum festinatione, quia Aegyptii accelerabant eos, ut exirent propter plagas, sed postquam exierunt ex Urbe, ambulaverunt cum quiete in manu excelsa.

V. 13. *Ecce prosperabitur servus meus*: parascia ista dicta fuit de exilio Israelis, quem vocat servum suum, ut ait *Et tu Israel servus meus. Jaacobe quem elegi*: *cap.* 41. *v.* 8. Ait, ecce veniet tempus, quo prosperabitur servus meus, & exaltabitur, & elevabitur, & sublimis erit valde. ישכיל prosperabitur, vel, prosperè aget, veluti *Et fuit David in omnibus viis suis prosperè agens*. 1. *Sam.* 18. *v.* 14. & ita vertit Jonatan *Ecce prosperabitur*. Dicit *exaltabitur*, & *elevabitur*, & *sublimis erit*, indicans celsitudinem cum omni vocabulo, quia celsitudo ejus erit celsitudo excellens.

V. 14. *Quemadmodum obstupuerunt*: שממו significat admirationem & stuporem, veluti *stupens in medio eorum*. *Ezech.* 3. *v.* 15. ait *Quemadmodum obstupuerunt*, scilicet ob magnitudinem humilitatis tuae; & re quidem vera justum erat eos obstupescere, quia videbant esse corruptum magisquam omnium virorum vultum ejus, & formam ejus magisquam caeterorum hominum. Quòd autem loquatur modò in persona secunda, veluti *super te*, modò in persona non secunda, veluti *aspectus ejus*, & *forma ejus*, talis est consuetudo Scripturae in quamplurimis locis, ut saepe monuimus. Sapiens Rab. Abrahamus interpretatur, quòd *ita corruptus prae viro aspectus ejus* sint verba gentium, quae mirantur Israelitas, ac postea dicunt, quòd corruptus est prae viro aspectus eorum, namque plures gentes sunt in Mundo, quae arbitrantur formam Jehudaei diversam esse ab omnibus formis, quaedam etiam inter illas sunt, quae interrogant, an sit Jehudaeo os, vel oculus, ut in terra Ismaelis, & in terra Edòm, Turcarum scilicet & Christianorum. משחת cum Chirek sub Mem, & est Toar, sic *Et urbes separatae Jehos.* 16. *v.* 9. cum Chirek pariter sub Mem, estque Toar. ותארו cum Cholem propter Aleph.

V. 15. *Sic*: יזה adhibetur hìc in significatione sermonis (*a*), ut יטיף usurpatur in significatione stillationis & sermonis, veluti *stillaverunt aquas*. *Jud.* 5. *v.* 4. significat sparsionem, *Ne stilletis*, *stillabunt*: *Mich.* 2. *v.* 6. significat sermonem, sic יזה significat loquutionem, & est transitivum in tertium, vulgò *farà parlare di se*. Ait, quemadmodum obstupescent propter humilitatem ejus, sic admirabuntur magnitudinem ejus, & loquentur de ea jugiter. *super eum aperient reges os suum*, etiam regibus videbitur gloria eorum gloria magna, ut ait *Et videbunt gentes justitiam tuam, & omnes reges gloriam tuam*; *Jes.* 62. *v.* 2. יקפצו significat aperitionem, veluti *aperiens super colles*. *Cant.* 2. *v.* 8. ubi significat aperitionem gradus vel passus in subsili-

(*a*) Propriè *faciet spargere sermones*, etenim נזה significat *spargere*, quo sensu interpretatur R. Abrahamus *sparget*, videl. sanguinem gentium multarum effundet.

ſilitione; hoc idem Verbum ſignificat etiam claudere, ſicuti *neque claudes manum tuam*, *Deut.* 15. *v.* 7. Utroque igitur modo poteſt explicari vox iſta יקפצו, nimirum aperient os ſuum ad narrandam magnitudinem ejus, vel, ponent manum ſuper ore prae magnitudine admirationis. *quia quod non fuit narratum ipſis, viderunt*, amplius videbunt de magnitudine ejus, quam quod narratum fuit eis, & amplius eo, quod audierunt, intelligent in illo tempore de magnitudine ejus.

JESAIAE CAP. LIII.

1. QUis credidiſſet auditioni noſtrae? & brachium Do-
mini ſuper quem revelatum eſt? 2. Et aſcendit
ut ramulus coram eo, & ſicut radix de terra ſiccitatis,
non forma ei neque decor: & vidimus eum, & non *erat*
ei aſpectus, *&* *non* deſideravimus eum. 3. Deſpectus &
ceſſans virorum, vir dolorum & notus aegritudinis: &
quaſi abſcondens faciem ab eo, contemptus *erat*, & non
reputavimus eum. 4. Verè languores noſtros ipſe tulit,
& dolores noſtros portavit: & nos reputavimus eum pla-
gatum percuſſum Dei *a Deo*, & afflictum. 5. Et ipſe do-
lore affectus propter praevaricationes noſtras, attritus
propter iniquitates noſtras: caſtigatio perfectionum no-
ſtrarum ſuper eum, & in livore ejus ſanatum eſt nobis.
6. Omnes nos ſicut ovis erravimus, unuſquiſque ad viam
ſuam reſpeximus: & Dominus incurrere fecit in eum ini-
quitatem omnium noſtrum. 7. Oppreſſus eſt & ipſe affli-
ctus, & non aperiet os ſuum, ſicut agnus ad jugulatio-
nem ducetur, & ſicut ovis coram tondentibus eam ob-
mutuit: & non aperiet os ſuum. 8. De occluſione & de
judicio ſublatus eſt, & generationem ejus quis loquetur?
nam abſciſſus eſt de terra viventium, propter praevarica-
tionem populi mei plaga *fuit* ei. 9. Et dedit cum impiis
ſepulturam ſuam, & cum divite in mortibus ſuis: quam-
vis non injuriam feciſſet, neque dolus *fuiſſet* in ore ejus.

10. Et

10. Et Dominus voluit atterere eum, aegrotare fecit, si ponet delictum anima ejus, videbit semen, prolongabit dies: & voluntas Domini in manu ejus prosperabitur. 11. Ex labore animae suae videbit, saturabitur, in scientia sua justificabit justus servus meus multos: & iniquitates eorum ipse portabit. 12. Ideo dabo partem ei in multis, & cum fortibus dividet spolium, pro eo quod effudit in mortem animam suam, & cum praevaricatoribus numeratus est: & ipse peccatum multorum tulit, & pro praevaricatoribus deprecabitur.

COMMENTARIUS.

V. 1. Q*Uis credidisset*: gentes dicent tunc, quis credidisset auditioni, quam audivimus de eo ab ore Prophetarum, aut ab ore dicentium in nomine eorum? non credidimus id, quod modò videmus oculis nostris. *& brachium Domini super quem revelatum est*, quemadmodum revelatum est, super hunc; vel illud *super quem* intelligendum est per contemptum, super quem revelatum est, ut revelatum est super hunc? quasi dicat, quis fuit, super quem revelatum sit brachium Domini?

V. 2. *Et ascendit ut ramulus*: ex illo *Ibunt ramuli ejus*, *Hos.* 14. v. 7. tanquam radix in terra arida, ex qua ascendat veluti ramulus, cui non est forma neque decor, sic fuit hic. Secundum verò mentem meam sensus est, nunc ascendit hic ab exilio coram Deo, & ascendit ab exilio per miraculum, veluti si ascendat ramulus e terra arida, vel si reperiatur radix arboris, vel herba germinans in terra siccitatis, quod quidem est miraculum, ita miraculum fuit ascensus eorum ab exilio; significatus verò duplicatus est cum vocabulis diversis. *non forma ei*, quum adhuc esset in exilio, non fuit ei neque forma, neque decor, scilicet ornamentum pulchrum. *& vidimus eum, & non aspectus*, & vidimus eum, & non erat aspectus ejus pulcher, sed turpis, ac diversus a caeteris hominibus. *& (non) desideravimus eum*, & non desideravimus eum, sed abominati sumus eum: particula negativa semel adhibita intelligitur repetita.

V. 3. *Despectus*: non solùm non desideravimus eum, sed etiam fuit despectus in oculis nostris. *cessans virorum*, h. e. abjectissimus inter homines fuit, vel significatio est, cessans fuit ab hominibus, quia non sociaverunt se cum eo. *vir dolorum & notus aegritudinis*, dolores & aegritudo indicant angorem exilii. *notus* significat, quòd notus & assuetus erat, ut super ipsum transiret jugum exilii. *& quasi abscondens faciem*.

faciem ab eo, quasi abscondimus faciem ab eo, quia noluimus respicere in eum prae magnitudine fastidii, quo fastidivimus eum, neque reputavimus eum quidquam.

V. 4. *Verè languores nostros:* scribit Ezechiel propheta *Filius non portabit iniquitates patris, & pater non portabit iniquitatem filii: Ezech. 18. v. 20.* igitur eo minus vir aliquis iniquitatem viri alterius, & gens aliqua iniquitatem gentis alterius; quae quum ita sint, quid sibi vult dicens *languores nostros ipse tulit*, item *dolore affectus propter praevaricationes nostras; v. seq.* item *& in livore ejus sanatum est nobis, v. eod.*? nonne simile huic est id, quòd dixit Jeremias in libro Lamentationum *Patres nostri peccaverunt, & non sunt, & nos iniquitates eorum portavimus. Thr. 5. v. 7.*? quod scilicet istud intelligendum sit juxta illud *visitans iniquitatem patrum super filios, Exod. 20. v. 5.* nimirum quando tenent filii opus patrum suorum in manibus suis, ut ait ibidem *odientibus me*, quo casu filius fert poenas iniquitatum suarum, & poenas iniquitatum patris. Id, quod dicit Jeremias, est more lamentantium, quorum verba propter moerorem non sunt cum judicio & ponderatione, id autem, quod dicent gentes *Verè languores nostros ipse tulit*, & similia huic, sunt verba ipsarummet (i. e. gratis dicta) non quòd Israelitae portaverint iniquitatem gentium, sed ipsae arbitrabuntur hoc juxta suam opinionem, quando videbunt in tempore salutis fidem, quam tenuerint Israelitae, esse veritatem, fidem verò, quam tenuerint ipsae, esse mendacium, & dicent *tantùm mendacium possederunt patres nostri, vanitatem &c. Jer. 16. v. 19.* Dicent igitur juxta suam opinionem, quum haec ita se habeant, quid fuit moeror, quem portaverunt Israelitae in exilio, quandoquidem non fuit ob ipsorum iniquitatem, siquidem tenuerunt fidem rectam, nos verò, quibus erat pax, & tranquillitas, & requies, & fiducia, tenebamus fidem mendacem? quae quum ita se habeant, languor & dolor, qui venire debebat super nos, venit super ipsos, & ipsi fuerunt redemptionis pretium & expiatio nobis, nos autem reputavimus eum, dum erat in exilio, plagatum & percussum a Deo, & afflictum a manu Dei propter iniquitatem ejus, & ecce videmus non evenisse id propter iniquitatem ejus, sed ob iniquitates nostras, idque est, quod ait:

V. 5. *Et ipse dolore affectus:* מחולל Verbum ex quadratis ex significatione illius *dolor ut parturientis Jer. 6. v. 14. & 22. v. 23. & 50. v. 43.* & ex ejusdem radice. *& attritus*, ex illo *attrivit in terram vitam meam: Ps. 143. v. 3. castigatio perfectionum nostrarum super eum*, dicit *perfectionum nostrarum* pro *omnium nostrum*, veluti *facta est migrare perfectionum, Jer. 13. v. 19.* pro *migratione perfectionum*, h. e. migratione perfecta, sive universali: castigationes, quas aequm erat venire super nos, omnes venerunt super eum. *& in livore ejus* ex illo *livorem pro livore. Exod. 21. v. 25.* nisi quòd istud est daghesciatum, hoc autem leve: livor & plaga sunt metapho-

ra

ra moeroris exilii. *sanatum est nobis*, juxta illud *quia ego Dominus sanans te*. *Exod.* 15. *v.* 26.

V. 6. *Omnes nos sicut ovis erravimus*: h. e. sicut ovis, absque pastore, idcirco ait כַּצֹּאן cum Patach sub Caph ad demonstrationem, quòd ovis illa errat, cui non est pastor. *unusquisque ad viam suam respeximus*, quisque populus ad Deos suos; nunc autem videmus, quòd erravimus omnes nos, quodque cum Israele est veritas. *incurrere fecit*, iniquitas est in currens in illos, Deus autem est faciens incurrere, quia immittit in eos malum; iniquitas verò hic significat mulctam iniquitatis, veluti *quia non est perfecta iniquitas Emorraei huc usque*. *Genes.* 15. *v.* 16.

V. 7. *Oppressus est & ipse afflictus*: oppressus est exactionibus pecuniae, veluti *exegit argentum*, 2. *Reg.* 23. *v.* 35. *non exiget a proximo suo*, *Deut.* 15. *v.* 2. *afflictus*, in corpore, affligunt enim corpus ejus verberibus, & cum toto hoc non aperuit os suum, h. e. non fuit ei facultas clamandi, & murmurandi contra id, quod faciebamus ei, sed erat sicut agnus, quem ducant ad jugulandum, qui non aperit os suum, neque clamat; vel sicut ovis, quae obmutescit coram tondentibus eam. Similitudo agni est ad significandam afflictionem corporis, & mortem ejus; similitudo verò ovis ad denotandam oppressionem in opibus, quae assimilantur tonsioni velleris. Assimilat autem eum ovi, & non agno, ob majorem debilitatem, quia in omnibus speciebus foemina debilior est masculo, sic Israelitae in exilio debiles sunt valde. נֶאֱלָמָה habet accentum in ultima, & est Niphal praeteritum. *& non aperiet os suum*, neque propter corpus, neque propter substantias.

V. 8. *De occlusione*: de clausura exilii, ubi fuit clausus, & de judicio captivitatis, quod faciebant in eum judices, sublatus & redemptus est ab omnibus hisce. *& generationem ejus quis loquetur*, quis dicebat vel opinabatur futuram generationem ejus usque adeo in magnitudine? & hoc eodem sensu *Quis loquutus fuisset ad Abrahamum*: *Genes.* 21. *v.* 7. ישוחח habet significationem loquutionis, veluti *de opere manuum tuarum loquar*. *Psal.* 143. *v.* 5. quae sunt ex conjugatione quadrata, ex Quiescentibus Ain. *nam abscissus est de terra viventium*, postquam migravit de terra sua, quae appellatur terra viventium, veluti *ambulabo coram Domino in terris viventium*. *Psal.* 116. *v.* 9. Potest etiam intelligi, quòd in exilio reputetur verè quasi abscissus de terra viventium; quomodo igitur cogitare potuissemus futuram ei magnitudinem talem? *propter praevaricationem populi mei*, unusquisque populus ita dicet, quòd propter praevaricationem suam venit eis plaga, non ex praevaricatione ipsorum.

V. 9. *Et dedit*: occidebant eum in exilio, quemadmodum occidunt impios ob eorum impietatem, quamvis non fecisset injuriam, neque loquutus fuisset dolum in ore suo, & occidebant eum; perinde ac si

Ccc perpe-

perpetrasset malum, & numerabant eum cum impiis. *Et dedit* significat, quòd tradebat se ipsum in mortem, nam illi dimisissent eum, si abnegasset legem suam, & transisset ad legem eorum; verùm tradebat se potius in mortem, ne abnegaret legem suam, & ita dixit *Quoniam propter te occisi sumus quotidie: Psal.* 44. *v.* 23. *& cum divite in mortibus suis*, sensus est, quòd etiam divitem occidebant propter divitias ejus; ne iste quidem occidebatur ob aliquam suam impietatem, sed propter divitias suas. Dicit autem *in mortibus suis* in numero plurali, quia pluribus mortibus afficiebant eum, quidam enim ex illis cremabantur, quidem occidebantur, alii lapidabantur, in summa tradebant se ipsos ob unitatem Dei.

V. 10. *Et Dominus voluit atterere eum, aegrotare fecit*: nos non videmus aliam rationem in doloribus & in angustiis ejus in exilio, nisi quòd ita voluit Deus, siquidem tenebat legem ejus, quae est lex veritatis, & tradebat se ipsum propter eam; quae quum ita sint, nos non videmus in doloribus ejus rationem, sed aut captus fuit propter iniquitates suas, aut voluit Deus sic atterere eum, & facere eum aegrotare, & voluntatem Dei nescimus. החלי deest Aleph, scilicet tertia radicalis Verbi, & legitur ut habentia Aleph, quamvis utplurimum radix habeat He. *si ponet delictum anima ejus*, tantùm hoc videmus, quòd retributio bona est ei pro malo, quod portavit, & si posuit anima ejus seipsam in loco delicti, ut ait *cum impiis v.* 9. nunc sanè videbit semen multum, ut ait Zacharias propheta de illis *& multiplicabuntur, sicut multiplicati fuerunt. Zach.* 10. *v.* 8. & paulo post *& ad terram Gilad & Lebanon adducam eos, & non sufficiet eis. v.* 10. item ait Ezechiel *multiplicabo eos sicut pecus hominis. Ezech.* 36. *v.* 37. *prolongabit dies*, ut habetur in Libro hoc *secundum dies arboris dies populi mei, cap.* 65. *v.* 22. pariter ait Zacharias propheta *& viro erit baculus ejus in manu sua prae multitudine dierum. Zach.* 8. *v.* 4. *& voluntas Domini in manu ejus prosperabitur*, hinc est, quòd in exilio voluit Dominus atterere eum, sed in retributionem ejusdem prosperabitur in manu ejus voluntas Domini, quia multiplicabit eum, & benefaciet ei magnopere. Hucusque sunt verba gentium, hinc & ulterius sunt verba Dei.

V. 11. *Ex labore animae suae*: pro labore animae suae, quem tulit in exilio, erit ei retributio, quia videbit, saturabitur, nimirum videbit bonum, quo saturabitur. *in scientia sua justificabit justus servus meus multos*, servus meus est Israel, uti diximus in principio parasciae, & *in scientia sua* intelligendum, ut scriptum est *quia repleta est terra scientia Domini, cap.* 11. *v.* 9. & alibi scriptum est *quia omnes illi cognoscent me Jer.* 31. *v.* 34. Servus igitur meus Israel, qui fuit justus, & cognoscens Dominum, justificabit in scientia sua gentes multas, ut scriptum est *Et ibunt populi multi, & dicent, venite, & ascendamus ad montem Domini ad domum Dei Jaacobi, & docebit nos vias suas &c. cap.* 2. *v.* 3. *& iniquitates eorum ipse portabit*, ipse in justi-

justitia sua portabit iniquitates gentium, quia per justitiam ejus erit pax & bonum in Mundo etiam gentibus.

V. 12. *Ideo dabo partem ei in multis*: multi & fortes sunt Gogus & Magogus, & populi, qui venient cum eo ad Jerosolymam, ut ait Zacharias propheta *& colligentur opes omnium gentium in circuitu, aurum & argentum, & vestes in multitudine magna. Zach.* 14. *v.* 14. idque erit ei pro eo, quòd effudit in mortem animam suam, nimirum pro eo, quòd tradidit se ipsum in mortem in manu gentium in exilio, erit ei universa gloria haec, eruntque earum divitiae pro divitiis suis, quas abstulerunt ab ipso, & earum anima pro anima ipsius, morietur enim ibi universus exercitus Gogi & Magogi, ut scriptum est. הערה effudit animam suam in mortem, veluti *& effudit hydriam suam, Genes.* 24. *v.* 20. nimirum significat effusionem, sed conjugatio diversa est. *& cum praevaricatoribus numeratus est*, id intelligendum, ut supra explicavimus illud *Et dedit cum impiis sepulturam suam, v.* 9. *& ipse peccatum multorum*, rectè intelligitur de exilio, & peccatum multorum est, quod peccaverunt in eum gentes, quarum ipse tulit & portavit angorem, & est juxta illud *peccatum populi tui, Exod.* 5. *v.* 16. *& pro praevaricatoribus deprecabitur*, tamen precabatur pro praevaricatoribus, qui praevaricabantur in ipsum, & postulabat a Domino, ut benediceret eorum terris, ut ait *Et quaerite pacem Civitatis, ad quam migrare feci vos; &c. Jer.* 29. *v.* 7. & huic similia ex eadem conjugatione Hiphil. Pariter in significatione deprecationis & petitionis sunt ista *deprecati sunt regem, Jer.* 36. *v.* 25. *& admiratus est, quòd non esset, qui deprecaretur: Jes.* 59. *v.* 16. Potest etiam explicari de tempore redemptionis, & sensus erit, ut explicavimus illud *& iniquitates eorum ipse portabit v.* 11. Magistri verò nostri interpretati sunt de Mose Magistro nostro, super quem sit pax, & dixerunt „ *pro eo quod effudit in mortem animam suam*, quia tradidit „ se ipsum morti, dictum enim est *& si non, dele me nunc de libro* „ *tuo, quem scripsisti. Exod.* 32. *v.* 32. *& cum praevaricatoribus* „ *numeratus est*, quia numeratus fuit cum mortuis in deserto. *& ipse* „ *peccatum multorum tulit*, quia expiavit opus vituli. *& pro praevaricatoribus deprecabitur*, quia postulavit misericordias pro praevari„ catoribus Israelis „ (*a*)

(*a*) Praeter ineptam & ridiculam hujus Capitis expositionem, quod Christum patientem non minus luculenter, quàm Evangelium ipsum, nobis reprehesentat, alia ejusdem ponderis argumenta contra Fidem nostram profert Interpres Hebraeus, quae Sacrae Inquisitionis jussu deleta sunt; sed qui ea plenius videre cupit, adeat tractatum *Nizzachòn* apud Wagenseillum in Libro, cui titulus *Tela ignea Satanae*.

JESAIAE CAP. LIV.

1. JUbila sterilis, *quae* non peperit: fragorem ede cantu, & hinni *laetam ede vocem*, *quae* non doluit,
quia plures erunt filii desolatae, quàm filii maritatae, ait
Dominus. 2. Dilata locum tentorii tui, & cortinas ta-
bernaculorum tuorum extendant, ne prohibeas: prolon-
ga funiculos tuos, & clavos tuos consolida. 3. Nam *ad*
dexteram & sinistram rumpes: & semen tuum gentes hae-
reditabit, & civitates desolatas habitare facient. 4. Ne
timeas, quia pudore non afficieris, & ne erubescas *ne ti-
meas ignominiam*, quia non eris ignominiâ confusa: nam
pudoris adolescentiarum tuarum oblivisceris, & opprobrii
ignominiae viduitatum tuarum non recordaberis amplius.
5. Etenim dominatores tui *dominator tuus*, factores tui
factor tuus, Dominus exercituum nomen ejus: & redem-
ptor tuus Sanctus Israelis, Deus universae terrae vocabi-
tur. 6. Quia sicut mulierem derelictam & moerentem spi-
ritu vocavit te Dominus: & uxor adolescentiarum num-
quid sperneris? ait Deus tuus. 7. In momento parvo de-
reliqui te: & in miserationibus magnis congregabo te. 8.
In modico irae abscondi faciem meam *in* momento a te,
& in misericordia saeculi misertus sum tui: ait redemptor
tuus Dominus. 9. Nam aquae Noachi *Juxta dies Noachi*
hoc mihi, qui juravi non transituras aquas Noachi amplius
super terram: sic juravi me non iraturum contra te, ne-
que increpaturum te. 10 Etenim montes movebuntur, &
colles nutabunt: misericordia verò mea a te non recedet,
& foedus pacis meae non vacillabit, ait miserator tuus
Dominus. 11. Paupercula procellis agitata, non affecta
consolatione: ecce ego cubare faciam in carbunculo *ru-
bino* lapides tuos, & fundabo te in sapphiris. 12. Et po-
nam

nam pyropum fenestras tuas: & portas tuas in lapides carbunculi: & omnem terminum tuum in lapides delectationis. 13. Et universi filii tui *erunt* docti Domini: & multiplicabitur pax filiorum tuorum. 14. In justitia stabilieris: procul esto *eris* ab oppressione, quia non timebis, & a contritione, quia non appropinquabit tibi. 15. En congregando congregabit se non ex me: quicumque congregaverit se contra te, super te cadet. 16. Ecce ego creavi fabrum sufflantem in ignem prunae, & proferentem vas in opus suum: & ego creavi corrumpentem ad corrumpendum. 17. Omne instrumentum, *quod* formabitur contra te, non prosperabitur, & omnem linguam, quae insurget tecum *contra te* in judicio, condemnabis: haec est haereditas servorum Domini, & justitia eorum a me, ait Dominus.

COMMENTARIUS.

V. 1. *Jubila sterilis*: id intelligendum juxta Targum *Lauda Jerusalem, quae fuisti ut mulier sterilis, quae non peperit*, & ita לא חלה *quae fuisti ut mulier, quae non concepit*, nam praegnans dolet prope partum, veluti *dolor ut parturientis Jer. 6. v. 14. & 22. v. 23. & 50. v. 43. filii desolatae*, quamvis fuerit Jerosolyma per dies multos desolata, plures tamen erunt filii ejus, quàm filii maritatae; hae verò sunt nationes Mundi, quae habentur ut mulier maritata, quae habitet cum viro & filiis suis. Contrarium verò huic est vidua & orbita, quae est desolata; per hanc verò intelligitur Jerosolyma, quae est ut vidua. Dicit autem ut vidua, & non vidua simpliciter, quia vir ejus vivit & subsistit: Jonatan vertit *quoniam plures futuri sunt filii Jerosolymae desertae, quàm filii Romae valde habitatae*, ubi ideo commemorat Romam, quia est regnum quartum; regnum enim Ismaelis licèt sit admodum potens, Imperium tamen Romanorum praevalet ei.

V. 2. *Dilata*: ob multitudinem filiorum, qui venient tibi, *locum tentori tui*, intelligit Jerosolymam. *& cortinas tabernaculorum tuarum*, intelligit caeteras urbes Israelis. *extendant*, scilicet extendentes cortinas, & trahant eas in longum ad dilatandum tentorium & tabernacula, ut ait Zacharias propheta *Onus verbi Dei in terra Chadrac, & Damasci requiei ejus: Zach. 9. v. 1.* & paulò post *Et etiam*

Cha-

Chamat terminabit in ea Tzor & Tzidon, *cap.* 9. *v.* 2. & alibi *& exaltabitur*, *& habitabitur ſub ſe*, *cap.* 14. *v.* 10. pariter dixit Jeremias propheta *Ecce dies venient*, *ait Dominus*, *& aedificabitur Civitas Domino a turre Channael uſque ad portam anguli. Et exibit ultra filum menſurae &c. Jer.* 31. *v.* 38. *&* 39.

V. 3. *Nam dexteram & ſiniſtram rumpes*: juxta illud *& rumpes* (i. e. multiplicaberis) *ad Occidentem*, *& ad Orientem*, *Geneſ.* 28. *v.* 14. hìc intelligit Meridiem & Aquilonem. *& ſemen tuum gentes haereditabit*, hìc complectitur Orientem & Occidentem. *& civitates deſolatas*, tam de terra Iſraelis, quam de ceteris terris, Iſraelitae habitare facient eas.

V. 4. *Ne timeas*: ne paveas, quia erit exitus tuus de exilio hoc, ut exitus de caeteris exiliis, ſiquidem acciderunt tibi in terra tua anguſtiae multae & calamitates tempore prioris & alterius Domus. *quia pudore non afficieris*, poſtquam exieris ab hoc exilio, non erit tibi anguſtia in perpetuum, nam ſi quis aſcendat in magnitudinem, ac poſtea obveniat ei humilitas, pudore afficitur & erubeſcit. *nam pudoris adoleſcentiarum tuarum*, calamitates, quae fuerunt tibi in terra tua, & in tractu dierum illorum priorum, vocat adoleſcentias. *& opprobrii viduitatum tuarum*, ſc. calamitatum, quae fuere tibi in migrationibus, fuiſti enim ut vidua, prae magnitudine verò felicitatis oblivìſceris omnes anguſtias priores, ut ait in fine Libri *quia oblivioni traditae ſunt anguſtiae priores*, *cap.* 65. *v.* 16. *& ne erubeſcas*, idem ac *ne timeas*, ut ait in prin. verſ. quaſi dicat, ne erubeſcas a pavore, quem paveas, poſtquam fueris in terra tua, non erit hoc, quia pudore non afficieris. לא תחפירי idem eſt ac לא תבושי, & eſt Verbum intranſitivum ex conjugatione gravi, veluti *pudore affectus eſt Libanus*, *Jeſ.* 33. *v.* 9.

V. 5. *Etenim dominatores tui:* qui fuit dominus tuus, idem eſt factor tuus, & qui fecit & ſtabilivit te, erit dominator tuus, in exilio enim dominati ſunt tibi domini alii, ut ait *dominati ſunt nobis domini praeter te*, *cap.* 26. *v.* 13. *Dominus exercituum nomen ejus*, & poteſtas eſt in manu ejus, quia ipſe eſt Dominus exercituum ſuperiorum & inferiorum. *Deus univerſae terrae vocabitur*, tunc ita vocabitur, ſicut dictum eſt *ad ſerviendum ei humero uno*. *Tzeph.* 3. *v.* 9. quia tunc omnes populi confitebuntur ei. Dicit *dominatores tui*, & *factores tui* in numero plurali ad honorificentiam & gloriam, quale eſt vocabulum *Elohìm*, & ita *Laetabitur Iſrael in factoribus ſuis: Pſal.* 149. *v.* 2.

V. 6. *Quia ſicut mulierem:* non es tu ſicut mulier, cujus mortuus ſit maritus, vir enim tuus vivit, & ſubſiſtet in aeternum, ſed es ut mulier, contra quam iratus ſit vir ejus, eamque deſeruerit per dies plures. *derelictam & moerentem ſpiritu*, ſic appellavit nomen tuum Dominus mulierem derelictam, non mulierem viduam: ſi verò dicas,

quòd

quòd te deseret in perpetuum, quia ejecit te, nonne es tu mulier adolescentiarum? istam verò non ejicit maritus ejus in perpetuum.

V. 7. *In momento*: quamvis prolongati sint dies migrationis, omnes tamen reputabuntur ut momentum parvum respectu miserationum, quae erunt magnae, postquam congregavero te. Bet in ברגע significat in diebus, quibus deserui te, qui quidem erunt momentum respectu dierum felicitatis. (*a*)

V. 8. *In modico irae*: hic versus est secundum significationem versus superioris, nisi quòd repetit eamdem rem cum vocabulis diversis ad roborandum significatum. Dictionem בשצף interpretatur Menachemus juxta argumentum, quod tractatur *in aestu irae*; dominus Pater meus, cujus memoria sit in benedictione, exponit *in modico irae*, & ita vertit Jonatan *In hora parva abstuli faciem majestatis meae in momento temporis a te*.

V. 9. *Nam aquae Noachi*: Est discrepantia in libris circa dictionem hanc כי־מי (al. כימי) in plerisque exemplaribus sunt duae voces, & interpretatur Menachemus de aquis diluvii, & conjungit cum Noacho, quia in diebus ejus venerunt, & ipse praeservatus fuit ab illis: in aliis verò exemplaribus est dictio una, sicut *juxta dies separationis menstrui tui*, *Lev.* 12. *v.* 2. & ita vertit Jonatan *secundum dies Noachi*, quocumque tamen modo, significatus unus & idem est. Ait igitur, quemadmodum aquas diluvii, quae fuerunt in diebus Noachi, eidem juravi non transituras amplius super terram, & hoc decretum non fiet irritum, sic juravi, me post exitum tuum de exilio non indignaturum contra te, neque increpaturum te. *hoc*, scilicet exilium, captivitas enim erit tibi velut aquae Noachi, quae sicuti non erunt amplius, ita non erit tibi amplius migratio; juramentum verò aquarum Noachi est, quòd bis dixerit *& non excidetur omnis caro ultra ab aquis diluvii*, *Genes.* 9. *v.* 11. *& non erit adhuc aqua ad diluvium ad disperdendum omnem carnem*. *Genes.* 9. *v.* 15. ita enim explicaverunt Magistri nostri, qui didicerunt hinc, quòd dicere bis *non non* est juramentum; & ex eo, quod bis *non non* est juramentum, induxerunt, quòd etiam dicere bis *etiam etiam* (Italicè *si si*) pariter est juramentum. Possumus etiam intelligere, quòd pactum sit juramentum, quemadmodum ait *& statuam pactum meum vobiscum*, *Genes.* 9. *v.* 11. & hujusmodi pactum sit firmitas & stabilitas rei, juramentum enim est firmitas rei. מגער בך Ain legitur cum Chateph Kametz.

V. 10. *Etenim montes movebuntur*: montes & colles sunt res firmissimae omnium in terra, tamen interdum moventur & nutant in terraemotu, sed misericordia mea & foedus meum tecum firmum erit, quia non movebitur in aeternum: licet etiam exponere montes & colles metaphoricè de regibus gentium.

V. 11.

(*a*) Scilicet dies, in quibus habui te pro derelicta, fuerunt momentum parvum.

V. 11. *Paupercula procellis agitata:* scilicet procellis exilii. *non affecta consolatione*, scilicet usque modò non affecta consolatione: Jonatan vertit *Paupercula, injuria affecta Civitas, de qua dicebant populi, Non erit ei consolatio. cubare faciam*, manere vel jacere faciam, quasi dicat, quod lapides fundamenti erunt lapides carbunculi seu rubini, qui sunt ut oculus phoenicis, nimirum margaritae, & super istis cubare faciam lapides parietis, sic *& fundavo te in sapphiris*, quod dicit Jerosolymae: Jonatan vertit *ecce ego sternam in stibio lapides pavimenti tui*. Sapphirum sentit Gaon Rab. Saadias esse lapidem album, sapiens verò Rab. Abrahamus scribit esse rubicundum, Jonatan vertit *cum lapidibus pretiosis*; ut vertit Onkelosus illud *pavimentationis sapphiri*. *Exod.* 24. *v.* 10. *quasi opus lapidis pretiosi*.

V. 12. *Et ponam pyropum:* Targum Jerosolymitanum *Exod.* 28. *v.* 18. voces illas נפך ספיר reddit כרכדינא וספירנא, verùm נופך est margarita subobscura; שמשותיך significat fenestras, quia per illas ingreditur sol: fortasse anguli, scilicet aatae fenestrarum, erunt lapis pyropus, vel aer fenestrarum aedificabitur cum pyropo, quemadmodum faciunt illum cum vitro picto variis speciebus colorum, quos quando radius solis percutit, res pulchra visu apparet intus. לאבני אקדח Lamed significat substantiam seu proprietatem, vel stat pro Articulo, ut Lamed in isto *omnia vasa ejus facies ex aere*. *Exod.* 27. *v.* 3. *interfecerunt Abner*, 2. *Sam.* 3. *v.* 30. *& tertius Absalom*, 2. *Sam.* 3. *v.* 3. *carbunculi*, lapis splendens ut ignis, & ita *in medio lapidum ignis ambulasti*. *Ezech.* 28. *v.* 14. & ideo appellatur אקדח ex illo *accendentes ignem Jes.* 50. *v.* 11. & ita vertit Jonatan *in lapides prunae*; ut Chaldaicè vertitur vox גחלת, i. e. גומרא. *lapides delectationis*, i. e. lapides, in quibus est oblectamentum: dum ait *& omnem terminum tuum*, vult denotare non Jerosolymam tantùm, sed etiam urbes confinis ejus: Rectè quoque possumus exponere Lamed in לאבני אקדח, & לאבני חפץ tanquàm literas serviles, quasi dicat, lapides illos, qui erant in eis ab initio, convertam in lapides pretiosos & margaritas, veluti Lamed in illo *& ponam* (convertam) *eam in silvam*, *Hos.* 2. *v.* 12. & similia hisce. Fortasse res hae erunt juxta litteralem sensum, vel per similitudinem ob nimiam magnitudinem Israelitarum, & affluentiam felicitatis & bonorum, adeo ut, si velint, facere poterunt aedificia sua cum lapidibus pretiosis & margaritis.

V. 13. *Et universi filii tui docti Domini:* לימודי est Toar, ut explicavimus illud *ad audiendum istar doctorum*. *cap.* 50. *v.* 4. idque intelligendum est juxta illud, quod dixit Jeremias propheta *Et non docebunt ultrà unusquisque amicum suum, & unusquisque fratrem suum dicendo, cognoscite Dominum; nam omnes ipsi cognoscent me a minimo eorum & usque ad maximum eorum*, *Jer.* 31. *v.* 34. *& multiplicabitur pax filiorum tuorum*, vid. *multa erit*, quia רב est Verbum praeteritum

tum ex praeditis duplicatione conversum in futurum propter Vau.

V. 14. *In justitia*: per justitiam, quam facies, eris fundata & stabilis in magnitudine in perpetuum, & eris remota ob oppressione hominum, *quia non timebis*, etiam pavor & timor non erit tibi ab illis, & eris remota a contritione, quae non appropinquabit ad te: duplicata est significatio cum vocabulis diversis, *procul esto*, pro *procul eris*, sic *& morere in monte*, *Deut.* 32. *v.* 50. pro *& morieris*, item *& pone in petra nidum tuum*. *Num.* 24. *v.* 21. pro *& pones*.

V. 15. *En congregando congregabit se*: Verbum גור juxta Targum hìc significat congregationem, veluti *congregati sunt adversus me fortes*: *Ps.* 59. *v.* 4. & secundum simplicem ejus sensum ita explicacabitur, ecce congregabuntur contra te populi. *non ex me*, non ex praecepto meo, quemadmodum congregati sunt contra te aliàs ex praecepto meo, ut Sancheribus, & Nebucadnetzar, sed istae gentes, quae congregabuntur contra te, scilicet Gogus & Magogus, non ex praecepto meo facient hoc, ideoque non est congregatio ista ex me; & quamvis dictum sit in prophetia Ezechielis *& ascendere faciam te e lateribus Aquilonis*, *& venire faciam te super montes Israelis*. *Ez.* 39. *v.* 2. pariterque *ascendent verba super cor tuum*, *Ezech.* 38. *v.* 10. istud tamen idem est, quod ait hìc Jesaias, quia Deus posuit in corde ejus, ut veniret illuc non in malum Israelitarum, sed in bonum eorum, ut sumeret ultionem Israelitarum ex eo, & ex gentibus aliis, quae mala intulerunt Israeli. Et sanè in terra Israelis capiet vindictam suam ex illis ad gloriam nominis sui, & ad gloriam Israelitarum, & ad eorum decus, erit enim illorum praeda & spolium Israeli; idque sibi vult *non ex me*, non ascendent ex me ad inferenda mala tibi, quemadmodum opinabuntur. *quicumque congregaverit se contra te*, *super te cadet*, quicumque congregaverit se contra te ad pugnandum, super te cadet, scilicet ut dictum est *super montes Israelis cades*, *Ezech.* 39. *v.* 4.

V. 16. *Ecce*: scriptum est הן, sed legitur הנה, significatio verò eadem est. Ait, quamvis instrumenta bellica sint opus hominum, & venturus sit Gogus & Magogus, gentesque sociae cum multis instrumentis bellicis, illos ipsos, qui faciunt instrumenta bellica, ego feci, & quum fecerim factores, ideoque in manu mea sit eos perdere, multò magis opera; & si ipsi venerint cum instrumentis bellicis, ego creavi corrumpentem ad corrumpendum eos & ipsorum instrumenta, ut ait *Et percutiam arcum tuum de manu sinistra tua*, *& sagittas tuas de manu dextera tua cadere faciam*. *Ezec.* 39. *v.* 3. *in ignem prunae*, quia in pruna operantur fabri ferrarii: Jonatan interpretatur cum transpositione Bet servilis, vertit enim *instantem ignem cum prunis*. *& proferentem instrumentum in opus suum*, quia vult facere sagittam, aut gladium, vel lanceam, vel spiculum.

V. 17. *Omne instrumentum*, *quod formabitur*: i. e. quod fiet; ut

explicavimus illud *& cum malleis formabit illud* : *cap.* 44. *v.* 12. radix ejus est יצר, & יוצר est ex Conjugatione Pual. *non prosperabitur*, non proderit dominis suis, neque nocebit tibi. *& omnem linguam*, si erit tibi judicium cum gente aliqua, facies eam declarare injustam in judicio, & exibit rea, & erit ejus ratio inanis, tu verò exibis de judicio innocens, quasi dicat, non nocebunt tibi neque in operibus neque in verbis, & ista benedictio est haereditas servorum Domini, quasi dicat, haereditas illa erit eis in saeculum, & Israelitae erunt servi Domini a die redemptionis usque in saeculum.

JESAIAE CAP. LV.

1. O Omnis sitiens venite ad aquas, & is, cui non est
argentum: venite emite & comedite, & venite
emite absque argento & absque pretio vinum & lac. 2.
Quare appenditis argentum in non pane, & laborem ves-
trum in non satietate? audite audiendo ad me, & co-
medite bonum, & delectabitur in pinguedine anima ves-
tra. 3. Inclinate aures vestras, & venite ad me, audite,
& vivet anima vestra: & feriam vobis *vobiscum* foedus
saeculi, misericordiae Davidis fideles. 4. Ecce testem na-
tionibus dedi eum: ducem & praecipientem nationibus.
5. Ecce gentem, *quam* non scies, vocabis, & gens, *quae*
non cognoverunt te, ad te current: propter Dominum
Deum tuum & Sanctum Israelis, quia glorificavit te. 6.
Quaerite Dominum, dum invenitur: invocate eum, dum
est propinquus. 7. Relinquat impius viam suam, & vir
iniquitatis cogitationes suas: & revertatur ad Dominum,
& miserebitur ejus, & ad Deum nostrum, quia multipli-
cabit ad parcendum. 8. Etenim non cogitationes meae
cogitationes vestrae, neque viae vestrae viae meae: ait
Dominus. 9. Nam *quantò* excelsiores sunt Coeli prae
terra, tantò sublimiores sunt viae meae prae viis vestris,
& cogitationes meae prae cogitationibus vestris. 10. Que-
madmodum enim descendit pluvia & nix de Coelis, &
illuc

illuc non revertitur, sed irrigat terram, & parere facit
eam, & germinare facit eam: & dabit semen serenti, &
panem comedenti. 11. Sic erit verbum meum, quod e-
gredietur de ore meo, non revertetur ad me vacuum:
sed faciet, quod volui, & prosperabitur *in iis*, quorum
causa misi illud. 12. Nam in laetitia egrediemini, & in
pace deducemini: montes & colles vocem edent coram
vobis *in* jubilatione, & omnes arbores agri percutient
volam. 13. Pro carduo *virgulto* ascendet abies, pro pa-
liuro ascendet myrtus: & erit Domino in nomen, in si-
gnum saeculi, *quod* non excidetur.

COMMENTARIUS.

V. 1. O *Omnis sitiens:* הוי est dictio vocationis, veluti *O Tzion erue te, Zach.* 2. *v.* 27. Post bellum Gogi & Magogi cognoscent nationes Deum esse regem super omnibus, nullumque alium esse praeter ipsum, & tunc venient ad Jerosolymam ad discendum judicia Dei, & leges ejus, ut ait in principio Libri *venite, & ascendamus ad Montem Domini .... & docebit nos vias suas, cap.* 2. *v.* 3. sensus verborum est, perinde ac si vocet eas, ut veniant ad discendum: aquae verò sunt parabola legis & sapientiae, sicut enim possibile non est, quòd subsistat Mundus sine aquis, ita non est possibile, quòd idem subsistat absque sapientia, & ut sitiens desiderat aquam, sic anima sapiens desiderat legem & sapientiam, ut dictum est in prophetia Amosi *non famem panis, neque sitim aquae, sed audiendi verba Domini, Amos.* 8. *v.* 11. *& is, cui non est argentum*, iste non sit sollicitus, quia opus non erit argento, gratis enim dabuntur ei vinum & lac. Assimilatur lex vino, quia vinum laetificat cor, ut dictum est *Et vinum laetificabit cor hominis, Ps.* 104. *v.* 15. sic etiam verba legis, ut dictum est *Praecepta Domini recta, laetificantia cor: Ps.* 19. *v.* 9. *& lac*, sicut lac est subsistentia lactentis, ejusque nutritio, sic verba legis sunt subsistentia animae ejusque nutritio, quia ambulat & crescit in doctrina ejus pro modo gradus sui; utitur autem verbo comestionis de vino & lacte, quia sunt cibus & potus corpori.

V. 2. *Quare appenditis argentum*: sapiens Rab. Abrahamus interpretatur de iis, qui fatigant se ipsos in sapientiis alienis, quae non prosunt, quae expositio perpulchra est, idque est *in non satietate*, neque vocari possunt nomine panis, quia non prosunt corpori neque animae. *& comedite bonum*, haec est lex, dictum enim est *Quia doctrinam bonam dedi vobis: legem meam ne derelinquatis. Prov.* 4 *v.* 2. *& de-*

lætabitur in pinguedine anima vestra, scilicet in saeculo futuro, veluti *& vivet anima vestra: v. seq.* sicut enim crassitudo & pinguedo sunt oblectatio corporis, ita lex & sapientia sunt oblectatio animae ejusque vita.

V. 3. *Inclinate aures vestras .... misericordiae Davidis fideles:* hic est Messias, qui appellatur nomine Davidis, ut dictum fuit de eo *& David servus meus Princeps vobis in saeculum. Ezech. 37. v. 25. fideles*, stabiles, veluti *in loco fideli, Jes. 22. v. 23.* quasi dicat, ut misericordiae meae cum Davide stabiles erunt, sic erit foedus meum vobiscum stabile. Praeterea facit mentionem Davidis, quia ipse docebit populos, ut ait in principio Libri *Et judicabit inter gentes, & arguet populos multos : cap. 2. v. 4.*

V. 4. *Ecce testem:* scilicet monentem, & testificantem in vos, veluti *Contestari feci in vos bodie Deut. 4. v. 26. contestando contestatus est in nos vir ille dicendo : Genes. 43. v. 2. & contestatio facta fuerit domino ejus, Exod. 21. v. 29.* & quamvis haec, & similia his significent protestationem, tamen habent etiam ista significationem contestationis, quia protestans protestatur coram testibus, ne eam neget is, in quem facta est protestatio; & ita dixit *concestari feci in vos hodie Coelos & terram, Deut. 4. v. 26.* quasi dixisset, coram illis ego protestor in vos, ut sint testes inter me & inter vos. De Messia dicit, quòd admonebit populos, & arguet eos: Jonatan vertit *Ecce princeps*. לאומים habet Vau unà cum Daghesc. *ducem & praecipientem*, ומצוה habet Tzere citra regulam; ait, quòd erit princeps super eos, & praecipiet eis, ut dominus praecipit servis suis.

V. 5. *Ecce gentem*: ait veluti coram Israele, gentem, quam non cognosces, eo quòd distet a terra Israelis, vocabis, & veniet ad conspectum tuum, quamvis tu non cognoscas eos, & illi non cognoscant te usque ad diem, quo audient mirabilia, quae fecerit Deus tecum, tunc timebunt a te, currentque ad servitium tuum in eo, quod praecipies ipsis; ecquis dedit tibi hujusmodi gloriam? Dominus Deus tuus.

V. 6. *Quaerite Dominum:* dicit filiis exilii, quaerite Dominum, dum invenitur. Recta est hujus loci expositio, quam exhibet dominus Pater meus, cujus memoria sit in benedictione „ Quaerite eum ea „ ratione, ut inveniatur vobis, בהיותו קרוב, ea ratione, ut sit „ propinquus, hujusmodi verò quaesitio est, quae fit in toto corde, „ ut scriptum est *Propinquus est Dominus omnibus invocantibus eum: „ omnibus, qui invocaverint eum in veritate. Psal. 145. v. 18.* „ Magistri nostri, quorum memoria sit in benedictione, exposuerunt בהמצאו „ ante absolutionem judicii „ Jonatan vertit *Quaerite timorem Domini, dum vos estis vivi: quaerite a facie ejus, dum permanetis*, vult dicere, ut agant poenitentiam ante mortem, quia tunc est reperibilis & propinquus, & non post mortem, quia post mortem nulla est

la est conversio animae, ut ait *quia non est opus & cogitatio & scientia & sapientia in sepulcbro, quo tu vadis. Eccl. 9. v. 10.*

V. 7. *Relinquat impius viam suam:* cum opere & cum ore, itemque relinquat cogitationes suas pravas, quia non prodest poenitentia in patenti, nisi sit etiam in abscondito, quia bonitates hominis ejusque pravitates pendent a manu, ore, & corde, & hisce tribus opus habet poenitentia. *quia multiplicabit ad parcendum*, quamvis homo multiplicaverit malefacere.

V. 8. *Etenim non*: si quis peccet in proximum suum, hic ulciscitur de eo, & non parcit ei; & quamvis parcat ei apparenter, in corde tamen suo servat ei ultionem. Via verò dicitur de re patenti, ut explicavimus, & cogitatio de re latenti. Ego igitur multiplico ad parcendum. non ut vos, & quando ego ignosco, verè non superest apud me ex iniquitate vestra quidquam.

V. 9. *Nam excelsiores sunt*: ut ait David *Quoniam juxta altitudinem Coeli super terram roborata est misericordia ejus super timentes eum. Psal. 103. v. 11.* Haec est misericordia magna, quòd quando convertuntur ad timendum a Deo, parcit & benefacit eis. Vos quoque in exilio, si malefecistis, & idcirco protraho vobis exilium vestrum, convertimini ad me, & quaerite me, & invenietis me propinquum vobis, etenim non movebitur verbum meum bonum, quo feci vos sperare. Assimilat hanc rem pluviae descendenti e Coelo, & ait:

V. 10. *Quemadmodum enim descendit pluvia .... & illuc non revertitur:* quia non cadit pluvia in vanum, quin operetur opus, neque revertitur sibi; hoc non fit, at quid agit? irrigat terram. *& dabit semen serenti*, pluvia est dans, veluti *& dabit terra productionem suam, Lev. 26. v. 4.* de productione verò terrae reponit homo primùm id, quo opus habebit ad serendum sibi in anno venienti, reliquo utitur ad cibum suum. Simplex hujus versiculi sensus videtur esse, quòd postquam irrigavit, revertitur pluvia ad Coelum (a). Exponit dominus Pater meus f. m. quòd reversio imbris fit ex calore solis, qui haurit eum, quod nisi fieret, terra non indigeret imbribus. Rectè etiam explicabimus dicendo, quòd illuc non revertitur unquam, sed operatur finem missionis suae, & irrigat terram.

V. 11. *Sic erit verbum meum:* verbum, quo vos sperare feci, me educturum vos ab exilio, quodque ex ore meo dixerunt Prophetae, non revertetur ad me vacuum, sed verè operabitur id, quod voluero. *& prosperabitur*, sensus est, quòd non invenient casum unum, in quo cessaverit pars ejus, sed totum aget, quemadmodum dixi.

V. 12. *Nam in laetitia egrediemini:* scilicet de exilio. *& in pace deducemini*, scilicet in terram vestram. *montes & colles .... & omnes arbores agri*, ait metaphoricè, quòd gaudebit universus Mundus. *percutient*

(a) Ita commentatur Interpres Hebraeus, quia interpretatus est binas illas voces כי אם *nisi quum*, videl. *nisi quum irrigaverit terram*, mihi verò placuit reddere *sed*, ut in *Ps.* 1. *v.* 2. & ut ipse postea.

cutient volam, percutient manum in signum laetitiae, veluti *& percusserunt volam, & dixerunt, vivat Rex.* 2. *Reg.* 11. *v.* 12. nam *& percussit* Chaldaicè redditur ומחאו; vel montes & colles sunt parabola nationum Mundi.

V. 13. *Pro carduo*: species ex speciebus spinarum, ut & paliurus, quae crescunt in desertis: dicit, quòd Deus ponet pro illis in deserto abietem & myrtum, ut ait superius in parascia egenorum & pauperum *Dabo in deserto cedrum scittam, & myrtum &c. cap.* 41. *v.* 19. *& erit Domino in nomen*, quia hoc prodigium permanebit, ut explicavimus superius: Jonatan interpretatur metaphoricè *Pro impiis consurgent justi, & pro peccatoribus consurgent timentes peccatum: & erit coram Domino in nomen & signum sempiternum, quod non cessabit.*

JESAIAE CAP. LVI.

1. SIc dixit Dominus, custodite judicium, & facite justitiam: quia propè est salus mea ut veniat, & justitia mea ut reveletur. 2. Beatus vir, *qui* faciet hanc, & filius hominis, qui tenebit eam: observans sabbathum a profanando illud, & custodiens manum suam a faciendo omne malum. 3. Et ne dicat filius alienigenae, qui adjunxit se Domino, dicendo, separando separabit me Dominus a populo suo: & ne dicat eunuchus, ecce ego arbor sicca. 4. Nam sic dixit Dominus eunuchis, qui servabunt Sabbatha mea, & eligent ea, quae volui: ac tenebunt pactum meum. 5. Et dabo eis in Domo mea & in Muris meis locum & nomen bonum a filiis & a filiabus: nomen saeculi dabo ei, quod non excidetur. 6. Et filios alienigenae adhaerentes super Dominum ad ministrandum ei, & ad diligendum nomen Domini, ut sint ei in servos: omnem custodientem sabbathum a profanando illud, ac tenentes pactum meum. 7. Et ducam eos ad Montem Sanctitatis meae, & laetificabo eos in Domo orationis meae; holocausta eorum & sacrificia *victimae* eorum *erunt* in beneplacitum super Altare.

tare meo: quia Domus mea domus orationis vocabitur omnibus populis. 8. Ait Dominus Deus congregans expulsos Ifraelis: adhuc congregabo fuper eum congregatos ejus. 9. Omnis beftia agri, venite ad devorandum omnem feram in filva. 10. Speculatores ejus caeci, omnes ipfi nefciverunt, omnes ipfi canes muti, non poterunt latrare: fomnolenti *ftertentes* cubantes, amantes dormire. 11. Et canes fortes animo, non cognoverunt faturitatem, & ipfi pafcunt fe, nefciverunt intelligere: omnes ipfi ad viam fuam refpexerunt, unufquifque ad quaeftum fuum ab extremo fuo. 12. Venite, fumam vinum, & ingurgitabimus nos ficerâ: & erit ficut hic dies craftinus, magnus excellens valde.

COMMENTARIUS.

V. 1. S*Ic dixit Dominus*: dicit filiis exilii, cuftodite judicium, & facite juftitiam, quia propè eft, ut falus mea veniat, fi bonas facietis vias veftras: oftendit hic poenitentiam retardare adventum Meffiae.

V. 2. *Beatus vir, qui faciet hanc*: fcilicet obfervationem fabbathi. *tenebit eam*, hinc monetur de obfervatione per totam vitam. *a profanando illud*, ne faciat in eo quidquam operis, & ita generaliter obfervatio fabbathi eft fanctificare illud, ut ait *Recordare diem fabbathi ad fanctificandum eum*. *Exod.* 20. *v.* 8. fanctificatio verò Sabbathi eft fecernere illud a reliquis diebus, ita enim omne vocabulum fanctitatis fignificat fecernere vel feparare ab alio in dignitate, ut ait *& feparatus eft Aharon, ut fanctifaceret ipfe fanctitatem*, 1. *Par.* 23. *v.* 13. & diftinguere illud a caeteris diebus in cibo & potu & vefte pura, & id quoad corpus; quoad verò animam, ut fit anima ejus vacua ab occupationibus Mundi, & feparata ab illis, occupet fe in verbis legis & fapientiae, & meditetur opera Dei. Meminit autem fabbathi fpecialiter in loco hoc, quia loquitur ad filios exilil, ut rectas faciant vias fuas, & exibunt ab exilio; melior verò via, quam teneant, eft obfervantia fabbathi, etenim ob peccatum (profanationem) fabbathi migraverunt e terra fua, & ideo dixerunt Magiftri noftri, fel. mem. „ Non vaftata fuit Jerofolyma, nifi ob id, quia profana- „ verunt in ea fabbathum, dictum enim eft *& a fabbatis meis occul-* „ *taverunt oculos fuos, & coinquinatus fum in medio eorum. Ezech.* 22. „ *v.* 26. „ Dixerunt etiam „ Si cuftodirent Ifraelitae duo fabbatha,

„ fta-

„ statim redimerentur, dictum enim est *qui servabunt sabbatha mea &c.* „ *infr.* *v.* 4. & paulo post scriptum est *Et ducam eos ad Montem Sanctitatis meae &c.* *v.* 7. „ Dum verò commemorat praeceptum sabbathi, idem statuit de caeteris praeceptis affirmativis, sed meminit gravioris; & quamvis sit in eo praeceptum negativum, in affirmativo tamen omnia continentur, si enim quiescit, non facit opus: postea verò dicit *a faciendo omne malum*, quod est praeceptum negativum generaliter. Ait מחללו cum suffixo generis masculini, quamvis sabbathum sit generis foeminini, quia innuit diem sabbathi.

V. 3. *Et ne dicat:* quum faciat mentionem alienigenae & eunuchi ex Israelitis, alienigena dicendus erit is, cui non est haereditas seu possessio in Israele, eunuchus verò is, cui non est filius, qui sit ejus haeres; ne dicant propter hoc, se esse separatos a terra Israelis, ego promitto illis bona alia. Ita exponit dominus Pater meus, cujus memoria sit in benedictione. Sed quum inveniamus in Ezechiele, quòd proselytis erit possessio in terra Israelis, dicemus filium alienigenae, quem hic commemorat, eum esse, qui non genuit filios, posteaquam factus est proselytus, ideoque perinde esse, ac si sit eunuchus, quum non sit ei filius, Ezechiel enim loquitur de iis, qui genuerunt in Israele, postquam facti sunt proselyti, ait enim *qui genuerint filios in medio vestrum, & erunt vobis sicut indigena inter filios Israelis. Ezech* 47. *v.* 22. יבדילני cum Patach sub Lamed pro Tzere, veluti *diliget me vir meus. Genes.* 29. *v.* 32. & similia huic, quae scripsimus in Libro Miclol. Hujusmodi verò separatio ea est, quia opinabuntur, quòd alienigena ita dicturus sit, quamvis adhaeserim Domino, & factus sim proselytus, tamen quum non sit mihi filius in Israele, non ero reputatus de populo Dei tam in saeculo hoc, quàm in saeculo venturo; & ita dicet Eunuchus, quid ego in Mundo, quandoquidem non relinquam filium, ut ego sum? ecce perinde est, ac si non venerim in Mundum, neque complacuit in me Deus, & ecce ego sum ut arbor arida, quae non proferr fructum neque ramum, & Deus creavit Mundum ad fructificationem & multiplicationem, ut scriptum est *crescite & multiplicamini, Genes* 1. *v.* 22. & 28. scriptum etiam est *ad habitandum formavit eam, Jes.* 45. *v.* 18. Quum igitur non reputatus sim dignus, ut relinquam filium, & consequenter ut in morte mea excidatur nomen meum & memoria mea de Mundo, Deus non complacet in me. Super hac re dixerunt Magistri nostri f. m. „ Qui „ non relinquit filium in haeredem suum, est ut excomunicatus Deo „ non dixerunt *excomunicatus*, sed *ut excomunicatus*, quia videtur esse excomunicatus, sed reipsa talis non est, si opera ejus bona sint. Ait *ne dicat*, scilicet ne cogitet id alienigena neque eunuchus.

V. 4. *Nam sic dixit Dominus eunuchis*, praeposuit eunuchos, quia defierat in eunucho, talis enim est consuetudo Scripturae, praemittere posteriora, veluti *Et dedi Isaco Jaacobum & Esavum, & dedi Esavo* mon-

montem Seir, *Jehos.* 24. *v.* 4. *qui servabunt sabbatha mea*, interpretatur dominus Pater meus b. m. sabbathum creationis, & sabbathum terrae, namque ob iniquitatem etiam intermissionis terrae (*a*) migraverunt, ut scriptum est *pactum meum*. Et quamvis omnia comprehendantur generaliter in istis *& eligent ea*, *quae volui*, tamen facit mentionem foederis specialiter, quia praecepta, quae in foedere dantur, fortiora sunt, ut ait Moses *Ecce sanguis foederis*, *quod pepigit Dominus vobiscum super omnibus verbis his*. *Exod.* 24. *v.* 8. vel dicit *pactum meum* de circumcisione, quia etiam ipsa data fuit cum tresdecim pactis. (*b*)

V. 5. *Et* (*c*) *dabo eis in domo mea*, *& in muris meis*: juxta Targum *in domo Sanctuarii mei*, *& in terra domus Majestatis meae*, scilicet in aedibus Templi. *& in muris meis*, scilicet in medio murorum atrii, quia illic invenientur Sapientes jugiter, & commemorabunt opera Sanctorum, qui sunt in tempore ipsorum, quique transierunt. יד hic significat locum, veluti *Et locus erit tibi*, *Deut.* 23. *v.* 12. ubi pariter *jad* significat locum, verùm hic non est locus corporalis, sed intelligitur de loco dignitatis & laudis, veluti *benedicta gloria Domini de loco suo*. *Ezech.* 3. *v.* 12. & juxta significationem, quae invenitur in Verbis Magistrorum nostrorum f. m. „ Implens locum pa„ trum suorum „ & similia huic. *& nomen*, protraham enim nomen ejus in generationes venturas, ut ait *nomen saeculi dabo ei*, *quod non excidetur*. Quod autem dicit *Et dabo* intelligendum, ut ait Davidi *Et faciam tibi nomen magnum juxta nomen magnorum*, *qui sunt in terra*. 2. *Sam.* 7. *v.* 9. quamvis enim opera hominis recta & bona protrahant nomen ejus, ut reipsa fit, tamen quando est homo probus coram Deo, & opera ejus in intentione bona, Deus ponit in cordibus hominum reminiscentiam ejus in bonum, veluti ut audiant opera ejus filii ab ore patris, & haec est portio retributionis ejus bonae post mortem ejus praeter retributionem magnam, quae reservatur animae ejus. Dum dicit *ei*, postquam dixerat *eis*, vult dicere, unicuique ex eunuchis, talis enim est consuetudo Scripturae in quamplurimis locis.

V. 6. *Et filios alienigenae* ... *super Dominum* pro *ad Dominum*, veluti *& oravit ad Dominum*, 1. *Sam.* 1. *v.* 10. *omnem custodientem sabbathum*, facit mentionem specialiter sabbathi ob rationem, quam adduximus, & adhuc quia abservantia sabbathi est fundamentum magnum in fide Dei, etenim non custodit sabbathum, nisi qui confiteatur Mundum esse creatum, & esse ei Creatorem, qui creavit illum ex nihilo, nullumque alium esse praeter ipsum, ideoque non licere ministrare & servire alteri, quàm ei, & credat in sex diebus creavisse Deum Mundum, & requievisse in die septimo, ut scribit Moses Magister

(*a*) De Sabbatho, seu intermissione terrae adi *Lev. cap. XXV.*

(*b*) In Cap. XVII. Geneseos, ubi traditur praeceptum de circumcisione, terdecies occurrit vox ברית *foedus*, *pactum*.

(*c*) Copulativa *&* hic redundat.

ster noster, & praecepisse populo suo, quem elegit, ut custodiret sabbathum, ut esset illis in testimonium & memoriale, quòd ipse creavit Mundum, & propter hoc dedit eis praeceptum Sabbathi ante dationem Legis. Postquam enim ostendit eis se esse Dominum & Creatorem, conveniens erat, ut praeciperet de lege & mandatis suis more domini praecipientis servis suis; is autem, qui adhaeret Domino, credere debet Mosem ejusque Legem esse veritatem, & in hoc adhaerebit Domino, ut sit in populum unum.

V. 7. *Et ducam eos:* ut is, qui introducit viatorem in domum suam, recipitque cum laetitia; sic, ait, praecipiam Sacerdotibus, ut recipiant eos in laetitia, quando venerint, ut fiant proselyti. *& laetificabo eos in domo orationis meae*, etenim laetabuntur, dum videbunt se ipsos in atrio (quod est domus orationis) quotannis unà cum populo Israelis in oratione in holocaustis & in sacrificiis suis. *omnibus populis*, ut ait Salomon in oratione sua *Et etiam de alienigenis*, 1. *Reg.* 8. *v.* 41. quantò magis convertentibus se ad legem Israelis?

V. 8. *Ait Dominus . . . adhuc congregabo super eum congregatos ejus:* ita exponit dominus Pater meus f. m. postquam congregavero expulsos Israelis, adhuc congregabo cum eis congregatos alios super congregatos ejus; isti verò sunt Gogus & Magogus, & versus sequens indicat hanc interpretationem.

V. 9. *Omnis bestia:* ait, omnis bestia Campi, & omnis fera terrae venite ad devorandum cadavera, quae sunt in castris Gogi & Magogi, & ita dixit in prophetia Ezechielis *dic avi omnis alae, & omni bestiae agri, congregate vos, & venite, congregate vos undique ad sacrificium meum, quod ego sacrifico vobis, Ezech.* 39. *v.* 17. חיתו. Vau est additum seu paragogicum, ut Vau *filius Beoris Num.* 24. *v.* 3. & similia huic; & ita *omnem feram in silva*, quod est in forma constructa, licèt sequatur Bet servile, veluti *habitantium in tabernaculis, Jud.* 8. *v.* 11. & similia huic, quae scripsimus in Libro Miclol. אתיו Imperativum perfectum ex Quiescentibus Lamed, veluti בעיו *Jes.* 21. *v.* 12. & Aleph habet Tzere.

V. 10. *Speculatores ejus:* צפו deest Jod Characteristica numeri pluralis a scripto. Nunc in absolutione consolationis revertitur Propheta ad corripiendos Israelitas filios generationis suae, qui erant pravi, & ait *Speculatores ejus caeci*, isti sunt prophetae mendaces, qui declinare faciunt eos in viam pravam; dicit autem *nescíverunt*, & non dicit *non viderunt*, quia τὸ *caeci* significat hìc caecos mente. *canes muti*, assimilat eos canibus, quia canes custodiunt pecus, & quando sentiunt feram noxiam venientem ad oves, latrant, & fera abit; prophetae verò mendaces faciunt se ut speculatores & custodes Israelis, sed sunt tanquam canes muti, qui non possunt latrare, quique idcirco non prosunt gregi, quia venit fera, & rapit gregem juxta voluntatem suam. Vel sunt ut canes, qui amant dormire, neque expergiscuntur.

scuntur ad vocem rugitus ferae, quae venit, ac rapit, idcirco perinde est, ac si hujusmodi canes non existerent, quandoquidem non prosunt eis, immo nocent eis, quia custos pecoris confidit, quòd illi latrent, & non veniat fera ad rapiendum. Sic prophetae mendaces, qui se faciunt custodes Israelis: superveniunt nationes mundi, quae sunt veluti ferae noxiae, & corrumpunt in Israele, ideoque custodes hujusmodi non prosunt eis, immo nocent eis, quia propter vias ipsorum pravas, quas docent illos, venit inimicus super Israelem. Mos item est canum dormire jugiter, idcirco assimilavit eos canibus, quia isti speculatores amant dormire. In Midrasc „ Num est canis mutus? „ ecquid istud אלמים? qualis est natura canis istius? homo projicit „ ei frustum, & claudit os ejus: sic fuerunt judices Israelis „ הוזים juxta Targum dormientes & cubantes, alibi non reperitur. *amantes dormire*, אוהבי constructum, licèt sequatur litera servilis, veluti *surgentibus in mane*, *Jes.* 5. v. 11. *prophetis de corde suo*, *Ezech.* 13. v. 2. & similia hisce.

V. 11. *Et canes*: quòd si dicas, canibus istis non praebent escam ipsorum domini, idcirco non custodiunt pecus, respondebitur, immo edunt, sed non saturantur, quia fortes animo sunt, animus eorum cupidus est fortis & vehemens, & non saturatur. Sic speculatores isti, omnis eorum occupatio est in cibo & in potu, neque saturantur, quia sectantur desiderium; qui autem ita facit, non saturabitur unquam. שבעה est nomen substantivum, vel Makor. והמה רעים pascunt se ipsos, & non habent curam pecoris, scilicet Israelis. *nesciverunt intelligere*, nesciverunt intelligere opera sua esse vanitatem, ipsosque errare, & seducere Israelem, sed unusquisque ex eis respicit ad viam suam, ut possit prodesse sibi in cibo & in potu, & facere lucrum, neque solliciti sunt de populo. *ab estremo suo*, unusquisque in vicinia sua facit opera ista. Mirum verò est, quòd Jonatan רעים reddiderit *& ipsi malefacientes*, videtur legisse vocem istam cum Kametz sub Resc.

V. 12. *Venite*: unusquisque ex Prophetis mendacibus ait filiis populi, venite apud me, & sumam vinum vobis, ut bibamus simul. *& ingurgitabimus nos*, ex illo *epulo & ingurgitator Deut.* 21. v. 20. *dies crastinus*, cras faciemus ut hodie, vel major erit dies crastinus in convivio, quàm dies hic. יתר nomen substantivum, vel Toar. Hae sunt viae, quas docent prophetae mendaces Israelitas, eosque seducunt in cibo & potu, donec obediant ipsis in omnibus iis, quae praecipiunt illis, & removent eos a via Domini.

JESAIAE CAP. LVII.

1. JUstus periit, & non est quisquam, qui ponat super cor: & viri misericordiae congregantur sine ullo considerante, quia propter malum congregatus *ereptus* est justus. 2. Ingredietur *in* pace, requiescent in cubilibus suis: ambulabit coram eo. 3. Et vos accedite huc filii praestigiatricis: semen adulterantis, & scortata est. 4. Super quo oblectabimini, contra quem dilatabitis os, prolongabitis linguam? nonne vos nati praevaricationis, semen mendacii? 5. Incalescentes in querceris, sub omni arbore frondosa: mactantes natos in torrentibus, subter scopulis petrarum. 6. In *lapidibus* laevibus torrentis pars tua, isti sunt sors tua: etiam istis fudisti libamen, obtulisti oblationem, num super his consolationem accipiam? 7 Super montem excelsum & elevatum posuisti cubile tuum: etiam illuc ascendisti ad immolandum victimam. 8. Et post ostium & postem posuisti memoriale *odoramentum* tuum: quia a me revelasti *te*, & ascendisti, dilatasti cubile tuum, & excidisti tibi ex eis, dilexisti cubile eorum *in omni* loco, *quem* vidisti. 9. Et ivisti ad Regem cum oleo, & multiplicasti pigmenta tua: & misisti legatos tuos usque a longe, & humiliasti te usque ad sepulchrum. 10. In multitudine viae tuae laborasti, non dixisti, desperatum est: vitam manus tuae invenisti, propterea non aegrotasti. 11. Et quem formidasti ac timuisti, si mentieris? quandoquidem mei non recordata es, neque posuisti super cor tuum: nonne ego silens & a saeculo? me autem non timuisti. 12. Ego indicabo justitiam tuam: & opera tua, & non proderunt tibi. 13. Quum clamaveris, eripiant te congregationes tuae, & omnes illas tollet ventus, auferet vanitas: sperans autem in me possidebit ter-

ram,

ram, & haereditabit Montem Sanctitatis meae. 14. Et dicet, sternite sternite complanate viam: tollite offendiculum de via populi mei. 15. Quia sic dixit Excelsus, & Elevatus, Manens aeternitatis, & Sanctus nomen ejus, *in* Excelso & Sancto habito: & *tamen* cum contrito & humili spiritûs *moror* ad vivificandum spiritum humilium, & ad vivificandum spiritum *cor* contritorum. 16. Quia non in saeculum contendam, neque in aeternum irascar: nam spiritus a conspectu meo operiet, & animas ego feci. 17. Propter iniquitatem cupiditatis ejus iratus sum abscondendo *faciem meam*, & indignabor *indignatus sum*: & abiit aversus in via cordis sui. 18. Vias ejus vidi, & sanabo eum: & ducam eum, & reddam consolationes ei & lugentibus ejus. 19. Creans proventum labiorum: pax pax longinquo & propinquo, ait Dominus, & sanabo eum. 20. Et impii velut mare impulsum: nam quiescere non poterit, & ejicient aquae ejus coenum & lutum. 21. Non pax, dixit Deus meus, impiis.

COMMENTARIUS.

V. 1. JUstus: versus est duplicatus cum vocabulis diversis; animadvertendum autem est, quòd non loquitur de justo particulari, sed de justis, qui transierant ex generatione illa, ait enim *& viri misericordiae congregantur*, scilicet congregantur ad populum suum. Dum verò dicit *periit*, non vult innuere, quòd justus perierit in morte sua, sibi enim non periit, quum anima ejus moretur in vita jucunda meliori, quàm vita corporis, sed periit a generatione sua, cui quidem est perditio. *& non est quisquam, qui ponat super cor*, qui coarguat Israelitas ob opera mala haec, vel *& non est quisquam, qui ponat super cor* idem significat ac *sine ullo considerante*, quia sensus ejus cohaeret cum illo. *quia propter malum congregatus est justus*, quasi dicat, justus & viri misericordiae congregati sunt ex generatione ante tempus suum propter malum, quod venturum est super generationem illam, ne videant malum hujusmodi, ut ait Chulda prophetissa ex ore Dei ad Josiam *ecce ego colligam te ad patres tuos, & colligeris ad sepulchra tua in pace; & non videbunt oculi tui omne malum, quod ego induco super locum hunc*. 2. *Reg*. 22. *v*. 20 *& non est quis-*

quisquam, qui ponat super cor, & non est qui faciat considerare, quòd propter malum ereptus est justus, ne videat illud.

V. 2. *Ingredietur in pace*: quando congregatur justus ante tempus suum, in bonum ipsius id fit, ut ait *propter malum v.* 1. & adhuc quia in morte sua ingreditur in requiem bonam; ait igitur *Ingredietur in pace*, quia ante malum morietur in pace, veluti *Et tu ingrederis ad patres tuos in pace*: *Genes.* 15. *v.* 15. *requiescent in cubilibus suis*, Sancti, quorum meminit, in morte sua requiescent in requie magna, & mors eorum enunciatur nomine cubationis, veluti *Et cubabo cum patribus meis*, *Genes.* 47. *v.* 30. & quamvis intelligi possit cubatio juxta simplicem sensum de cubatione corporis in sepulchro, tamen in ista cubatione erit requies animae, quia verbum cubatio significat etiam requiem, veluti *non cubavit cor ejus*: *Eccles.* 2. *v.* 23. *& arteriae meae non cubaverunt*. *Job.* 30. *v.* 17. *ambulabit coram eo*, pax, cujus meminit, ingredietur ante justum, dum congregabitur, quasi dicat, in pace morietur, & ad pacem ingredietur in morte sua, perinde ac si pax egrediatur obviam ei. Sapiens Rab. Abrahamus ita exponit „ Unicuique ambulanti in vita sua coram Deo „ erit in morte ipsius pax & requies „

V. 3. *Et vos accedite huc*: alloquitur filios generationis suae pravos, accedite huc ad judicium de operibus vestris malis. *filii praestigiatricis*, quorum mater praestigiis & maleficiis utitur, maleficium enim utplurimum invenitur in mulieribus. Quum patres vestri sint adulteri, & matres vestrae meretrices, quomodo vos eritis boni? עוננה Toar, veluti *& praestigiatores ut Philisthaei*: *Jes.* 2. *v.* 6. si radix eorum est עין, si verò radix eorum est ענן, tum est Benonì. *& scortata est*, scilicet & scortata est mater vestra. Sic fuerunt filii generationis illius mali, utpote filii malorum; eademque ratione dixit Hoseas *Non visitabo super filias vestras, quum fornicatae fuerint, & super sponsas vestras, quum adulteria commiserint, quoniam hi cum meretricibus diviserunt se (ab uxoribus) & cum scortis sacrificaverunt: & populus, qui non intelliget, cespitabit*. *Hos.* 4. *v.* 14.

V. 4. *Super quo oblectabimini*: ut ait *venite, sumam vinum &c.* *Jes.* 46. *v.* 12. quia oblectabantur in cibo & in potu, & dilatabant os, & prolongabant linguam contra Prophetas Domini, & subsannabant eos, ut ait superius in parascia *Vae coronae superbiae*, *cap.* 28. *v.* 1. & paulo post *audite verbum Domini viri derisionis*, *cit. loc. v.* 14. contra vosmetipsos debebatis dilatare ora, qui estis filii praevaricationis, semen mendacii. ילדי Jod cum Chirek, quod non est secundum consuetudinem, sed cum Patach.

V. 5. *Incalescentes*: saepe videmus in Libris Prophetarum, quòd assimilant Israelitas & Idololatras mulieri scortanti sub viro suo: verba Ezechielis plerumque sunt hujusmodi, initium pariter verborum Hoseae ita se habet, tale item est argumentum parasciae hujus, idque sibi

sibi vult *Incalescentes in quercetis*, item *posuisti cubile tuum: v. 7. dilexisti cubile eorum v. 8.* & ita singulae phrases parasciae. הנחמים ex conjugatione Niphal, radix ejus est חם, ex illo *in omni incalescentia ovium, Genes. 30. v. 41.* Concubitus seu congressus masculi & foeminae enunciatur vocabulo incalescentiae, veluti *incaluit in conceptu meo mater mea, Psal. 51. v. 7. Et fuit in omni incalescentia ovium, Genes. 30. v. 41. & incaluerunt oves Genes. 30. v. 39. ut incalescerent in virgis, cit. loc. v. 41. in quercetis* postea explicat dicens *sub omni ligno viridi*, quia אלים complectitur omnes arbores, solebant enim colere idola sub arboribus viridibus, quarum rami & folia virescerent. *immolantes filios*, hic est cultus ille idolatricus, in quo immolabant filios, & ita dixit Ezechiel propheta *Et quum immolarent filios suos idolis suis, Ezech. 23. v. 29.* Faciebant verò id in torrentibus, ubi erant petrae, sub scopulis, nam סעפים significat scopulos, veluti *in scopulo petrae Etam. Jud. 15. v. 8.* pro בשן סעיף: scopulus autem dicitur ramus, quia est scopulus petrae, ut ramus arbori. (*a*)

V. 6. *In (lapidibus) laevibus torrentis*: quando proferebant lapidem laevem & pulchrum in lapidibus torrentis, colebant illum, חלקי est adjectivum lapidis laevis, sicuti *laeves lapidum, 1. Sam. 17. v. 40.* nisi quòd sunt duae formae, sed in utraque Lamed est daghesciatum. Isti lapides sunt haereditas tua & sors tua, contra illud *Dominus pars haereditatis meae & calicis mei, tu sustentans sortem meam. Ps. 16. v. 5.* dicit חלקי & חלקך, quae voces similiter sonant, ac ex eadem radice derivantur. אנחם ex conjugatione Niphal, veluti *& consolabitur Dominus super malum, Jer. 26. v. 13.* ait *num super his*, quasi dicat, num super operibus hisce malis potero consolationem accipere, ne malum inducam eis?

V. 7. *Super montem excelsum*: quemadmodum ait *super montibus excelsis & super collibus, & sub omni ligno frondoso. Deut. 12. v. 2. cubile tuum*, jam explicavimus v. 5. hoc esse synonymum cultus exteri, quem colebant illic; etiam istic non curasti laborem ascensionis; omnia tibi levia erant propter amorem tuum erga cultum hujusmodi.

V. 8. *Et post ostium & postem posuisti memoriale tuum*: posuisti aliquid ex specie cultus idolatrici, ut recordareris jugiter cultus illius, contra illud *Et scribes ea super postibus domus tuae, & in portis tuis; Deut. 6. v. 9.* Ego dedi tibi praeceptum mezuzae (*b*), ut assidue recordareris cultus mei, sed tu reliquisti cultum meum propter cultum Deorum aliorum, & posuisti eis memoriale post ostium & postem, & omisisti memoriale, quod dedi tibi, ut recordareris mei jugiter. Sunt qui interpretantur זכרונך ex istis *odor ejus ut vinum Libani. Hos. 14. v. 8. odoramentum ejus, Num. 5. v. 26. Lev. 2. v. 2. & 5. v. 12.* quasi

(*a*) סעיף enim propriè significat *ramum*, metaphoricè *scopulum*.
(*b*) De Scheda Mezuzae vide Buxtorf. Synag. Jehud. cap. XXXI.

quasi dicat, posuisti odoramentum Idolis post ostium & postem. *quia a me revelasti (te) & ascendisti*, quia a me discooperuisti te; ego praecepi tibi cultum meum in loco occulto *Altare terreum facies mihi*, *Exod.* 20. v. 24. non aedificium lapideum excelsum, siquidem praecepi *Et non ascendes per gradus ad Altare meum*, *cit. loc.* v. 26. tu verò contra ea fecisti Diis aliis in loco patenti super montibus excelsis. *dilatasti cubile tuum*, ego dixi *Cave tibi, ne offeras holocausta tua in omni loco, quem videbis, sed tantùm in loco, quem elegerit Dominus Deus tuus in una Tribuum tuarum*, *Deut.* 12. v. 13. & 14. & tu dilatasti cubile tuum in locis multis, etenim *juxta numerum civitatum tuarum fuerunt Dii tui o Jehuda*. *Jer.* 2. v. 28. *in loco, quem vidisti*, in unoquoque loco, quem vidisti, contra illud *Cave tibi, ne offeras holocausta tua in omni loco, quem videbis*. *cit. loc.* ego enim praecepi tibi hoc, ne disceres ab operibus gentium, quae offerunt in omni loco, at fecisti contra praeceptum meum in omni re.

V. 9. *Et ivisti ad regem cum oleo*: ותשורי interpretatur Rab Saadias, cujus memoria fit in benedictione, ex significatione nominis תשורה, quod significat munus, ego verò in Libro radicum interpretatus sum *Et ivisti*, sicuti *venies de vertice Amanae*, *Cant.* 4 v. 8. *Ibit super homines*, *Job.* 33. v. 27. *euntes ad te in negotiatione tua*: *Ezech.* 27. v. 25 & ita in Verbis Magistrorum nostrorum b. m. „ Ambulatio transiens de loco ad locum „ למלך cum Patach sub Lamed demonstrationis gratia, videlicet ad regem Assyriae, qui dominabatur omnibus terris in diebus illis. Ait igitur, non sufficit tibi coluisse Deos alienos, nisi etiam sustulisses confidentiam tuam a me, & speravisses in brachio carnis & sanguinis? & de hoc dictum fuit *Maledictus vir, qui confidit in homine, & ponit carnem brachium suum, & a Domino recedit cor ejus*. *Jer.* 17. v. 5. Quòd si coluissent cultum exterum, sed mens eorum fuisset ad Deum, quòd scilicet ipse sit caussa prima, & coluissent Solem & Lunam in gloriam ejus, & coluissent istorum imagnes, malum quidem fuisset, ut ait *Non facietis mecum Deos argenteos, &c. Exod.* 20. v. 23. sed insuper fecerunt malum, quòd removerunt cor suum & spem suam a Deo, & speraverunt in Regem Assyriae, cujus in manum postea ceciderunt. Dicit autem *cum oleo*, quia oleum afferebant de terra Israelis, ut dictum est de ea *terram olivae olei*, *Deut.* 8. v. 8. praeterea dictum est *Jehuda & terra Israelis ipsi negotiatores tui cum frumentis Minnith & Pannag, & mel & oleum & opobalsamum dederunt in negotiatione tua*. *Ezech.* 27. v. 17. dictum est etiam *& oleum in Aegyptum affertur*. *Hos.* 12. v. 2. *& multiplicasti pigmenta tua*, quia mittebas ad eos pro munere oleum seu balsamum pigmentarii; fecisti ex eo multum, quod mitteres ad regem Assyriae, ut esset tibi in auxilium. ציריך *legatos tuos*, misisti eos cum muneribus usque in longinquum, quia terra Assyriae longè distat a terra Israelis. *& humiliasti*, humiliasti te usque ad sepul-

chrum

chrum, & contempsisti, dum misisti in terram longinquam, ut quaereres auxilium. Probabile etiam est, quòd תשפילי sit Verbum intransitivum, veluti *humiliate vos*, *sedete*: *Jer.* 13. *v.* 18. quasi dicat, humiliata es usque ad sepulchrum (vel Infernum) propter opera mala: Jonatan ita reddit hunc versum *Quum exequereris Legem, prospera eras in regno: & quum multiplicares tibi opera bona, multiplicatus est exercitus tuus, & misisti nuncios tuos procul, & depressisti fortitudinem populorum usque ad infernum*.

V. 10. *In multitudine viae tuae laborasti*, si voluisses, servata fuisses in quiete in terra tua, nimirum si ambulavisses in viis Dei benedicti, nunc verò, quia fuisti rebellis in eum, necesse tibi fuit quaerere auxilium, & laborasti in multitudine viarum. *non dixisti, desperatum est*, ut homo fessus in itineribus, qui dicit, desperatum est cor meum ab eundo in viis hisce, sedebo & requiescam; non dixisti tu sic, verùm jucunda fuit tibi omnis fatigatio illa, quocirca non aegrotasti, neque doluisti in defatigatione illa ob amorem tuum eundi in viis populorum, & recedendi a via Domini. *vitam manus tuae*, i. e. vitam fortitudinis tuae, ac si dicat, invenisti rem, quae fuit suavis tibi instar ciborum, qui sunt vita hominis, ejusque vis.

V. 11. *Et quem formidasti*: a quo formidasti & timuisti? *si mentieris*, si velis negare, te fecisse opera ista, quae commemoravi, ego respondebo, a quo igitur formidasti? quandoquidem mei non recordabaris, quum faceres opera mala, neque posuisti super cor tuum, quia non putabas me videre opera tua; si igitur non formidasti a me, quare mentiris? melius est te confiteri ea. *nonne ego silens*: nonne ego silui tibi, & prolongavi furorem meum, neque mulctavi te statim? *& a seculo*, & ab aeterno talis est proprietas mea cum creaturis meis, ut protraham furorem meum contra illas. *me autem non timuisti*, sed tu non timuisti me, si enim timuisses me, non fecisses opera mala, & si non timuisti me in tempore operationis, ne quidem timebis me in tempore reprehensionis, mentieris enim, & dices, non feci malum.

V. 12. *Ego indicabo*: quamvis mentiaris tu, & dicas, justa sum, ego indicabo justitiam tuam, quam fecisti, scilicet opera memorata, dicesne esse opera bona? *& opera tua*, & indicabo opera tua, quae fecisti, neque proderunt tibi opera, quae fecisti, ut existimabas, sed oberunt tibi.

V. 13. *Quum clamaveris*: nunc videbis, num prosint tibi opera tua, quando clamabis propter tribulationem hostis, videbis, quomodo eripient te congregationes tuae, scilicet populi, quos congregabas tibi, quibusque ferebas munera, ut essent tibi in auxilium, nunc videbis, an eripient te; illi enim vastabunt te (etenim rex Assyriae desolavit terram Israelis) ac ne ipsi quidem eripuerunt se, quando rex Assyriae venit ad Jerosolymam cum exercitu gravi. *& omnes illos tollet ventus*, ut ventus, qui tollit glumam celeriter valde, sic mortui sunt omnes illi in momento uno. *sperans autem in me*, hic est Ezechias,

ejusque socii, qui possidebunt terram, neque rex Assyriae capiet Jerosolymam, ut existimavit. *& haereditabit Montem Sanctitatis meae*, scilicet Jerosolymam. Quamvis verò dicatur hoc de Ezechia, generaliter tamen comprehenditur omnis homo, nullaque congregatio hominum proderit ei, qui clamet propter tribulationem suam, quia omnes congregationes hominum in saeculo hoc sunt ventus & vanitas, timor verò Domini est thesaurus ejus, & qui sperat in me, possidebit terram, & haereditabit Montem Sanctitatis meae. Saeculum venturum appellatur terra viventium, & Mons Sanctus, saeculum verò hoc offendiculum, cujus remotio est poenitentia.

V. 14. *Et dicet, sternite sternite*: sperans in me dicet in caede hostis, sternite, sternite, complanate viam, etenim offendiculum, quòd erat in viis, sublatum est, scilicet hostis, siquidem Israelitae non poterant venire Jerosolymam propter hostem, idcirco ait, complanate modò illis viam, ac tollite offendiculum, videlicet si sunt in semitis lapides offendiculi, tollite eos, quia sunt offendiculum magnum, hic autem est hostis gravis, qui sublatus fuit. Imperativum non est directum ad viros peculiares, sed ad quemcumque, & ita *vide odorem filii mei Genes. 27. v. 27. Dic regi & reginae Jer. 13. v. 8. Roborate manus remissas: Jes. 35. v. 3.* & similia his; jubet autem complanari viam, ut ambulent Israelitae in quiete & confidentia. סלו & מסלה significat opus illud, quo attollunt vias, ponendo lapides, ubi sunt lubricae propter lutum. Alii sic exponunt, removete lapides de viis, ne offendant in eos homines transeuntes, & jumenta.

V. 15. *Quia sic dixit excelsus*: sermo Prophetae. *permanens aeternitatis*, i. e. permanens in aeternum: sensus horum verborum *permanens aeternitatis*, hic est, quòd quemadmodum appellatur *permanens*, qui perpetuat stationem suam in loco aliquo, sic vocatur Deus benedictus *permanens aeternitatis*, quia perpetuat providentiam suam in rebus creatis. *& Sanctus nomen ejus*, quemadmodum audivi vocare eum Seraphim *Sanctus Dominus exercituum: cap. 6. v. 3.* quid autem dixit Deus? *in excelso & Sancto habito, & cum contrito & humili spiritûs*, quamvis habitem in excelsis & cum Sanctis, i. e. in sphaeris Coelestibus & cum Angelis, tamen habito etiam inter inferiores, cum eo scil. qui est inter eos contritus & humilis spiritu, ad vivificandum spiritum & cor eorum. Et quamvis ipsi in angustia interdum versentur, nolite idcirco putare, quòd ego non respiciam super eos; sic Israelitas, qui futuri sunt tempore longo in exilio, humiles & contriti, ego vivificaturus sum, sunt enim veluti mortui in exilio prae multitudine angustiarum.

V. 16. *Quia non in saeculum contendam*: a die, quo fuerunt mihi in populum, & usque nunc, fui in contentione cum illis, ipsi peccant, & ego irascor in eos; verùm non erit hujusmodi contentio & indignatio in saeculum, quia removebo cor lapideum ab eis, & fa-

ciam, ut in decretis meis ambulent. *nam spiritus a conspectu meo operiet*, spiritus a conspectu meo est, & ipse operiet ac induet corpus, subjicietque illud, ut ambulet in via bona; deinde repetit eamdem rem dicens *& animas ego feci*, quemadmodum dixerat *a conspectu meo*, quia non est in anima quidquam ex natura terrae, ut in corpore, quod est ex natura seu constitutione terrae, idcirco peccat, & vadit post desiderium brutorum, trahitque spiritum post se. Non erit tamen sic in perpetuum, sed cognoscet homo animas esse a conspectu meo, meque solùm fecisse eas, neque in illis quidquam esse ex natura terrae, & plenas esse scientia Domini, idque a die, quo ascendere faciam eos ab exilio, & vivificabo eos a morte exilii. Jonatan interpretatur hunc versum de resurrectione mortuorum *Quia non in aeternum ulciscar in judicio, nec in perpetuum erit furor meus, quoniam spiritum mortuorum ego restituam, & animas ego feci.*

V. 17. *Propter iniquitatem cupiditatis ejus*: quia cupiebat avidè, ac opprimebat, iniquitas enim violentiae maxima est, licèt contra eam constituta non sit mors. Ratio verò, cur lex non decreverit contra eam mortem ea est, quia iniquitas hujusmodi plerumque non invenitur, quandoquidem perdit ac destruit ordinem Orbis, idcirco cavent ab ea homines; verùm quando iniquitas haec diffundit se & baccatur in provincia aliqua, non potest subsistere, ac destruetur propter violentiam. Et re quidem vera diluvium venit in Mundum propter violentiam, ut scriptum est *quia repleta est terra violentia a facie eorum*: *Genes.* 6. *v.* 13. *abscondendo*, scilicet abscondendo faciem, ut ait *Et ego abscondendo abscondam faciem meam Deut.* 31. *v.* 18. *& abiit aversus*, scilicet rebellis, quia rebellavit in me & in cultum meum, & respexit post Deos alios, quemadmodum errare eum fecit cor suum.

V. 18. *Vias ejus vidi*: vidi vias ejus, quòd non duraturus sit tempore longo in via bona, quin peccet, & avertatur. Postquam verò percussero ac deportavero eum (i. e. persistere fecero in exilio) tempore multo, convertar, ac sanabo eum; quibus verbis innuit sanitatem animae, juxta illud *sana animam meam Ps.* 41. *v.* 5. *& convertatur, & sanitas sit ei*. *Jes.* 6. *v.* 10. *parcam iniquitati eorum Jer.* 31. *v.* 34. *& ducam eum*, scilicet per viam bonam, quasi dicat, dirigam cor ejus, ne peccet ultra. *& reddam consolationes ei & lugentibus ejus*, pro angustiis & malis, quae tulit in exilio, reddam ei consolationes, scil. bona, quibus magis magisque consolationem afferat lugentibus suis, nimirum illis, qui lugent in exilio propter vastationem Jerosolymae, quemadmodum ait *gaudete cum ea gaudio omnes, qui lugetis super eam*. *cap.* 66. *v.* 10. Jonatan *Vias ejus vidi* interpretatur *via conversionis eorum revelata est coram me*: illud verò *ei & lugentibus ejus* intrepretatur *illis & lugentibus propter eos*.

V. 19. *Creans*: & renovabo verbum labiorum, quia dicetur in ore omnium pax pax, neque commemorabitur nomen belli in Mundo, idque

idque erit post bellum Gogi & Magogi. *longinquo & propinquo*, scilicet ei, qui procul abest a Jerosolyma, quique propè eam est; quia verò hujusmodi bellum erit in Jerosolyma, idcirco conjunxit pacem cum ea. *& sanabo eum*, pronomen refertur ad Israelem, ut explicavimus illud *& sanabo eum vers. sup.* Jonatan ita reddit hunc versum *Qui creavit eloquium in ore omnium hominum dixit, pax fiet justis, qui custodierunt legem meam ab initio, & pax fiet bis, qui convertentur ad legem meam: prope est, dicit Dominus, ut dimittam eis.* Est autem dissensio in Verbis Magistrorum nostrorum b. m. in hac re: quidam ex eis declaraverunt ratione inversa, & interpretati sunt רחוק de poenitentibus, קרוב verò de justis, ac didicerunt hinc, & dixerunt, pluris habentur poenitentes, quàm absolutè justi, quia dictum est *longinquo & propinquo*, primùm dixit *longinquo*, postea *propinquo*, etenim interpretantur *longinquo* de eo, qui procul aberat a Deo, & appropinquavit, *propinquo* de eo, qui jam prope erat.

V. 20. *Et impii*: tunc deficient impii, ut dictum est in prophetia Malachiae *Et erunt omnes superbi, & omnis faciens impietatem stipula, &c. Mal. 3. v. 19. al. 4. v. 1.* sensus verò hujus versus protrahitur usque ad *Non pax, vers. seq.* quia dixerat *pax pax longinquo & propinquo, vers. sup.* ait, impiis, qui sunt veluti mare propulsum, non erit pax, immo tunc deficient omnes. *veluti mare impulsum*, scilicet ut mare, quod propellitur ad littus omni momento, eo quod quiescere non possit, quum veniat fluctus post fluctum indesinenter, idcirco non quiescit unquam; & quando pervenit ad littus, ejiciunt aquae ejus coenum & lutum e fundo maris ad terram. Assimilat autem opus impiorum coeno & luto, quia numquam quiescunt impii a commovendo Mundum, donec moriantur, ut ait *Ibi impii cessaverunt a commotione: Job. 3. v. 17.*

V. 21. *Non pax, dixit Deus*: ita se habet textus, exemplaria verò, in quibus scriptum est *dixit Dominus*, mendosa sunt, quia versus alter, qui extat in parascia *Egredimini de Babylone, cap. 48. v. 20.* habet *dixit Dominus d. cap. 48. v. 22.* hic verò habet *dixit Deus meus*. Signum igitur distinctionis unius versus ab altero est *Dominus*, & *Deus meus*.

JESAIAE CAP. LVIII.

1. CLama in gutture, ne prohibeas, instar tubae eleva vocem tuam: & indica populo meo praevaricationem eorum, & domui Jaacobi peccata eorum.
2. Et me quotidie quaerunt, & scire vias meas volunt: ut gens, quae justitiam fecerit, & judicium Dei sui non dereliquerit; rogant me judicia justitiae, appropinquationem Dei desiderant. 3. Ut quid jejunavimus, & non vidisti, afflximus animam nostram, & nescisti? ecce in die jejunii vestri invenitis desiderium, & omnes substantias vestras exigitis. 4. Ecce ad litem & contentionem jejunatis, & ad percutiendum cum pugno impietatis: ne jejunetis hodie ad faciendum audire in excelso vocem vestram. 5. Numquid sicut hoc est jejunium, quod eligo, quo die affligit homo animam suam? num incurvare ut juncus caput suum, & saccum & cinerem sternat? numquid hoc vocabis jejunium, & diem beneplaciti Domino? 6. Nonne hoc *est* jejunium, quod eligo? solvere colligationes impietatis, solvere fasciculos iniquitatis *jugi*: & dimittere confractos liberos, & omne jugum disrumpatis. 7. Nonne frangere famelico panem tuum, & afflictos *pauperes* vagantes introducas domum? quum videris nudum, (&) operias eum, & a carne tua non abscondas te. 8. Tunc erumpet veluti aurora lux tua, & sanitas tua citò germinabit: & ambulabit ante te justitia tua, gloria Domini colliget te. 9. Tunc invocabis, & Dominus exaudiet *te*, clamabis, & dicet *tibi*, ecce ego: si removebis de medio tui impietatem, immittere digitum, & loqui iniquitatem. 10. Et proferes famelico animam tuam, & animam afflictam saturabis: & orietur in tenebrositate lux tua, & caligo

tua

tua sicut meridies. 11. Et ducet te Dominus jugiter, ac saturabit in ariditatibus animam tuam, & ossa tua impinguabit: & eris velut hortus irriguus, & velut exitus *scaturigo* aquarum, cujus non mentiantur *deficiant* aquae. 12. Et aedificabunt a te vastationes saeculi, fundamenta generationis & generationis resurgere facies: & vocaberis sepiens fracturam, reverti faciens semitas ad habitandum. 13. Si redire facies a sabbatho pedes tuos, *a* faciendo desideria tua in die Sanctitatis meae: & vocabis sabbathum delicium, Sanctum Domini gloriosum, & glorificabis ipsum a faciendo vias tuas, ab inveniendo voluntatem tuam, & loquendo verbum *quidquam*. 14. Tunc delectaberis in Domino, & equitare faciam te super excelsa terrae: & comedere faciam te haereditatem Jaacobi patris tui, quia os Domini loquutum est.

COMMENTARIUS.

V. 1. C*Lama in gutture:* praecepit Deus Prophetae, ut clamaret cum voce ad filios generationis suae ostendentes sese bonos, quum essent mali, & corriperet eos ob opera ipsorum, & elevaret vocem suam ad eos instar tubae, ut audiretur vox ejus a longe; clamor verò est in gutture, licèt articulatio sermonis fiat in ore, quia vox exit e gutture, & ita dixit *Elationes Dei in gutture eorum: Ps.* 149. *v.* 6. *in clamando siccatum est guttur meum, Ps.* 69. *v.* 4. *ne probibeas*, verùm jugiter clama ad eos. *populo meo*, scilicet illis, qui vocantur populus meus; deinde repetit eamdem rem cum vocabulis diversis.

V. 2. *Et me:* quaerunt ac volunt cum ore, non verò cum corde, neque cum operibus, quia eum, qui facit justitiam & judicium, decet quaerere & interrogare, quomodo facere debeat, verùm is, qui justitiam non facit, ad quid quaerit? ecce in quaerendo duplicatur iniquitas ejus.

V. 3. *Ut quid jejunavimus:* dicunt mihi, cur jejunavimus, & non vidisti afflictionem nostram, neque recepisti deprecationem nostram? *& nescisti*, perinde est, ac si nescìveris, quasi dicat, non respicis in nos, ac inimici nostri dominantur nobis, & jejunavimus, neque videmus, quòd salvaveris nos. Respondet illis Deus, in die, quo jejunatis, quomodo videre possum jejunium vestrum, quum non sit nisi ad contentionem? etenim in die jejunii congregatur populus, & qui-

cum-

cumque videt debitorem suum, petit ab eo desiderium suum, i. e. creditum suum, solebant enim invenire in die jejunii, & si non det, vi exigit illud, & coarctat eum, donec det, ac etiam percutit eum pugno impietatis, si reddat ei responsum, quod non sit secundum voluntatem ipsius: igitur non est jejunium vestrum ad Deum, sed ad indigentias vestras. עצביכם *substantias vestras*, veluti *& substantiae tuae sint in domo aliena*. *Prov.* 5. *v.* 10. quia substantiae obveniunt homini per laborem. Daghesc in Tzade est ad ornamentum lectionis (i. e. euphoniae gratia) ut Daghesc in Koph vocis מקדש *Exod.* 15. *v.* 17. & similia his. תנגשו ex illo *non exiget a proximo suo*, vel *non arctabit proximum suum Deut.* 15. *v.* 2. & est cum Cholem. Mirum verò est, quòd Jonatan vertat *& omnia offendicula vestra admovetis*, nimirum interpretatur veluti cum Scin, ut illud ויגש אליו יהודה quod Chaldaicè vertitur *Et accessit ad eum Jehuda*, *Genes.* 44. *v.* 18.

V. 4. *Ecce ad litem*: ecce non est jejunium vestrum nisi ad litem & contentionem, quomodo igitur aspiciam illud? אגרוף notum est ex Verbis Magistrorum nostrorum, quorum memoria sit in benedictione „ domini pugnorum „ i. e. qui pugnis valent, & alia praeterea. כיום pro היום, & Caph est Caph veritatis seu confirmativum, ut Caph in illo *jura mibi bodie*: *Genes.* 25. *v.* 33. & similia huic. *ad faciendum audire in excelso*, vos enim perinde conclamatis in deprecatione vestra, ac si effundatis animam vestram coram me, idque est per vafritiem, quasi ego non cognoscam cor vestrum.

V. 5. *Numquid*: non est jejunium acceptum afflictio (i. e. mortificatio) quae fit non comedendo neque bibendo, & incurvatione capitis instar scirpi, h. e. junci, qui incurvat caput suum, neque afflictio ea, quae fit strato sacci & pulvere, quia non sunt istiusmodi opera electa & accepta coram me nisi cum corde contrito, & operibus bonis, & conversione a viis pravis.

V. 6. *Nonne*.. חרצבות רשע *colligationes impietatis*, & ita *Quia non sunt colligationes in morte eorum*, *Ps.* 73. *v.* 4. opus enim impietatis, quum invaluerit, simile est ligaturae praevalidae, quam non potest homo enodare ac dissolvere nisi magno cum labore. Deinde repetit eamdem rem cum vocabulis diversis, & ait *solvere fasciculos iniquitatis*, quia מוטה idem est, ac רשע *impietas*, qua declinare ac labi faciunt pauperes, ex illo *quoniam labi facient super me iniquitatem*. *Ps.* 55. *v.* 4. Vel est מוטה nomen jugi, veluti *Et cepit Chanania propheta jugum Jer.* 28. *v.* 10. & assimilat arctationem & exactionem, quibus opprimebant pauperes, perinde ac si ponerent jugum super collum eorum. Jonatan vertit *solvite colligationes scripturarum judicii depravati*. *& dimittere confractos liberos*, scilicet servos, qui sunt contriti & confracti in manu dominorum suorum transgredientium praeceptum illud *Non dominaberis in eo durè*: *Lev.* 25. *v.* 43. neque dimit-

dimittunt eos a fine septem annorum, qua de re etiam Jeremias redarguit filios generationis suae.

V. 7. *Nonne frangere:* פרס significat fractionem; in Verbis Magistrorum nostrorum b. m. usurpatur in significatione fractionis panis „ benedicit ac postea frangit &c.„ מרודים juxta Targum *vagantes*, & ita *afflictionis meae & vagationis meae Thr.* 3. *v.* 19. *afflictionis suae & vagationum suarum*, *Thr.* 1. *v.* 7. ubi מרוד significat vagationem, *& a carne tua non abscondas te*, ut praebeat cibum esurienti, & operiat nudum; hoc quidem facere tenetur quisque omnibus Israelitis; & qui est propinquus egeni, magis tenetur ad id, & si eum videat in egestate, non abscondat oculos suos ab eo, donec in necessitate versatur petendi substentationem vitae suae, sed tenetur adhaerere (vel, mutuum dare) ei, & aperire in conspectu ejus vias & rationes, per quas refocillet. *& a carne*, juxta illud *nullus omnino ad omnem propinquum carnis suae Lev.* 18. *v.* 6. qui facit opera ista, tribui potest ei, quòd subsistere faciat universa praecepta. Commemoravit autem opera haec, quia contraria sunt operibus illis, quorum superiùs meminit.

V. 8. *Tunc:* si feceris opera ista, opus non habebis jejunio sacco & pulvere, ac erumpet sicut aurora lux tua, i. e. sicut aurora, quae crescit in luce usque ad firmum diei (*a*). *lux tua*, scilicet prosperitas tua. *& sanitas* (*b*) *tua citò germinabit*, si sanitas tua venit usquemodò super te mala in corpore tuo, aut in substantiis tuis, nunc, quum bona facias opera tua, germinabit sanitas tua citò ut germen terrae, quod assiduè crescit, sic erit prosperitas tua, idque erit in saeculo hoc & in saeculo venturo. *& ambulabit ante te justitia tua*, quando morieris, gloria Domini colliget te ad locum gloriae, ubi animae justorum colligatae sunt in fasciculo vitae: duplicat verò hanc rem, & triplicat cum vocabulis diversis ad corroborandum significatum, nisi quòd secunda vice specificat res, quas commemoravit generaliter, ac tertia vice memorat speciatim observationem sabbathi, quod est fundamentum magnum universis praeceptis, ut superius explicavimus.

V. 9. *Tunc invocabis:* nunc, dum facis opera mala, dicis *Ut quid jejunavimus, & non vidisti? v.* 3. verùm quum bona feceris opera tua, scies, quòd exaudiam te, dum clamaveris ad me, & aspiciam jejunium tuum, & audiam orationem tuam. *si removebis*, si converteris ab operibus hisce malis, & facies opera bona. מוטה explicavimus *vers.* 6. *immittere digitum* (*c*), שלח est Makor, quemadmodum ait superius

& ad

(*a*) Vel *dispositum diei*, nimirum, usque ad meridiem, tunc enim lux est in perfecta dispositione & potentia sua, ut scribit R. Levi Ben Gerson ad *Prov.* 4. *v.* 18.

(*b*) Quum sanitas sit vitae prolongatio, ideo effertur nomine isto ארוכה, quod significat *longitudinem*, *diuturnitatem*, *prolongationem*.

(*c*) Ad illustrationem istorum verborum *immittere digitum* optimè facit

& ad percutiendum cum pugno impietatis: *v.* 4. ait igitur, si removebis opus hujusmodi pravum, ac etiam immissionem digiti tui removebis, more hominum contendentium, qui immittunt digitum unum in faciem proximi sui, non jam ut percutiant eum; & ita removebis etiam sermonem iniquitatis, adeo ut non contendas cum proximo tuo ne verbis quidem. Omnes hae generaliter sunt colligationes impietatis, quarum supra mentionem fecit *v.* 6.

V. 10. *Et proferes famelico animam tuam*: haec autem erunt opera bona, quae facies, ut proferas famelico animam & benevolentiam tuam, i. e. quando frangis ei panem tuum, cum spiritu liberali facias, & cum opinione vultus sereni, ut is cognoscat, quòd libenter & bono cum corde praebes ei, & sic de vestitu, cujus jam meminit *v.* 7. ותפק ut ותוצא, sic *& educet voluntatem a Domino. Prov.* 8. *v.* 35. *educentes de specie ad speciem. Ps.* 144. *v.* 13. *saturabis*, ut sit fractio panis, quem praebes ei, ad saturitatem. *sicut meridies*, si fuit tibi caligo & angustia, convertetur sicut meridies, tunc enim lux diei in summo est.

V. 11. *Et ducet te Dominus*: juxta illud *Domine duc me in justitia tua, Ps.* 5. *v.* 9. quasi dicat, jugiter prospiciet super te, quocumque te convertes. בצחצחות significatio ariditatis & siccitatis, veluti *arefacta siti. Jes.* 5. *v.* 13. in tempore, quo erit siccitas & penuria in Mundo, ipse saturabit animam tuam. *& ossa tua* יחליץ, i. e. *impinguabit*, juxta illud *auditio bona impinguabit ossa. Prov.* 15. *v.* 30. Meminit autem ossa, quia haec sunt fundamenta corporis, & secundum significationem hanc dixerunt Magistri nostri, quorum memoria sit in benedictione „ Transiens ante Arcam in die bono (*a*) capitis anni „ dicit החליצנו יהוה אלהינו, i. e. satia & impingua nos in prae„ ceptis tuis „ vel sensus est „ quietem nobis concede „ sic enim exposuerunt in significatione quietis & dixerunt, quòd quatuor significatio-

cit illud Iuvenalis *Sat. X. vers.* 52. *& seq.*

.... quum fortunae ipse minaci
Mandaret laqueum, mediumque
ostenderet unguem.

ubi eruditi notant, quòd prisci moris fuerit, ut, si quos flocci penderent, aut insigni contumelia vel deformi convicio afficerent, id objectu medii digiti protenti denotarent, quod est a Graecis usurpatum, ut contractis reliquis digitis, medium ignominiae causa protenderent, quod σκιμαλίσαι dixere, quemadmodum apud Laertium narratur de Diogene, qui Demosthenem non indice porrecto, sed medio digito commostravit, quo effoeminatam ejus mollitiem notaret. Praefatum verò verbum σκιμαλίζω significat *medio digito tentare, an gallinae ova conceperint*, immisso videlicet eo in podicem, adeoque significat etiam *digito medio podicem fodicare*, unde iste digitus ab Athenlensibus appellatur *Katepygos*, quasi cynoedus & scortum, & a Persio *Sat. II. vers.* 33. nominatur *infamis*. Vide & Martialem *lib. II. Epigr.* 28. Dionem Chrysost. *Orat.* 33. & Thesaurum Stephani in *Verbo* σκιμαλίζω *in App*

(*a*) De *die bono* vide quae breviter supra notavimus ad *cap.* 19. *v.* 1.

ficationibus inservit hoc Verbum, nimirum *solvere*, *eripere*, *armis accingere*, *quietem praestare*: *solvere*, veluti *& solvet calceamentum ejus*, *Deut.* 25. *v.* 9. *eripere*, veluti *Eripe me Domine*, *Ps.* 140. *v.* 2. *armis accingere*, veluti *transierint armis accincti*, *Num.* 22. *v.* 30. *quietem praestare*, veluti *& ossa tua quiescere faciet*, quemadmodum dicis רצה והחליצנו, i. e. velis nos satiare & impinguate, vel potius, quietem concedere. *velut hortus irriguus*, in quo scilicet sunt fontes, qui irrigant illum, ideoque semper est irriguus & satur, & olera, quae in eo sunt, semper virescunt; aut eris ut exitus aquarum, scilicet fons, cujus non mentiantur aquae, eoquod etiam tempore siccitatis eructet. Consumptio verò vel defectus rei dicitur mendacium, perinde ac si mentiatur in eo, quòd numquam ibi fuerit, juxta illud *mentiebatur opus olivae*, *Chabak.* 3. *v.* 17. *& mustum mentietur in ea*. *Hos.* 9. *v.* 2.

V. 12. *Et aedificabunt a te*: quemadmodum enim opera mala destruunt terram, sic opera bona reddunt eam habitatam. *a te*, scilicet opera bona, quae egrediuntur a te, aedificabunt vastationes saeculi, h. e. vastationes, quae extiterunt per multum temporis. *fundamenta generationis & generationis*, fundamenta, quae ceciderunt pluribus abhinc generationibus, tu operibus tuis bonis resurgere facies. *& vocaberis sepiens fracturam*, filii saeculi vocabunt te sic, quia meritis tuis & operibus tuis bonis sepientur fracturae. *reverti faciens semitas ad habitandum*, quia in desolatione terrae, ob vastatas etiam vias, non est qui transeat per eas, quemadmodum ait *Viae Tzionis lugent*, *eoquod non veniant ad coetum solemnem*, *Thr.* 1. *v.* 4. verùm dicent de te, quòd redire facies semitas ad transeundum per eas, etenim propter habitationem (i. e. habitatores) civitatum, revertuntur etiam viae. Jonatan vertit *& vocabunt te confirmantem viam rectam*, *convertentem impios ad legem*.

V. 13. *Si redire facies a sabbatho*: scilicet ne iter facias in sabbatho ultra terminum (*a*). Dicit autem *Si redire facies*, quasi dicat, si iter fecisti, & recordatus esse sabbathum, avertisti pedem tuum retrorsum, ne ulterius incederes habita ratione sabbathi, multò magis cavendum est, ne facias voluntates ac desideria tua, quod generaliter complectitur opera, quorum factores rei mortis sunt, quum etiam progredi ultra terminum, quod quidem est praeceptum negativum, grave sit super te, ideoque cavere debes ab eo. *in die sanctitatis meae*, scilicet quem ego sanctificavi, ut ait *& sanctificavit illum*: *Genes.* 2. *v.* 3. sanctificatio verò in eo consistit, quòd distinxit a caeteris diebus. עשות

pro

(*a*) De hoc termino sabbathi Majemon ita scribit in Tract. de Sabbatho part. 1. cap. 37. *Ex statutis Rabbinorum est*: *Homo ne egrediatur extra Urbem nisi ad bis mille cubitos*, *ultra bis mille cubitos exire probibitum esto*. *Nam bis mille cubitis constabat suburbium*. Hine luce clarius fit quod in Actis Apostolorum habetur de Monte Oliveti *Sabbathi habens iter* seu *viam*. *cap.* 1. *v.* 12.

pro מעשות, quia Mem משבת ftat loco duorum. In רגלך & חפצך deeft Jod characteriftica numeri pluralis. Magiftri quoque noftri, quorum memoria fit in benedictione, expofuerunt רגלך prout fcriptum eft, & dixerunt, fi alter pedum ejus fit intra terminum, alter extra terminum, dictum enim eft *fi redire facies a fabbatho* רגלך, legimus רגליך, h. e. quamvis fcriptum fit רגלך abfque Jod, tamen attenditur lectio. *& vocabis fabbathum delicium*, illud *fi redire facies a fabbatho* eft praeceptum negativum, iftud verò *& vocabis fabbathum delicium* eft praeceptum affirmativum ad deliciandum corpus in die fabbathi cum cibis dulcibus & bonis, quem propterea quod diverfum faciet a caeteris diebus in bonum, recordabitur operis creationis, quòdque Deus creavit Mundum ex nihilo, & requievit in die feptimo, qua de re laudabit Deum, & glorificabit eum ore & corde fuo, feque oblectabit anima ejus in illo. וקראת, juxta illud *vocatio fanctitatis*, *Exod.* 12. v. 16. *Sanctum Domini gloriofum*, repetit eamdem rem cum vocabulis diverfis. Magiftri verò noftri interpretati funt de die Expiationum, dixerunt enim „ Quid eft, quod fcriptum eft *Sanctum Domini gloriofum?* hic eft dies Expiationum, in quo non permittitur comeftio ne„ que potatio, dicente Lege, honora eum in vefte munda „ *& glorificabis ipfum a faciendo vias tuas*, haec eft glorificatio, ut cohibeas te a faciendo quodlibet opus, etenim *viae tuae*, *defideria tua*, & *opera tua* idem valent, ac illud *vias meas narravi*, *Pf.* 119. v. 26. *& vias tuas ad delendum reges Prov.* 31. v. 3. & fimilia hifce. Magiftri noftri, quorum memoria fit in benedictione, expofuerunt דרכיך ritus vel ufus tuos, quòd non fit ufus fabbathi, ut ufus diei profani feu communis, quemadmodum ait *& glorificabis ipfum*, videlicet quòd non fit veftimentuum tuum in fabbatho, ut veftimentum in die profano; & ita quòd non fit ambulatio tua in fabbatho, ut ambulatio in die profano; item quòd non manduces neque bibas in fabbatho, ut in diebus profanis, nimirum dixerunt effe immutandam confuetudinem temporis comeftionis anticipando vel pofticipando. *ab inveniendo voluntatem tuam*, repetit eamdem rem cum vocabulis diverfis, idem enim eft ac *a faciendo vias tuas*, ut explicavimus juxta litteralem fenfum, & ita vertit Jonatan *neque provideas in eo quae tibi neceffaria funt*. Magiftri noftri, quorum memoria fit in benedictione, expofuerunt ממצוא חפצך de iis rebus, de quibus nefas eft loqui in fabbatho, quia refpiciunt defideria, h. e. negotia temporalia, quae tantùm in diebus profanis licita funt, quod fubtiliter deduxerunt ex voce חפצך (a), dicentes, de iis, quae tua interfunt, nefas eft loqui, ea verò, quae refpiciunt Deum, licita funt quemadmodum dixerunt, cogitationes praecepti licet cogitare in fabbatho; item dixerunt „ licet decernere eleemofynam

Ggg 2

(a) Nimirum deduxerunt ex pronomine poffeffivo, quod quum refeLatur ad hominem, innuit res temporales, ideoque nefas eft eas facere in die fabbathi.

nam pauperibus in sabbatho; item constituere dotem puellis, ut desponsentur, vel puero, ut discat literas, vel artem aliquam, immo rem bonam facit, si quis de istis loquatur, quemadmodum etiam docere puerum, quomodo, & unde vivat, ne fiat latro & fur. Item dixerunt de voce ודבר, quòd non sit sermo tuus in sabbatho, ut sermo in die profano, nimirum loquatur in sabbatho cum quiete, & parcus sit in verbis: item dixerunt de voce דבר, sermo prohibitus est, cogitatio verò licita, quamvis tamen homines pii cavebant etiam a cogitatione desideriorum suorum (a), exceptis desideriis divinis, more hominis pii illius, de quo in Talmude in Massacheth Sciabbath. Jonatan *& loquendo verbum* vertit *nec loquaris verba iniquitatis*, nimirum interpretatur דבר verbum iniquitatis, sic enim aliàs און vertit אונס; idque vetitum est etiam in diebus profanis.

V. 14. *Tunc delectaberis in Domino*: si in deliciis habebis sabbathum, delectaberis in Domino, quasi dicat, fluere faciet tibi bona, donec oblectes te in eo, & confitearis eum ejusque bonitatem, ex ipso enim & in manu ejus sunt omnia; delectatio verò in Domino est delectatio animae. Gaon Rab Saadias interpretatur de delectatione corporis, quasi dicat, delectatio corporis tui erit in Domino, non more stultorum, de quibus dictum est *Non est decora stulto delectatio: Prov. 19. v. 10.* verùm prudens non erit multus in delectatione, magisquam par est, sed moderatè, quia totus occupatus est in sapientia, & in ea magis delectatur; in tantum verò utitur oblectamentis corporis, quòd ea cum moderatione percepta juvant intellectum ejus, & corroborant potentias ejus trinas, nimirum potentiam reminiscentiae, potentiam intelligentiae, ac potentiam excogitationis. *& equitare faciam te super excelsa terrae*, juxta illud *Equitare fecit eum super excelsa terrae, Deut. 32. v. 13.* ista verò est terra Israelis, quae eminentior est universis terris, quasi dicat, si migraveris ex ea, dominari te faciet adhuc in ea pro mercede observationis sabbathi aliorumque praeceptorum. Promissio verò hujusmodi fit universis filiis exilii, quorum qui minus abest a tempore redemptionis, dignus erit, qui salvetur in vita sua, qui verò procul abest a tempore redemptionis, merebitur pro resurrectione mortuorum, & merebitur pro terra Israelis ejusque bono. *& comedere faciam te*, duplicat significationem cum vocabulis diversis. Nominat autem Jaacobum, quia filii ejus sunt unici in haereditate, non Ismael filius Abrahami, neque Esavus filius Isaaci, sic ait *Et statuit illud Jaacobo in statutum, & Israeli in pactum saeculi, dicendo, Tibi dabo terram Chenaan, funiculum haereditatis vestrae. Ps. 105. v. 10. & 11.* Magistri nostri, quorum memoria sit in benedictione, sic allegoricè exposuerunt „ Quicumque in deliciis habet sabbathum, tribuunt „ ei haereditatem absque confine, dictum enim est *& comedere faciam* „ *te*

(a) *Desideria* seu *voluntates* in hac expositione significant negotia, quae respiciunt vitam temporalem, ejusque subsistentiam, Italicè *Interessi*.

„ *te haereditatem Jaacobi patris tui*, non ut Abrahamo, cui dictum „ fuit *surge, ambula per terram in longitudinem ejus, & in latitudinem ejus*, Genes. 13. v. 17. neque ut Isaaco, cui dictum est *quia* „ *tibi & semini tuo dabo universas terras istas*, Genes. 26. v. 3. sed „ ut Jaacobo, cui dictum fuit *& multiplicaberis ad Occidentem & ad* „ *Orientem, & ad Aquilonem & ad Meridiem*: Genes. 28. v. 14. „ *quia os Domini loquutum est*, postquam Dominus loquutus est, ipse ratificat verbum suum.

JESAIAE CAP. LIX.

1. ECce non abbreviata est manus Domini a salvando:
neque aggravata est auris ejus ab audiendo. 2.
Verùm iniquitates vestrae fuere dividentes inter vos &
inter Deum vestrum: & peccata vestra abscondere fecerunt faciem a vobis ab audiendo. 3. Nam manus vestrae
pollutae sunt in sanguine, & digiti vestri in iniquitate:
labia vestra loquuta sunt mendacium, lingua vestra iniquitatem effatur. 4. Non est clamans propter justitiam,
neque est judicatus in veritate: confidere in vanitate, &
loqui falsitatem, concipere perversitatem, & parere iniquitatem. 5. Ova basilisci ruperunt, ac telas araneae texent: qui comedit de ovis eorum morietur, & quod fractum *compressum est*, findetur *in* basiliscum. 6. Telae eorum non erunt in vestimentum, neque operient se cum
operibus suis: opera eorum opera iniquitatis, & opus
violentiae *rapinae* in manibus eorum. 7. Pedes eorum ad
malum current, & festinabunt ad effundendum sanguinem
innocentem: cogitationes eorum cogitationes iniquitatis,
vastatio & contritio in semitis eorum. 8. Viam pacis non
cognoverunt, & non est judicium in orbitis eorum: semitas suas perverterunt sibi, omnis ambulans in ea nescit
pacem. 9. Quapropter elongavit se judicium a nobis, &
non apprehendit nos *accedit ad nos* justitia: expectamus
lucem, & ecce tenebrae; splendores, & in caliginibus
ambu-

ambulamus. 10. Palpamus tamquam caeci parietem, & veluti absque oculis attrectamus: impegimus in meridie ut *in* crepusculo, in locis desolatis tanquam mortui. 11. Strepimus tanquam ursi omnes nos, & veluti columbae gemendo gemimus: expectamus judicium, & non *fit*, salutem, *&* elongavit sese a nobis. 12. Quia multiplicatae sunt praevaricationes nostrae coram te, & peccata nostra respondit *responderunt* contra nos: etenim praevaricationes nostrae nobiscum, & iniquitates nostras cognovimus. 13. Praevaricari & mentiri in Dominum, & retrocedere retrorsum a Deo nostro: loqui oppressionem ac perversitatem, concipere & meditari ex corde verba falsitatis. 14. Et aversum est retrorsum judicium, & justitia a longe stetit: quia impegit in platea veritas, & rectitudo non potuit ingredi. 15. Et defecit veritas, & recedens a malo diripitur: & vidit Dominus, & malum fuit in oculis ejus, quia non est judicium. 16. Et vidit, quòd non esset vir *quispiam*, & obstupuit, quòd non esset qui deprecaretur: & salutem fecit sibi brachium ipsius, & justitia ejus ea substentavit ipsum. 17. Et induit justitiam sicuti loricam, & galeam salutis in capite suo: & induit vestimenta ultionis vestem, & amicivit se sicuti pallio zelo. 18. Sicuti propter retributiones, ita reddet aestum irae hostibus suis, retributionem inimicis suis: insulis retributionem reddet. 19. Et timebunt ab occasu nomen Domini, & ab ortu Solis gloriam ejus: quum venerit ut flumen hostis, spiritus Domini erit vexillifer in eo *eum*. 20. Et veniet ad Tzionem redemptor, & ad redeuntes a praevaricatione in Jaacobo: ait Dominus. 21. Et (ego) hoc pactum meum cum eis, dixit Dominus, spiritus meus, qui *est* in te, & verba mea, quae posui in ore tuo, non recedent ab ore tuo, & ab ore seminis tui, & ab ore seminis seminis tui, ait Dominus, ex nunc & usque in saeculum.

COM-

COMMENTARIUS.

V. 1. *Ecce non abbreviata est*: postquam perfecit docere eos opera bona, & hortari eos, ut recederent ab operibus malis, iterum redit ad reprehendendum eos ob pravitatem operum ipsorum, & ait, quòd injuriâ murmurant contra Deum dicentes *Ut quid jejunavimus, & non vidisti? cap. sup. v.* 3. dicit enim eis, non respexit Deus jejunium vestrum, neque liberavit vos ab inimicis vestris, non quòd abbreviata sit manus ejus a salvando, neque quòd aggravata sit auris ejus ab audiendo, ipse enim audit clamorem vestrum, ejusque in manu est servare vos, sed quia iniquitates vestrae in caussa fuerunt vobis, quum illae separationem ponant inter vos & inter eum, ideoque perinde est, ac si ille non audiat, aut non sit facultas in manu ejus liberandi vos propter iniquitates vestras. הסתירו transitivum in tertium.

V. 2. *Verùm*: explicatum est.

V. 3. *Nam manus vestrae pollutae sunt in sanguine*: i. e. in effusione sanguinis innocentis. *& digiti vestri in iniquitate*, scilicet immittendo digitum, & percutiendo cum pugnis *cap. sup. v.* 4. *&* 9. *& labia vestra*, ecce iniquitas in opere ac in sermone. Vox נגאלו composita est ex conjugationibus Niphal & Pual; causam verò compositionis scripsimus in libro Miclol, & significatio ejus est significatio pollutionis, ex illo *panem pollutum*, *Malach.* 1. *v.* 7.

V. 4. *Non est clamans*: scilicet ne unus quidem ex eis clamat ad socium suum, ut arguat eum propter justitiam: Jonatan vertit *Non est qui oret in veritate, neque qui judicet in fide*, etenim judex pervertit judicium ejus. *confidere in vanitate*, dum loquitur cum proximo suo mendacium, eo quòd non sit cor ejus cum eo, ut os ipsius, confidit in vanitate, quia reputat in corde suo, quòd non revelabitur proximo suo, si loquatur cum falsitate, verùm nonne palam constat coram Deo? immo etiam proximo suo palam fiet una die ex operibus suis, ideo confidentia ejus est in vanitate. *concipere perversitatem*, assimilat cogitationem conceptui, sermonem verò & operationem partui. והוליד scriptum est cum Jod protractionis.

V. 5. *Ova*: assimilat praeterea cogitationes & opera eorum ovis basilisci, ex quibus, quando rumpuntur, exeunt basilisci; sic cogitationes eorum pravae & opera eorum mala. *ruperunt*, scilicet aspides rumpunt ea, ut ovum pulli, quod perfodit cum naso (rostro) suo, & rumpit corticem paulatim, donec egrediatur, sic ipsi assuefaciunt & occupant cor suum jugiter in cogitationibus pravis, donec proferant eas ad actum. *ac telas araneae*, tales scilicet, quas texit aranea, in quibus non est utilitas, neque subsistentia, neque duratio, sic opera eorum.

eorum non proderunt ipsis. *qui comedit de ovis eorum*, iterum redit ad aspidis ova, quae commemoraverat, & ait, sicut is, qui comedit aspidis ova, moritur absque dubio, ita is, qui sese consociat cum illis eorumque operibus, morietur. והזורה habet Saegol pro Kametz sub Resc, & est juxta formam illius *in ore Absalonis erat positum*, 2. *Sam.* 13. *v.* 32. habet autem Saegol pro Kametz, veluti *& morabitur in medio domus ejus*, *Zach.* 5. *v.* 4. quod est pro ולנה cum Kametz; significatio verò ejus est juxta illud *Et obliviscitur, quòd pes franget ea*: *Job.* 39. *v.* 15. ubi loquitur de ovis aspidis, quando franguntur pedibus. Ait igitur, si quis comedat de ovis aspidis, moritur, & ita si comprimat ea pes ejus, rumpentur, & egredietur aspis, qui interficiet eum; sic quicumque consociat se cum iniquis, quacumque in re accedat ad illos, interficient ipsum. אפעה idem est ac צפעוני, aspis enim duobus hisce nominibus enunciatur, & ita vertit Jonatan utrumque חיון חורמנין: illud verò והזורה תבקע אפעה interpretatur *& calefaciunt*, *& educunt aspides volantes*.

V. 6. *Telae eorum*: telae eorum sunt ut telae araneae, quae aptae non sunt ad faciendum ex eis vestimentum, & ad operiendum se cum illis, sic non operient se illi cum operibus suis in adventu calamitatis super ipsos, propterea quòd opera eorum sunt opera iniquitatis.

V. 7. *Pedes eorum*... *& festinabunt*: etiamsi quis reus mortis sit, tamen debet judex corroborare judicium suum, neque festinabit in judiciis animarum; ipsi verò festinant ad effundendum sanguinem innocentem. (*a*)

V. 8. *Viam pacis non cognoverunt*: quia non ambulaverunt in ea. *perverterunt sibi*, ipsi perverterunt vias suas sibimetipsis, quandoquidem offendunt in illis.

V. 9. *Quapropter*: versus hi usque ad *Et vidit, quòd non esset vir*, *v.* 16. sunt verba Prophetae in persona filiorum exilii hujus, quia propter iniquitatem patrum unà cum iniquitate filiorum prolongatum est exilium hoc, plerique enim Israelitarum reversi adhuc non sunt, ex quo migraverunt in migratione priori; & ita dixit Jeremias Propheta *Patres nostri peccaverunt, & non sunt, & nos iniquitates eorum portavimus*. *Thr.* 5. *v.* 7. item dixit David in persona filiorum exilii *Ne memineris nobis iniquitatum priorum*, *Ps.* 79. *v.* 8. Ait igitur, propterea quòd multiplicaverunt patres nostri malefacere, idcirco nos adhuc hodie versamur in exilio, & ecce Deus judicat nos mensura pro mensura: ipsi longè amandarunt judicium justitiam & pacem, ideo elongavit se judicium a nobis. *& non apprehendit nos justitia*, quia ex proprietatibus Creatoris est visitare iniquitatem patrum in filiis, quando tenent opus patrum suorum in manibus suis. *expectamus lucem*, quotidie expectamus lucem, scilicet salutem, quae est lux, & ecce

(*a*) Vide supra *Cap. I. vers.* 21. *in fine*.

ecce tenebrae, ſc. exilium: deinde repetit rem cum vocabulis diverſis.

V. 10. *Palpamus tanquam caeci parietem* נגששה idem ac נמששה, ex illo *Et erit palpans in meridie*, *Deut.* 28. *v.* 29. calamitates verò, quss patimur in exilio, ſunt tenebrae & cecitas. *in locis deſolatis tanquam mortui*, quandoquidem reputati ſumus, perinde ac ſi eſſemus ſepulti inſtar mortuorum. Quoad vocem באשמנים ſentit dominus Pater meus b. m. quòd Nun ſit addititium, & radix ejus ſit אשם, ex illo *Deſolabitur Someron*, *Hoſ.* 14. *v.* 1. ſcilicet ex ſignificatione deſolationis, quum ſepulchra ſint loca deſolationis. Jonatan etiam vertit *clauſum eſt ante nos, ſicut clauduntur ſepulchra ante mortuos*.

V. 11. *Strepimus tanquam urſi omnes nos:* vox urſorum eſt in voce ſtrepitus & ejulatus, & ita columbae garriunt in voce ejulatus, etenim הגיגה & יללה invenimus in hac ſignificatione, i. e. in voce ejulatus, & ita dicit *veluti columbae vallium univerſi gementes*, *Ezech.* 7. *v.* 16. Jonatan vertit *Fremuimus propter inimicos noſtros, qui congregantur contra nos quaſi Urſi*.

V. 12. *Quia multiplicatae ſunt praevaricationes noſtrae*, unà cum praevaricationibus patrum noſtrorum, initio enim dixerat, quòd ob praevaricationes patrum evenit prolongatio exilii, nunc verò addit, & ait, non propter praevaricationes patrum ſolummodo, neque propter praevaricationes filiorum tantùm, ſed illi & hi cauſſam praebuerunt. Ait *coram te*, quia nos confitemur in exilio iniquitates noſtras, quae ſunt patentes ac notae in conſpectu tuo, idcirco ait *coram te*, non ſicuti patres, qui dictitabant *non Dominus videt nos*, *Ezech.* 8. *v.* 12. *& peccata noſtra reſpondit contra nos*, ait *peccata noſtra* in numero plurali, & *reſpondit* in numero ſingulari, volens dicere, unumquodque ex peccatis noſtris teſtificatum eſt contra nos, ſiquidem in poenam iniquitatum noſtrarum veniunt nobis anguſtiae; ſic adhibetur Verbum ſingulare cum nomine plurali in locis iſtis *& oculi ejus fletis*, 1. *Sam.* 4. *v.* 15. *Et venit ad me viri*, *Ezech.* 14. *v.* 1. *Capta eſt civitates*, *Jer.* 48. *v.* 41. *non nutabit greſſus ejus Pſ.* 37. *v.* 31. & ſimilia his. *nobiſcum*, quia nos cognoſcimus eas, & confitemur eas; poſtea repetit eamdem rem dicens *& iniquitates noſtras cognovimus*.

V. 13. *Praevaricari & mentiri in Dominum:* utrumque eſt Makor, item *retrocedere*, *loqui*, *concipere*, *meditari* ſunt Makor, vel נסוג eſt ex Quieſcentibus Ain, & Nun eſt ſignum Conjugationis Niphal, veluti *Non vertit ſe retrorſum cor noſtrum*; *Pſ.* 44. *v.* 19. Senſus verò *τῶ & mentiri* non eſt hìc, ut iſtic *Mentiti ſunt in Dominum*, *& dixerunt, non eſt ipſe: Jer.* 5. *v.* 12. quandoquidem dixit verſ. ſup. *coram te*, quaſi dicat, quòd ipſe cognoſcit nos, & opera noſtra; verùm *& mentiri in Dominum* hìc ſignificat, quòd quum quis mentitur in proximum ſuum, perinde eſt, ac ſi mentiatur in Dominum, ſic dictum eſt *& praevaricata fuerit praevaricationem in Dominum*, *& mentitus fuerit in proximum ſuum Lev.* 6. *v.* 2. *& retrocedere retrorſum a Deo noſtro*, hoc eſt contrarium illi *Poſt Dominum Deum ve-*

 ſtrum

strum ambulabitis, *Deut.* 13. *v.* 4. quando enim quis mentitur in proximum suum, qui fecit apud ipsum depositum, aut mutuum ei dedit absque testibus, perinde est, ac si mentiatur in Dominum, qui testis est inter eos: vel istud *in Dominum* intelligendum est quemadmodum vertit Jonatan *in verbo Domini*, quasi dicat, mentitur in praeceptum ejus, quia praecepit ei *& non negabitis*, *& non mentiemini quisque in proximum suum*. *Lev.* 19. *v.* 11. Radix vocis istius ונסוג est נסג, & significat retrocessionem, more illius, qui revertitur retrorsum, sic *Et aversum est retrorsum judicium*, *v. seq. ac perversitatem*, h. e. loqui perversitatem, nam סרה significat perversitatem. *concipere*, veluti *concipere perversitatem*, ut est superius *v.* 4. qua in voce He habet Cholem, sed aliàs proprietas requirit Kametz; ita etiam in והגו, cujus radix est הגה, He pariter habet Cholem pro Kametz, idemque significat, ac illud *concipere perversitatem*, quod superiùs explicavimus *d. v.* 4. Id autem, quod cogitant in corde suo, & proferunt e cogitatione ad sermonem, & etiam ad operationem, h. e. cogitationes & verba & res eorum sunt mendacia. Dominus verò Pater meus, cujus memoria sit in benedictione, interpretatur הרו juxta illud *Et ad docendum filios Israelis*: *Lev.* 10. *v.* 11. cujus radix est ירה.

V. 14. *Et aversum est*: ait metaphoricè, quòd judicium reversum est retrorsum, quia non est ei locus inter eos, & ita justitia a longe stat, neque appropinquat ad eos. Judicium verò est judicare inter duos collitigantes, justificando justum, & condemnando reum: justitia est praebere pauperi (*a*), eique mutuare, item beneficentia, & rectitudo mensurarum tam pro pauperibus, quàm pro divitibus: veritas est loqui veritatem, neque mentiri adversus proximum in deposito, aut in positione manus (*b*), & in similibus hisce, neque aliud in ore habere, aliud in corde. Caput verò fidei est, ut confiteatur Deum & praecepta ejus: ונכוחה significat rectitudinem, ut sit rectus in viis suis, & in eo, quod vertit inter eum ejusque socium, neque amet se magisquam proximum suum, ut dictum est *& diliges proximum tuum sicut te ipsum*: *Lev.* 19. *v.* 18. & sit rectus cum omni homine ex quocunque populo sit. Dicit autem *in platea*, quia in abscondito erant inter eos viri fidei ac veritatis, sic ait Jeremias *& quaerite in plateis ejus*, *an sit faciens judicium*, *& quaerens veritatem*, *Jer.* 5. *v.* 1. viri enim fidei ac veritatis latebant, neque se ostendebat in conspectu aliorum, quia erant contempti & viles in oculis eorum. Jonatan משפט

(*a*) Vox צדקה significat *justitiam*, & *eleemosynam*; hinc palam fit, cur eleemosyna enuncietur *justitiae* nomine in Evangelio *Attendite*, *ne justitiam vestram faciatis coram hominibus*. *Matth.* 4. *v.* 1. Vide Marraccium *in notis ad Suram II. Alcorani*.

(*b*) De his vide *Lev. cap.* 5. *v.* 21. ubi verba *in positione manus* Chaldaeus interpretatur de societate manus, h. e. commercio, in quo quis manum ponit cum socio, ut unà invicem negotientur, quemadmodum exponit Aben Ezra.

מ״ש פם reddit *facientes judicium*, וצדקה *facientes justitiam* vel *eleemosynam*, אמת *facientes veritatem*, i. e. veraces, ונכוחה *facientes fidem*, h. e. fideles.

V. 15. *Et defecit veritas*: quia non invenitur inter eos generaliter, perinde est, ac si non fuerit unquam. *& recedens a malo diripitur*, talis non invenitur, proinde ac si depraedati sint atque diripuerint eum a Mundo. *& vidit, & malum fuit in oculis ejus, quia non est judicium*, commemorat judicium, & omittit alia, quia hoc durissimum est omnium, si enim non sit judicium, cessat bonus hominum ordo, neque subsistit Orbis. Dixerunt Magistri nostri b. m. „ Quanta sit inju-„ riae vis, ex eo patet, quòd licèt generatio diluvii transgressa fuerit „ omnia, tamen non obsignatum fuit contra eam decretum judicii nisi „ ob injuriam, dictum enim est *quia repleta est terra injuria a facie* „ *eorum*: *Genes.* 6. *v.* 13.

V. 16. *Et vidit, quòd non esset vir*: invenimus in Lege *Et conversus fueris usque ad Dominum Deum tuum, & audieris vocem ejus .... Et reducet Dominus Deus tuus captivitatem tuam, & miserebitur tui. Deut.* 30. *v.* 2. *&* 3. item *Et quaeretis inde Dominum Deum tuum, & invenies, quum quaesieris eum in toto corde tuo, & in tota anima tua. Deut.* 4. *v.* 29. videtur inde, quòd per poenitentiam eveniet congregatio exulum. Jesaias verò dixit *Et vidit, quòd non esset vir .... & salutem fecit sibi brachium ipsius, &c.* pariter ait *Et aspexi, & non est auxiliator, cap.* 63. *v.* 5. item dixit *Vias ejus vidi &c.* ut explicavimus superiùs *cap.* 57. *v.* 18. Et Ezechiel ait *non propter vos ego facio, Domus Israelis &c. Ezech.* 36. *v.* 22. pariter ait *Et educam vos de populis &c. Ezech.* 20. *v.* 34. item *Et repurgabo ex vobis rebelles & praevaricantes in me, de terra habitationum suarum educam eos, & ad terram Israelis non venient*: *Ezech.* 20. *v.* 38. & etiam in Lege dicit *Et recordabor eis pacti primorum &c. Lev.* 26. *v.* 45. Videmus inde, quòd per misericordiam Dei & ob merita patrum egredientur, non autem ob merita propria. In Verbis pariter Magistrorum nostrorum b. m. videmus, quòd dubii ac perplexi fuere in hoc, num egredientur per conversionem, an non, & dixerunt „ Ait R. Jochanan, non veniet fi-„ lius Davidis, h. e. Messias, nisi in generatione, quae tota justa sit, „ aut in generatione, quae tota improba sit: in generatione, quae tota „ improba sit, quia scriptum est *Et vidit, quòd non esset vir, & obstu-„ puit, quòd non esset qui deprecaretur*, ac deinde *& salutem fecit sibi „ brachium ipsius*: in generatione, quae tota justa sit, quia scriptum est „ *Et populus tuus omnes ipsi justi, in saeculum haereditabunt terram*: *Jes.* „ 60. *v.* 21. „ Praeterea dixerunt „ R. Jehosuas filius Levi novam „ proponit objectionem: scriptum est *& ecce cum nubibus Coeli tan-„ quam filius hominis veniebat*: *Dan.* 7. *v.* 13. & alibi scriptum est „ *humilis & equitans super asinum, Zach.* 9. *v.* 9. quomodo conci-„ liantur hujusmodi textus? si habebunt merita, veniet cum nubi-„ bus Coeli; si verò carebunt meritis, erit humilis & equitans super

 „ asi-

„ asinum „ Insuper in Verbis eorumdem „ R. Eliezer dicit, si face„ rent Israelitae poenitentiam, statim redimerentur, dictum enim est „ *Convertimini filii rebelles*, *Jer.* 3. *v.* 22. Respondit ei R. Jehosuas, „ nonne jam dictum fuit *gratis venumdati estis* (propter idololatriam) „ *& non in argento redimemini*. *Jes.* 52. *v.* 3.? sed per conversionem „ & opera bona „ Videmus inde, quòd ipsi dubii fuerunt, num eventura sit congregatio migrationum per conversionem, an non, idque propter discrepantiam textuum. Possumus verò quaestionem solvere hujusmodi textuum dicendo, quòd plerique Israelitarum convertentur in poenitentia, postquam videbunt signa redemptionis, & idcirco dicit *Et vidit, quòd non esset vir*, quia non convertentur ad poenitentiam, donec videbunt principium salutis, & tamen usque adhuc erunt inter eos praevaricatores & rebelles, & egredientur ab exilio universaliter cum plerisque Israelitarum conversis in poenitentia, sed deficient in itinere, quia non ingredientur in terram Israelis. Dum igitur ait *Et vidit, quòd non esset vir*, intelligit universitatem Israelitarum, qui non convertentur in poenitentia perfecta, neque deprecabuntur Deum in corde recto, donec videbunt signa redemptionis. Dicit *vir* de universitate Israelitarum, veluti *Et vir Israelis juravit in Mitzpa*, *Jud.* 21. *v.* 1. ubi erant universi Israelitae, quia vero simile non est, quòd futurus non sit vir unus & alter in Israele justi & boni, qui digni redemptione habeantur, sed non tales, qui redimere possint universum Israelem cum meritis suis. Et ita id, quod dixerunt Magistri nostri b. m. de generatione tota improba, intelligendum est de majori parte illius, quia numquam fuit in Israele generatio ulla omnino improba, quin fuerint inter eos justi & boni, ac etiam de peccatoribus non dixerunt, quòd erunt omnes omnino consumptione digni, parce & pax sit (a), sed quòd non erunt redemptione digni. וישתומם significatio stuporis & admirationis cordis, & ita *Quemadmodum obstupuerunt super te multi*, *Jes.* 52. *v.* 14. *obstupefactus est in hora una*, *Dan.* 4. *v.* 16. מפגיע significatio orationis & deprecationis, veluti *& ne depreceris me*: *Jer.* 7. *v.* 16. *& salutem fecit sibi brachium ipsius*, eoquod non sit auxiliator & substentator cum eo nisi potentia & justitia ipsius tantùm, quia opus viri ejusque justitia quodammodo auxiliantur & fulciunt servatorem ipsius. Dicit *brachium ipsius*, & postea *justitia ejus*: ait *brachium ipsius* respectu gentium ad sumendam vindictam de illis dicentibus *Numquid auferetur a forti captura*? ut explicavimus *cap.* 49. *v.* 24. dicit *justitia ejus* respectu patrum, recordatur enim foederis sui cum illis eorumque semine post eos, & facit cum eis justitiam ad liberandos eos ab exilio. Dum verò ait *& salutem fecit sibi*, vult dicere *sibimetipsi*, & ratio est, quia domino incumbit servare famulum suum de manu illorum, qui apprehenderunt eum, duramque servi-

tutem

(a) Haec est loquutio Rabbinorum, quando infaustum aliquod verbis amoliuntur. Communiter id abbreviatè scribunt ח"ו: vide amplius in Abbreviaturis Buxtorfii.

tutem exigunt ab eo, quemadmodum faciunt contra nos hodie gentes Mundi, & in salvatione famuli servabitur dominus, h. e. magnificabitur nomen ejus, & ita *salvum fac dextera tua, & exaudi me*. *Ps.* 60. *v.* 7.

V. 17. *Et induit justitiam*: instrumenta ejus erunt duplicis speciei, quod dicit metaphoricè: instrumenta justitiae & salutis pro Israelitis, instrumenta verò vindictae pro gentibus. Assimilat autem instrumenta salutis instrumentis belli, qualia sunt scutum, lorica, & galea, quia proteget Israelitas in exilio, & in eorum exitu ab exilio proteget ab inimicis, ne noceant ipsis. Lorica verò & galea non induuntur nisi spatio unius horae circiter, quantum est tempus pugnae, salus autem protrahetur a principio ejus usque dum fuerint Israelitae in terra sua, & per totum tempus belli Gogi & Magogi. Assimilat instrumenta ultionis & zeli vestimentis & pallio, quae induit homo qualibet hora, quia in omnibus diebus saeculi erunt gentes Mundi servae Israelitis, qui dominabuntur illis, qui odio habent ipsos, & alienigenae erunt agricolae & vinitores eorum, eaque erit ultio & zelus propter servitium, quod exigunt ab Israelitis per omnes dies exilii. תלבשת nomen substantivum, quod reponit post Verbum ad corroborandam rem, veluti *& jejunavit David jejunium*, 2. *Sam.* 12. *v.* 16. *Iratus est Dominus contra patres nostros iracundia*. *Zach.* 1. *v.* 2. *& praevaricata fuerit praevaricationem Lev.* 6. *v.* 2. *ut jugules jugulationem Ezech.* 21. *v.* 10. & similia his. כמעיל Mem legitur raphatum, scilicet absque Daghesc, quod non est secundum regulam generalem, sed alia repetiuntur exempla huic similia.

V. 18. *Sicut propter retributiones*: quemadmodum induit zelum propter retributiones, quas retribuit Pharaoni, Sancheribo, aliisque Israelis hostibus, sic induet zelum, quando educet eos ex illorum captivitate; & ad corroborandum significatum adhuc idem geminat dicens *ita reddet*, quemadmodum reddit illis retributiones, sic reddet iram hostibus suis. Ecquid est hujusmodi redditio irae hostibus suis, & retributio inimicis suis? retributionem mali, quod fecerunt Israelitis, reddet illis; deinde repetit eamdem rem dicens *insulis retributionem reddet*, scilicet insulis gentium. Meminit autem insulas, quia Israelitae in exilio dispersi sunt per universas insulas, quae omnes mala inferunt Israelitis, & omnibus istis reddet Deus retributionem.

V. 19. *Et timebunt*: postquam reddiderit retributionem, timebunt eum universus Mundus ab Occidente & ab Oriente, h. e. in toto terrarum orbe. *quum venerit ut flumen hostis*, dominus Pater meus f. m. interpretatur vocem יבא juxta illud *& occumbet Sol, & mundabit se*: *Lev.* 22. *v.* 7. ait, occumbet ac mergetur hostis, neque apparebit amplius, ut flumen, postquam ingressum est in mare, tunc enim non videtur amplius; נוססה verò interpretatur in significatione fugae, & ait, spiritus Domini fugabit hostem, adeout non videatur amplius (nam secun-

e cundum eum נוססה est ex conjugatione quadrata, ejusque radix est נוס) & tunc veniet ad Tzionem redemptor *v. seq.* In Verbis Magistrorum nostrorum, quorum memoria sit in benedictione „ Si vidisti generationem, super quam sint angustiae multae, expecta eum, quia „ dictum est *quum venerit ut flumen hostis &c.* & postea scriptum est „ *Et veniet ad Tzionem redemptor, vers. seq.* „ Possumus etiam sic interpretari, quòd istud *quum venerit ut flumen hostis* sit veluti ratio illius, quod dicit *Et timebunt ab Occasu &c.* scilicet ratio, cur timebunt Dominum, erit, quia veniet ut flumen hostis, veniet enim Gogus & Magogus (& hic est hostis) in terram Israelis tanquam flumen vehementer currens, & tunc spiritus Domini eriget vexillum in eum, & conficiet eum ex Mundo, quemadmodum dictum est in prophetia Ezechielis & in prophetia Zachariae, & tunc veniet ad Tzionem redemptor *v. seq.* quia licèt futuri sint Israelitae in Jerosolyma, antequam veniat Gogus & Magogus, tamen postquam venerit, dicent, quòd non venit ipsis redemptor, quandoquidem nationes Mundi venient, ac praeliabuntur adversus eos. Postquam verò judicaverit eum Deus ibi in peste & sanguine, & pluvia inundanti, & lapidibus grandinis immanis, tunc dicent, quòd venit ad Tzionem verè, & ad redeuntes a praevaricatione in Jaacobo, quia tum convertentur universi Israelitae in poenitentia perfecta. ונוססה ex significatione vocis נס, i. e. vexilli, juxta illud *sicut dissolvitur vexillifer. Jes.* 10. *v.* 18. quia mos est Mundi, ut vexillifer (antesignanus πρόμαχος) primus percutiat in exercitu eum, qui contra se est. Spiritus ergo Domini erit vexillifer in eo, & percutiet exercitum Gogi & Magogi, & hac ratione vertit Jonatan *quoniam venient quasi inundatio fluminis Euphratis tribulationes, & in verbo Domini conterentur.*

V. 20. *Et veniet ad Tzionem redemptor:* explicatum est. ולשבי habet accentum in ultima.

V. 21. *Et (ego) hoc pactum meum cum eis:* ita explicat sapiens R. Abrahamus filius Ezrae, pactum hoc, quod feriam cum illis, est spiritus prophetiae, qui erit in eis, idque est, quod ait *spiritus meus, qui in te, & verba mea, quae posui in ore tuo*, repetitio ejusdem rei, idque est juxta illud, quod scriptum est *Et erit post haec effundam spiritum meum super omnem carnem, &c. Joel* 3. *v.* 1. & prophetia non cessabit ab eis in saeculum, idque est, quod ait *non recedent ab ore tuo &c.* quod dicit veluti coram Israele. Dominus verò Pater meus, cujus memoria sit in benedictione, ait *pactum meum* esse legem, quae data fuit in pacto, & quam promisit iis non recessuram de ore ipsorum in perpetuum, & erit pactum res stabilis, quum omne pactum sit stabilitas rei. Sed juxta meam sententiam interpretatio hujusce versus haec est: ait *Et ego*, scilicet & ego sperare eos facio in hoc, nimirum quia dixerat *& ad redeuntes a praevaricatione in Jaacobo v. sup.* (erunt enim absque iniquitate, mundi ac puri ab omni praevaricatione) idcirco

co ait, hoc erit pactum meum cum eis, quemadmodum ait Jeremias: *& feriam cum domo Israelis, & cum domo Jehudae pactum novum &c. Jer.* 31. *v.* 31. & paulo post *dabo legem meam in medio eorum, & in corde eorum scribam eam* : *v.* 33. ac deinde *nam omnes ipsi cognoscent me a minimo eorum & usque ad maximum eorum, v.* 34. idque est, quod ait *spiritus meus, qui in te*, hic est spiritus mundus, quem ponam in medio eorum, ne peccent amplius, idque est, quod ait Ezechiel *Et spiritum meum dabo in medio vestri, & faciam, ut in statutis meis ambuletis &c. Ezech.* 36. *v.* 27. idque idem est, quod hic ait Jesaias *spiritus meus, qui in te*, hujusmodi enim spiritus fuit in Propheta, cui dicit talem spiritum tunc futurum Israelitis. *& verba mea*, quemadmodum disposita sunt in ore tuo. Dicit autem veluti coram Israele *non recedent de ore tuo*, scilicet postquam posuero ea in ore illorum, non recedent amplius de ore tuo, neque de ore seminis tui in saeculum.

JESAIAE CAP. LX.

1. SUrge illuminare, quia venit lux tua: & gloria Do-
mini super te orta est. 2. Quoniam ecce tenebro-
sitas operiet terram, & caligo nationes: super te verò
orietur Dominus, & gloria ejus super te videbitur. 3. Et
ambulabunt gentes ad lumen tuum: & reges ad splendo-
rem ortus tui. 4. Eleva in circuitu oculos tuos, & vide;
omnes illi congregati sunt, venerunt ad te: filii tui
de longe venient, & filiae tuae juxta latus nutrientur.
5. Tunc videbis & splendebis, & pavebit & dilatabitur
cor tuum: quando convertetur super te copia maris,
opes gentium venient tibi. 6. Affluentia camelorum ope-
riet te, dromedarii Midjanis & Ephae, omnes isti de
Seba venient: aurum & thus deferent, & laudes Domi-
ni annunciabunt. 7. Omne pecus Kedar congregabuntur
tibi, *in* arietibus Nebajoth ministrabunt tibi: ascendere
facient super beneplacitum Altare meum, & Domum glo-
riae meae glorificabo. 8. Quaenam istae, quae ut nubes
volabunt *volant*, & sicut columbae ad fenestras suas? 9.
Quia

Quia me insulae expectabunt, & naves Tarsis *ut* in principio, ad adducendum filios tuos de longe, argentum eorum & aurum eorum cum ipsis: nomini Domini Dei tui, & Sancto Israelis, quia glorificavit te. 10. Et aedificabunt filii alienigenae muros tuos, & reges eorum ministrabunt tibi: nam in ira mea percussi te, & in voluntate mea misertus sum tui. 11. Et apertae erunt portae tuae jugiter, die ac nocte non claudentur: ad afferendum ad te opes gentium, & reges earum vecti *erunt*. 12. Nam gens & regnum, quae non servient tibi, peribunt: & populi vastando vastabuntur. 13. Gloria Libani ad te veniet, abies teda & buxus simul: ad decorandum locum Sanctuarii mei, & locum pedum meorum glorificabo. 14. Et ibunt *venient* ad te *cum* incurvatione filii affligentium te, ac prostrabunt se super plantas pedum tuorum omnes spernentes te: & vocabunt te Civitatem Domini, Tzionem Sancti Israelis. 15. Pro eo quòd fuisti derelicta & exosa, & absque ullo transeunte *per te*: (&) ponam te in elationem saeculi, gaudium generationis & generationis. 16. Et suges lac gentium, & mammâ regum lactaberis: & scies, quòd ego Dominus salvator tuus, & redemptor tuus, fortis Jaacobi. 17. Pro aere afferam aurum, & pro ferro afferam argentum, & pro lignis aes, & pro lapidibus ferrum: & ponam tributum tuum pacem, & exactores tuos justitiam. 18. Non audietur ultra injuria in terra tua, vastatio & contritio in terminis tuis: & vocabis salutem muros tuos, & portas tuas laudem. 19. Non erit tibi amplius Sol in lucem interdiu, & pro splendore Luna non lucebit tibi: erit enim tibi Dominus in lucem saeculi, & Deus tuus in gloriam tuam. 20. Non occidet ultra Sol tuus, & Luna tua non deficiet: quia Dominus erit tibi in lucem saeculi, & finientur dies luctus tui. 21. Et populus tuus omnes illi justi, in saeculum haereditabunt terram: surculus plantarum mearum, opus manuum mearum ad gloriandum. 22. Parvus erit

in

in mille, & pusillus in gentem numerosam: ego Dominus in tempore suo accelerare faciam illud.

COMMENTARIUS.

V. 1. S*Urge illuminare:* alloquitur Jerosolymam: אורי est Imperativum, & jam aliàs exposuimus, quòd lux est metaphora laetitiae ac prosperitatis, tenebrositas contra angustiae & calamitatis, quae ventura sit. *quia venit lux tua*, appropinquavit tempus salutis tuae, quae tibi erit lux magna; deinde repetit eamdem rem dicens *& gloria Domini super te orta est*, & ita vertit Jonatan *quia venit tempus redemptionis tuae*. Sunt qui interpretantur בא אורך *occubuit gloria tua*, juxta illud *& occumbet sol*, *Lev.* 22. *v.* 7. nimirum dicunt metaphoricè, occubuit lux tua, scilicet lux in saeculo hoc, sed erit tibi pro ea lux major, h. e. salus & laetitia, & ita dicit inferius *Non erit tibi amplius Sol in lucem interdiu*, *vers.* 19. quae omnia dicta sunt metaphoricè.

V. 2. *Quoniam ecce tenebrositas:* tenebrositas & caligo sunt metaphora angustiarum. *orietur Dominus, & gloria ejus super te videbitur*, geminatio significatus cum vocabulis diversis, quia Dominus idem est, ac gloria Domini. Sunt qui interpretantur *in gloria sua*, veluti *videbitur in gloria sua. Ps.* 102. *v.* 17.

V. 3. *Et ambulabunt gentes:* quemadmodum ait *Et ibunt populi multi, & dicent, venite, & ascendamus ad montem Domini, & ad domum Dei Jaacobi, & docebit nos vias suas, & ambulabimus in semitis ejus: Jes.* 2. *v.* 3. ob id est, quòd ambulabunt gentes ad lumen Israelis & reges ac principes earum. זרחך nomen substantivum, cujus forma simplex est זרח juxta formam vocum צמח, פרח.

V. 4. *Eleva in circuitu.... omnes illi:* scilicet filii tui & filiae tuae, ut vertit etiam Jonatan *& omnes filios populi captivitatis tuae:* venit autem demonstratio post pronomen, veluti *Et mutavit eum sermonem suum*, 1. *Sam.* 21. *v.* 13. *Et aperuit, & vidit eum puerum: Exod.* 2. *v.* 6. & similia hisce, ut scripsimus in Libro Miclol. תאמנה ex significatione illius *quemadmodum portat nutricius lactentem*, *Num.* 11. *v.* 12. & deberet Nun daghesciari propter defectum τῦ Nun radicalis, quia Nun scriptum stat pro signo numeri pluralis. Dominus verò Pater meus, cujus memoria sit in benedictione, scribit, quòd haec est vox singularis, Nun radicale, & He addititium, ut ותקרבנה *Num.* 27. *v.* 1. ותבאנה *Jes.* 47. *v.* 9. quamvis dixerit *& filiae tuae*, vult enim dicere unamquamque earum: illud verò *juxta latus nutrientur* significat, juxta latùs reginarum & principum (i. e. principissarum)

quemadmodum ſcriptum eſt *& principes* (principiſſae) *eorum nutrices tuae, cap.* 49. *v.* 23.

V. 5. *Tunc videbis:* תיראי ex ראה, multi verò erraverunt in hac voce, qui legerunt Thau cum Ghaaja, tanquam ex ירא; & re quidem vera exiſtunt libri, in quibus ſcriptum eſt cum Jod, videlicet תיראי, ſed error eſt, quia eſt ex ראה, & ita vertit etiam Jonatan *Tunc videbis, & ſplendebis*. Senſus verò eſt, videbis filios tuos, qui venient ab omni latere, & rutilabunt facies tuae, idque eſt *& ſplendebis*, quae eſt ſignificatio lucis, veluti *neque illuceat ſuper eum ſplendor. Job.* 3. *v.* 4. *Aſpexerunt ad eum, & illuminati ſunt: Pſ.* 34. *v.* 6. *& pavebit, & dilatabitur cor tuum*, iſtud *& pavebit* eſt more hominis confuſi, dum obvenit ei bonum aliquod magnum repente. *& dilatabitur*, ſcilicet propter magnitudinem proſperitatis & multitudinem populi, qui venient in te; ſicut enim anguſtiatur cor propter calamitatem tribulationem & luctum, ſic dilatatur propter felicitatem & laetitiam. *quando convertetur ſuper te copia maris*, quia fuiſti vaſtata & deſolata, nunc quidem eris in contrario, venient enim ad te populi multi adinſtar copiae maris: Jonatan vertit *& timebis, & dilatabitur cor tuum in timore peccatorum, quia transferentur tibi divitiae Occidentis, ſubſtantiae populorum afferentur ad te.*

V. 6. שפעת ſignificatio multitudinis & affluentiae, veluti *& affluentia aquarum operiet te. Job.* 22. *v.* 11. *quia affluentiam marium ſugent, Deut.* 33. *v.* 19. בכרי ſunt cameli parvi, infantuli dierum, veluti *dromedaria levis, Jer.* 2. *v.* 23. *& laudes Domini annunciabunt*, juxta Targum *& qui venient cum eis laudem Domini narrabunt*, ſcilicet mercatores afferent ſuper camelos aurum & thus, non ſolùm mercaturae gratia, ſed etiam pro munere ac oblatione regi Meſſiae & domui Domini. Dicit autem *annunciabunt*, quia erunt nationes Mundi novae in narratione laudum Domini; etenim uſque ad tempus illud erunt Iſraelitae peculiares in narratione laudum Domini. Quicumque verò narrat nova appellatur מבשר, h. e. Evangeliſta, ſeu bonus nuncius.

V. 7. *Omne pecus Kedar:* ſcilicet magna pars pecoris, veluti *Et omnis terra venerunt in Aegyptum, Geneſ.* 41. *v.* 57. Incolae Kedar & Nebajoth nutriunt utplurimum pecus, degunt enim in tentoriis, & proficiſcuntur de loco ad locum quaerentes locum paſcui. *arietibus Nebajoth miniſtrabunt tibi*, deeſt Beth ſervile, ſenſus enim eſt, in arietibus Nebajoth miniſtrabunt tibi gentes, quae afferent tibi oblationem ex illis. ישרתונך eſt vox penacuta, habet enim Atnach ſub Thau, & ideo Nun habet Saegol. *aſcendere facient ſuper beneplacitum Altare meum*, metatheſis, pro *aſcendere facient ſuper Altare meum in beneplacitum*, & ita *locum ibi ſepulchri*, pro *locum ſepulchri ibi Ezech.* 39. *v.* 11. ſenſus verò eſt, adducent munus ex eis, & ita aſcendere facient ex illis ſuper Altare meum; offerent enim ex eis oblationem Domino, aut Iſraelitae ipſi offerent ex illis. Eſt autem diſſenſio circa hoc

in Ver-

in Verbis Magistrorum nostrorum b. m. nam R. Eliezer dicit, quòd non offerimus de pecoribus gentium neque nos neque gentes ipsae, quia solliciti sumus in illis de coitu (*a*). Verùm opposuerunt hunc versum R. Eliezeri, qui deinde solvit quaestionem dicendo, omnes erunt proselyti in tempore venturo, scilicet Messiae, scriptum enim est *Quia tunc convertam ad populos labium purum, ut invocent omnes illi nomen Domini ad serviendum ei humero uno. Tzephan. 3. v. 9. glorificabo*, quia offerent ipsae gentes munus & oblationes: sensus igitur Verbi *glorificabo* est, quòd ponam in corde earum, ut glorificent eam (scilicet domum) idemque est sensus illius *convertam ad populos &c.*

V. 8. *Quaenam istae:* dicit תעופינה in genere foemineo de congregationibus Israelis ascendentibus ab exilio hinc & inde, quae citissimè venient instar nubis. Assimilat autem cursum levem volatui, quia haec est motio omnium levissima, veluti *a sagitta, quae volaverit interdiu, Ps. 91. v. 5. sicut columbae ad fenestras suas*, citius enim volant, quando redeunt ad nidos suos, quàm quum volant, dum exeunt ab illis, siquidem redire festinant ad pullos suos, quos reliquerunt, ut praebeant illis alimoniam ex eo, quod habent in ore. ארבותיהם sunt fenestrae columbarii, & Caph in כיונים habet Patach pro demonstratione Articuli ad significandas columbas illas, quae reliquerunt pullos suos in columbario.

V. 9. *Quia me insulae expectabunt:* scilicet habitatores insularum expectabunt me, quia scient me prodesse atque nocere, idcirco adducent filios tuos in locum suum, & etiamsi longè distent, tamen adducent eos in terram Israelis. *& naves Tarsis in principio*, hic deest Caph similitudinis, pro *ut in principio*, scilicet quemadmodum veniebant naves Tarsis in principio, nimirum in diebus Salomonis. *argentum eorum & aurum eorum cum ipsis*, fortasse innuit argentum & aurum Israelitarum, quasi dicat cum omnibus divitiis suis venient, neque relinquent de opibus suis quidquam in terris exilii; aut fortasse intelligit argentum & aurum gentium, ut dictum fuit de ascendentibus e Babylone *sublevabunt eum viri loci sui in argento & in auro & in substantia & in jumentis Ezr. 1. v. 4. nomini Domini Dei tui*, quia audient famam gloriae & magnitudinis ejus, quam exhibebit in educendo populum suum ab exilio, & in faciendo vindictam contra odientes eum. פארך cum Kametz sub Resc ad enunciandum genus foemineum cum suffixo masculeo, quando enim alloquitur congregationem Israelis, loquitur modò in genere masculino, modò in genere foeminino: in genere masculino habita ratione populi, in genere verò foeminino habita ratione congregationis. *glorificavit te*, scilicet ipse dedit tibi decus & gloriam hanc, ut serviant tibi gentes.

V. 10. *Et aedificabunt filii alienigenae:* praeterquamquòd colent te cum oblationibus, quas afferent tibi, servient etiam tibi in terra tua,

(*a*) Scilicet ob timorem, & suspicionem, ne cum hujusmodi animalibus coierint homines aut mulieres.

tua, aedificabunt enim muros tuos, & facient opus tuum. ישרתונך vox penacuta, ut superior *v.* 7. *nam in ira mea*, tum cognosces, quòd omnis res sive bona sive mala a me est, & non per casum, uno verbo, in tempore, quo fuit indignatio mea super te, fuisti serva servis in exilio, in tempore autem, quo erit beneplacitum meum super te, servient tibi etiam reges gentium, quantò magis igitur plebs?

V. 11. ופתחו ex conjugatione dagheſciata, & est Verbum intransitivum, veluti *aperta fit uva parva*, *Cant.* 7. *v.* 12. *non fuit aperta auris tua: Jes.* 48. *v.* 8. quasi dicat, erunt apertae die ac nocte, ut afferant ad te opes gentium. Ait veluti coram civitate Jerosolyma, ut & in tota parascia, portae tuae erunt apertae jugiter in nocte, quemadmodum in die, ut ingrediantur portantes opes gentium ad te pro munere, quia erit pax in Mundo, & ambulabunt noctu adhuc aere fusco, & ita Jonatan *ad afferendum ad te* vertit *ut afferantur ad te divitiae populorum. & reges earum vectos*, erunt vecti ad te, venient enim ad conspectum Regis Messiae, tanquam servi ad conspectum dominorum suorum. Dicit autem *vectos*, quia mos regum est, ut, quum iter faciunt, ambulent equitantes, aut pedites vehant ipsos principes honoris gratia: Jonatan נהוגים vertit *compediti*, h. e. vincti compedibus.

V. 12. *Nam gens*... חרוב יחרבו significatio vastationis: sunt qui exponunt in significatione gladii, quasi dicat *occidentur*.

V. 13. *Gloria Libani:* scilicet arbores bonae, quae in eo sunt, & postea declarat, quid sint, quemadmodum scilicet mittebat rex Tyri ad regem Salomonem. *abies, teda, & cedrus*, jam declaravimus eas in parascia *Egeni & pauperes cap.* 41. *v.* 17. 18. & 19. *ad decorandum locum Sanctuarii mei*, quia aedificabunt cum illis domum Sanctuarii. *& locum pedum meorum glorificabo*, quia domus Sanctuarii comparatur throno gloriae; si ergo thronus gloriae sedes ejus est, domus Sanctuarii est scabellum pedum ejus. Dicit *glorificabo*, quia ipse ponet in corde eorum, ut afferant.

V. 14. *Et ibunt:* שחוח nomen substantivum juxta formam istius *altitudinem staturae ejus*, 1. *Sam.* 16. *v.* 7. ex significatione illius *sub eo incurvaverunt se*, *Job.* 9. *v.* 13. *filii affligentium te*, filii affligentium te in exilio, jam mortuorum, in tempore salutis venient ad te incurvantes & prostrantes se ad conspectum tuum. *affligentium te*, scilicet affligentium filios tuos, Jerosolymam enim alloquitur. *super plantas pedum tuorum*, & super plantas pedum filiorum tuorum, h. e. super vestigium plantarum, quia planta est pars inferior. *civitatem Domini*, quia gloria Domini apparebit in ea. *Tzionem Sancti Israelis*, conjunctum est nomen ציון cum קדוש ישראל.

V. 15. *Pro eo quòd fuisti derelicta*: quia translata est gloria Domini a te. *& absque ullo transeunte*, scil. propter vastationem. *gaudium generationis & generationis*, omnibus generationibus saeculi eris gaudium.

dium, quemadmodum appellata es *Pulcher climate, gaudium universae terrae*, *Ps.* 48. *v.* 3.

V. 16. *Et suges lac gentium:* metaphoricè, quasi dicat, quòd manducabis bonum terrae gentium. ושׁד cum Cholem pro Patach, veluti *extraxerunt mammam*, *Thr.* 4. *v.* 3. quod est per similitudinem, volens dicere bonum earum, & ita vertit Jonatan *Et satiaberis divitiis populorum, & praeda regum delectaberis.*

V. 17. *Pro aere:* pro aere, quod abstulerunt a te populi, afferam aurum, quasi dicat, ponam in corde eorum, ut reddant tibi duplicia, & duplicia duplicium prae eo, quod abstulerunt a te ipsi eorumque patres. *& ponam tributum tuum pacem*, pro tributo tuo (gentes enim constituebant praefectos super Israelitis ad colligendum ex illis tributum) ponam tibi pacem & justitiam, neque erunt amplius super te praefecti & exactores.

V. 18. *Non audietur ultra injuria:* injuria, seu violentia, quam faciant tibi gentes, non audietur amplius. *& vocabis*, tunc vocabis salutem muros tuos, quia necesse non erit tibi amplius ascendere super muros, & claudere portas propter inimicum, idcirco vocabis eos salutem, rem contrariam bello, quod antea erat in portis; & ita in portis non narrabunt nisi laudes Domini. Jonatan vertit *& proclamabunt salutem super muros tuos, & super portas tuos erunt laudantes.*

V. 19. *Non erit*: jam saepe aliàs monuimus, quòd assimilat salutem & prosperitatem luci; ait igitur, tanta erit lux tua (intelligitur lux Domini, h. e. felicitas maxima) ut pro nihilo reputanda sit lux Solis & Lux lunae: totum verò est per modum metaphorae, sicut ait *& lux Solis erit septempliciter*, *Jes.* 30. *v.* 26. *in gloriam tuam*, gloriaberis enim in gloria & bonitate ejus, quam magnificabit tecum.

V. 20. *Non occidet:* etiam haec est metaphora, quae intelligenda juxta Chaldaeam Interpretationem *Non cessabit amplius regnum tuum, & gloria tua non auferetur.*

V. 21. *Et populus tuus omnes illi justi*: quia purificabit eos Deus, ut scriptum est *& purificabo eos, quemadmodum purificatur argentum*, *Zach.* 13. *v.* 9. & qui remanebunt, erunt omnes justi & sancti, ut scriptum est *Et erit relictus in Tzione, & residuus in Jerosolyma, sanctus dicetur ei: &c. Jes.* 4. *v.* 3. *in saeculum haereditabunt terram*, quia non migrabunt amplius ex ea in perpetuum, erunt enim surculus plantarum mearum, siquidem videbunt cum effectu, quòd ego plantavi ipsos, non ut in principio, dictum enim est de eis *quare expectavi ut faceret uvas, & fecit labruscas? Jes.* 5. *v.* 4. siquidem non constabat esse plantationem Domini, sed palmitem extranei. *ad gloriandum*, gloriabor enim in illis vocans populum Domini, sicut ait *Israel, quia in te gloriabor. cap.* 49. *v.* 3.

V. 22. *Parvus*: non loquitur de corpore, quisnam enim esset sensus harum vocum *parvus* & *pusillus*? sed vult innuere, quòd minima eorum tribus & familia mille vicibus major erit, quàm modò est.

Dein-

Deinde geminat rem cum vocabulis diversis juxta morem dicens *& pusillus in gentem numerosam. ego Dominus in tempore suo accelerare faciam illud*, hoc bonum, quod illis promitto, ego Dominus faciam, potestas enim est in manu mea. Ait *in tempore suo*, ac postea *accelerare faciam illud:* dixerunt Magistri nostri b. m. „ Meritum consistit „ in illo *accelerare faciam illud*, non in isto *in tempore tuo* „ Possumus etiam sic interpretari, quum appropinquaverit tempus ejus, accelerare faciam illud ad perficiendum illud velociter, etenim non protrahetur tempus, postquam initium sumpserit salus, donec perficiatur. Jonatan vertit *ego Dominus in tempore suo adducam illud*.

JESAIAE CAP. LXI.

1. SPiritus Domini Dei super me: propterea unxit Do-
minus me ad annunciandum mansuetis, misit me
ad ligandum contritos corde, ad praedicandum captivis
libertatem, & vinctis apertionem carceris. 2. Ad prae-
dicandum annum beneplaciti Domino, & diem ultionis
Deo nostro: ad consolandum omnes lugentes. 3. Ad
ponendum lugentibus Tzionis, ad dandum illis coronam
pro cinere, oleum laetitiae pro luctu, amictum laudis
pro spiritu restricto: & vocabuntur arbores *quercus* ju-
stitiae, planta Domini ad gloriandum. 4. Et aedifica-
bunt vastationes saeculi, desolationes priorum surgere fa-
cient: & innovabunt civitates vastitatis, desolationes ge-
nerationis & generationis. 5. Et stabunt extranei, & pa-
scent pecus vestrum: & filii alienigenae agricolae vestri
& vinitores vestri. 6. Et vos Sacerdotes Domini voca-
bimini, Ministri Dei nostri dicetur vobis: opes gentium
comedetis, & in gloria earum exaltabitis vosmet. 7. Pro
pudore vestro duplum, & *pro* ignominia cantabunt *in*
portione sua: idcirco in terra sua duplex haereditabunt,
laetitia saeculi erit eis. 8. Quia ego Dominus diligens
judicium, odio habens rapinam in holocausto: & dabo
opus eorum in veritate, & pactum saeculi feriam illis.

9. Et

9. Et scietur in gentibus semen eorum, & egressiones *prognati* eorum in medio populorum: omnes, qui viderint eos, cognoscent eos, quòd sunt semen, *cui* benedixit Dominus. 10. Gaudendo gaudebo in Domino, exultabit anima mea in Deo meo, quia induit me vestimentis salutis, pallio justitiae amicivit me: sicuti sponsus, *qui* sacerdotem agat ornatu *magnificè ut sacerdos ornatum paret*, & sicuti sponsa, *quae* ornet se vasis suis *mundo suo*. 11. Quia sicut terra profert germen suum, & sicut hortus sata sua germinare facit: sic Dominus Deus germinare faciet justitiam & laudem coram omnibus gentibus.

COMMENTARIUS.

V. 1. S*piritus Domini super me:* haec sunt verba Prophetae loquentis de se ipso, ac dicentis, quòd nuncia bona, quae indicavit, quaeque dicturus est, sunt spiritus prophetiae a Domino, qui irruit super ipsum, eumque misit Deus ad annuncianda ea Israelitis mansuris in exilio tempore longo, qui invenientes consolationes hasce scriptas non desperabunt de redemptione, eo quòd ab ore Domini sint hujusmodi consolationes, qui misit me ad dicendum & scribendum eas, ut earum nuncio exhilarem filios exilii, qui sunt humiles & attriti corde, quia ferunt exilium propter Dominum. Quòd si voluissent disjungere se ab unitate & lege ejus, fuissent ut unus ex populis illis, quorum ipsi sunt in potestate. *unxit*, h. e. crescere me fecit, educavit, & constituit legatum pro hisce consolationibus, sic *& unges Chazaelem 1. Reg. 19. v. 15. unges in prophetam pro te. 1. Reg. 19. v. 16. Ne tangatis unctos meos*: *Ps.* 105. *v.* 15. quum enim constitutio regum fiat per unctionem, ideo quaelibet alia praefectura enunciatur vocabulo unctionis, quamvis re ipsa non interveniat unctio. יען *propterea*, vero enim simile est, quòd ista occasione irruerit super eum spiritus prophetiae, absque eo quod constituerit eum legatum ad annunciandam prophetiam hanc aliis, idcirco ait *Spiritus Domini super me, propterea unxit me*, quasi dicat, id, quod ego dico, per spiritum prophetiae fit, qui fuit super me, propterea quòd Deus praefecit me huic rei, ut sim legatus ad evangelizandum humilibus, ad alligandum contritos corde. פקח קוח sunt duae dictiones, verùm significatio earum est ut vocis unius, & significant aperitionem carceris. Possumus etiam declarare ut duas dictiones, scilicet quòd praedicabunt vinctis aperitionem, ac vult dicere, quòd liberabuntur a car-

a carcere suo, & ita praedicabunt illis קוח, i. e. acceptionem, cujus radix est לקח, nimirum quòd capientur e captivitate. Dominus verò Pater meus, cujus memoria sit in benedictione, interpretatur קוח nomen carceris, eo quòd capti & clausi sint ibi, quasi dicat, aperite domum carceris, ut exeant vincti: Jonatan vertit *& iis, qui vincti sunt, apparete in lucem*.

V. 2. *Ad praedicandum annum beneplaciti*: scilicet annum redemptionis, qui est annus beneplaciti seu voluntatis, veluti *& in voluntate mea misertus sum tui*. *Jes.* 60. *v.* 10. anni verò exilii fuerunt anni indignationis, quemadmodum ait *nam in ira mea percussi te*, *cit. loc.* Dies autem ultionis est dies Gogi & Magogi, quia ulciscetur Dominus de illis, & in hoc consolabitur Deus omnes lugentes; postea declarat, quinam sint isti lugentes, dicens *lugentibus Tzionis*, *v. seq.*

V. 3. *Ad ponendum .... coronam pro cinere*: quia mos est lugentis ponere cinerem in capite suo. *oleum laetitiae*, veluti *oleo laetitiae prae consortibus tuis*. *Ps.* 45. *v.* 8. & hoc ostendit, quòd altera verba *coronam pro cinere*, & *amictum laudis* sunt metaphora, quia non est amictus laudis contrarium spiritui restricto, ideo accipienda sunt in sensu metaphorico. Invenimus tamen etiam amictum & indumentum de spiritu, veluti *Et spiritus induit Amasai*, 1. *Par.* 12. *v.* 19. *oleum laetitiae pro luctu*, quia lugens non ungit se oleo, ut dictum est de Tekoaea 2. *Sam.* 14. *v.* 2. כהה nomen Toar foemineum, veluti *& ipsa restricta*: *Lev.* 13. *v.* 21. & significat spiritum restrictum ac debilitatum, sicuti *& restringetur omnis spiritus*, *Ezech.* 21. *v.* 7. spiritus enim Israelitarum restrictus & abbreviatus est in exilio. *arbores justitiae*, אילי pro אילני, quemadmodum ait *planta Domini*, & alibi *Quia pudore afficientur ab arboribus*, *Jes.* 1. *v.* 29. *ad gloriandum*, jam explicavimus *cap. sup. v.* 21.

V. 4. *Et aedificabunt vastationes saeculi*: hic deest *a te*, sed in cap. sup. 58. quod incipit *Clama in gutture*, adest, *Et aedificabunt a te vastationes saeculi*, *d. cap.* 58. *v.* 12. & ita diversus est etiam in caeteris vocibus. Sensus autem est, & aedificabunt Israelitae, arbores justitiae, ut *vers. sup.* appellati sunt, vastationes saeculi, scilicet quae fuerunt vastationes a tempore multo. *desolationes priorum*, quae videlicet fuere desolationes a generationibus prioribus, ipsi erigent eas. *& innovabunt civitates vastitatis*, civitates illas, quae fuerunt vastatae, ipsi innovabunt: versus hic geminatus est cum vocabulis diversis.

V. 5. *Et stabunt extranei*: ex semetipsis surgent e loco suo, & venient ad serviendum vobis, & pascent pecora vestra. *agricolae vestri*, cultores agrorum vestrorum. *vinitores vestri*, cultores vinearum vestrarum.

V. 6. *Et vos*: opus non erit vobis inservire operibus vestris, quia filii alienigenae facient ea, sed eritis tantummodo versi ad servien-

dum

dum Domino ut sacerdotes, qui fuere constituti ac destinati cultui domus Sanctuarii, sic eritis aversi ab occupationibus saeculi, & occupabimini tantùm in Lege Dei, & in verbis seu rebus sapientiae ad cognoscendum Dominum. *opes gentium comedetis*, praeter servitium, quod praestabunt vobis in terra sua, afferent vobis in oblationem aurum argentum & omne bonum de terra sua. Sapiens R. Abr. Aben Ezra sic interpretatur „ Et hinc erunt gentes ut Israelitae, Israelitae „ verò ut filii Aharonis Sacerdotes, quapropter opes gentium erunt „ tanquam decimae „ תתימרו magnificabitis & exaltabitis vosmetipsos in gloria eorum, h. e. in divitiis eorum. In hac voce תתימרו Jod stat pro Aleph, ut est in voce ista *Et Dominus fecit exaltare te hodie*, *Deut.* 26. *v.* 18. Jonatan reddit *delectabuntur*.

V. 7. *Pro pudore vestro*: quia tempore exilii fuistis in pudorem & in opprobrium, pro hujusmodi pudore erit vobis contrarium ejus, h. e. gloria duplo major, nimirum quia fuit vobis pudor, erit vobis gloria: Jonatan vertit *Pro eo quod confusi estis, & erubuistis, duplicia bona, quae dixi vobis, adducam vobis. & ignominia cantabunt portione sua*, praepositio *pro*, quam semel posuit, intelligitur hic repetita, scilicet & pro ignominia, quae fuit eis in exilio, cantabunt & exultabunt in portione sua bona, quam dabo illis: Jonatan vertit *& confundentur populi, qui gloriantur in portione sua. idcirco in terra sua duplex haereditabunt*, neque opus erit eis exire de terra sua mercaturae gratia, ut lucrentur divitias, quia in terra sua haereditabunt ac possidebunt de bonis Mundi duplex eo, quod fuerat illis; & hujusmodi laetitia erit eis in saeculum, quia non cessabit unquam.

V. 8. *Quia ego Dominus diligens judicium*: reddens rationem illius, quod dixerat, se daturum eis dupliciter, ait *Quia ego Dominus diligens judicium*; foret enim iniquitas, & non justitia, si Israelitis, qui sunt delectus gentium, quique adhaeserunt Domino omnibus diebus suis, & quibus protracti sunt dies exilii & calamitatis, non esset amplius spes ulla. Verùm quum ego sim Dominus diligens judicium, videlicet amans ut faciant id filii hominis, multò magis facere debeo ego ipse, siquidem etiam in cultu meo odio habeo rapinam, idque est *in holocausto*, quo eodem sensu dictum est *& attulistis raptum*. *Malach.* 1. *v.* 13. Si res ita se habet omnibus modis, quum ego diligam judicium, & odio habeam contrarium ejus, h. e. rapinam, necesse quidem est, ut retribuam eis pro eorum exilio & calamitate bonum duplo majus malo, in quo fuerunt, quum omnia pertulerint propter nomen meum, idcirco *dabo opus eorum in veritate*, videlicet mercedem operis eorum, quod operati sunt & fecerunt propter nomen meum, dabo eis in veritate. *& pactum saeculi*, pactum, cui non erit cessatio, feriam illis, non ut pactum, cujus vi eduxi eos de terra Aegypti, cui postea fuit cessatio.

V. 9. *Et scietur in gentibus*: quando iter habebunt per terras gentium deambulationis (Italicè *spasso o diporto*) aut mercaturae causa (quam-

 vis

vis non necesse erit) scientur & cognoscentur ob nimiam gloriam & magnitudinem, quae erit eis, ambulabunt enim cum vestimentis libertatis; ob myriades verò dicent de illis: hi sunt filii Israelis, hoc est semen, cui benedixit Dominus, quod dum dicent, *scietur in gentibus semen eorum, & egressiones eorum in medio populorum*, quia juvenes illi erunt, qui pro desiderio suo ibunt ad videndum terras gentium.

V. 10. *Gaudendo gaudebo in Domino*: haec sunt verba Jerosolymae juxta mentem Targumistae sic vertentis *Dixit Jerosolyma, gaudens gaudebo in verbo Domini:* vel sunt verba Israelitarum, dum revertentur ab exilio. Dominus Pater meus b. m. ita scribit: *in Domino*, scilicet in attributo misericordiarum: *in Deo meo*, scilicet in attributo judicii, & propterea geminat *Gaudendo gaudebo*. Praeterea scribit: dum commemorat attributum misericordiarum, laetantur corpus & anima simul, in attributo verò judicii exultat anima tantùm, quae est Coelestis, & recipit castigationes & eruditiones magisquam corpus. *vestimentis salutis, pallio justitiae*, per modum similitudinis, vestimenta verò sunt, quibus se induit homo, pallium, quo se involvit, idcirco ait *amicivit me* de pallio. יכהן פאר magnum efficiet decorem suum cum indumentis pulchris, Sacerdos enim, qui Deo servit, caput populi est, & inter eum magnus, idcirco magnitudo enunciatur vocabulo sacerdotii, sic *& filii Davidis sacerdotes erant*. 2. *Sam.* 8. *v.* 18. Jonatan vertit: *sicut sponsus, qui prosperatur in thalamo suo, & sicut Sacerdos magnus, qui ornatur vestimentis suis, aut sicut sponsa, quae decoratur suis ornamentis*.

V. 11. *Quia sicut terra*: adhuc assimilat salutem Israelis terrae proferenti germen suum, etenim granum in terra marcescit & corrumpitur, sed postea germinat ac renovatur, & revertitur ad id, quod fuerat, & quidem melius ac pulchrius in renovatione sua, etenim ut plurimum res nova melior est veteri. Praeterea quia de grano uno prodeunt grana quamplurima, sic Israelitae, qui fuerunt per dies multos in exilio corrupti & perditi, &. parum defuit, quin perierit expectatio eorum, germinabunt, dum appropinquabit tempus redemptionis, & fructificabunt, & multiplicabuntur, & addent supra id, quod fuerunt, in numero in gloria & in magnitudine magisquam fuerunt, duplicia duplicium. Insuper assimilat eos horto, qui germinare faciat sata sua unum post alterum, quum olera non germinent omnia simul, sed secundum anni tempora, &. innoventur in eo germina secundum anni tempora, sic Israelitis innovabitur bonum post bonum; idque erit coram omnibus gentibus, quia omnes illae scient & cognoscent esse eorum felicitatem majorem omni felicitate Mundi. זרועיה nomen substantivum, illud autem *super omne semen satum*, *Lev.* 11. *v.* 37. est nomen Toar. Dominus verò Pater meus, cujus memoria sit in beneditione, declarat, quòd quaedam bonorum sunt a Creatore benedicto, eaque est parabola *sicut terra profert germen suum*, scilicet ex se ipsa absque satione; quaedam verò, quia Israelitae semi-

narunt.

narunt ea in operibus bonis, quae fecerunt, eaque est parabola *&* *sicut hortus sata sua germinare facit*, in quo nimirum serunt, & ipse facit germinare: sic germinare faciet justitiam ex se, & laudem ex meritis Israelitarum.

JESAIAE CAP. LXII.

1. PRopter Tzionem non tacebo, & propter Jerosolymam non quiescam: donec egrediatur ut splendor justitia ejus, & salus ejus ut lampas ardeat. 2. Et videbunt gentes justitiam tuam, & omnes reges gloriam tuam: & vocabitur tibi nomen novum, quod os Domini nominabit. 3. Et eris corona gloriae in manu Domini: & cidaris regni in vola Dei tui. 4. Non dicetur tibi ultra Derelicta, & terrae tuae non dicetur amplius Desolata, quia tibi vocabitur Voluntas mea in Ea, & terrae tuae Maritata: quia complacuit Dominus in te, & terra tua maritabitur. 5. Nam *sicuti* maritatur juvenis virgini, *sic* maritabuntur tibi filii tui: & gaudio sponsi super sponsam gaudebit super te Deus tuus. 6. Super muros tuos Jerosolyma praefeci custodes, tota die ac tota nocte jugiter non tacebunt: o qui memoratis Dominum, ne *sit* silentium vobis. 7. Et ne detis silentium ei: donec stabiliat, & donec ponat Jerosolymam laudem in terra. 8. Juravit Dominus per dexteram suam & per brachium fortitudinis suae: si dabo triticum tuum amplius cibum inimicis tuis, & si bibent filii alienigenae mustum *vinum* tuum, in quo laborasti. 9. Sed colligentes illud manducabunt illud, & laudabunt Dominum: & congregantes illud bibent illud in atriis Sanctitatis meae. 10. Transite transite per portas, complanate viam populi: sternite sternite semitam, elapidate e lapide *lapidibus*, attollite vexillum super populos. 11. Ecce Dominus audire fecit ad extremitatem terrae, dicite Filiae Tzionis, ecce salus

tua venit: ecce merces ejus cum ipso, & *merces* operis ejus coram ipso. 12. Et vocabunt eos populum sanctitatis, redemptos Domini: & tibi vocabitur Quaesita, Civitas non derelicta.

COMMENTARIUS.

V. 1. PRopter *Tzionem:* haec sunt verba Domini, dum permanet Israel in exilio: ait *Propter Tzionem*, subintellige, super quam invocatum est nomen meum. Dum commemorat Tzionem & Jerosolymam, est repetitio ejusdem rei cum vocabulis diversis; & ita *non tacebo*, & *non quiescam*, quia Tzion & Jerosolyma urbs una eademque est, nisi quòd Arx appellabatur Tzion. *ut lampas ardeat*, ut lampas ardens conspicitur e longinquo, sic justitiam & salutem tuam videbunt gentes remotae.

V. 2. *Et videbunt gentes justitiam tuam:* scilicet justitiam, quam faciet Deus tecum: dicit *justitiam tuam*, & *gloriam tuam* veluti coram Jerosolyma. *nomen novum*, ut ait inferiùs *voluntas mea in ea*, v. 4. יקבנו *nominabit illud*, sicuti *qui nominati erant per nomina*. *Num.* 1. *v.* 17.

V. 3. *Et eris:* significatio geminata cum vocabulis diversis, corona & cidaris, gloria & regnum, manus & vola. Sensus horum verborum *in manu Domini*, & *in vola Dei tui* est, quòd ipse roborabit eas tibi, ne cadant unquam corona gloriae tuae & cidaris regni tui, quia perpetuò erit manus ejus tecum ad fulciendas illas: ratio verò, cur erit ipsa corona gloriae nationibus Mundi, ea est, quia gloriabuntur in ea ejusque regno.

V. 4. *Non dicetur.... & terrae tuae*. h. e. reliquae terrae Israelis, alloquitur enim Jerosolymam. *voluntas mea in ea*, quia in Jerosolyma erit Gloria (*a*). *maritata*, per modum similitudinis, quia terra habitata similis est mulieri, cui sit maritus, quando verò est desolata, tanquam vidua habetur, cui non est maritus, & ita dictum est *civitas multa populo facta est ut vidua: Thr.* 1. *v.* 1. Jonatan בעולה reddit *habitata*, & ita יבעל vertit *inhabitabitur*.

V. 5. *Nam maritatur:* quia sicut maritatur juvenis cum virgine, quae res pulchra est, ac decentius habetur, ut juvenis maritetur cum virgine, quàm ut maritetur senex cum virgine, aut juvenis cum maritata, sic terra Israelis per totum tempus, quo non fuerint filii ejus in medio ipsius, quamvis habitaverint in ea nationes Mundi, tamen dicta non fuit maritata, quia non erant acceptae in illa, neque decora fuit habitatio earum in ea, sed ut senex cum virgine, aut juvenis

(*a*) Scilicet Majestas Dei, quam Hebraei vulgò dicunt *Scechinàh*.

nis cum maritata; verùm postquam reversi fuerint Israelitae ad eam, tunc erit ut matrimonium (concubitus) juvenis cum virgine. *& gaudio sponsi super sponsam*, in diebus obtectionis (a) ejus, in quibus ille appellatur sponsus, haec sponsa, & tunc gaudium & laetitia major inter eos est, quia tunc in novitate sua existunt, sic erit laetitia Dei tui super te omnibus diebus.

V. 6. *Super muros tuos:* per allegoriam hinc palam fit, custodes esse Angelos, ipsosque orare ad Deum pro Jerosolyma, ut rursus habitetur. Alii interpretantur, quòd custodes sunt lugentes Tzionis, de quibus *cap. 61. v. 3.* qui orant die ac nocte pro Jerosolyma. Possumus etiam interpretari de universis Israelitis in eorum exilio, hi enim desiderant ac speculando expectant jugiter reaedificationem Jerosolymae, & memorant aedificatorem Jerosolymae interdiu ac noctu in orationibus & in benedictionibus seu incurvationibus suis: Jonatan vertit *Ecce propter opera Patrum tuorum justorum, Civitas Jerusolyma, constituti sunt custodes coram me, omni die ac nocte semper non cessant: dicitur memoria bonitatum eorum coram Domino, non cessatio eis.* Sic illud vers. seq. *ne detis silentium ei* reddit idem Jonatan *Neque cessabit memoria eorum a facie ejus, donec praeparet, & donec ponat Jerosolymam laudabilem in terra.* Possumus etiam sic interpretari versum hunc *Super muros tuos Jerosolyma*, dicit Deus Jerosolymae, postquam aedificati fuerint muri tui, ne timeas, quòd cadant amplius in saeculum, quia ego constitui super eos custodes tota die ac tota nocte perpetuò. *non tacebunt*, quia caeteri custodes murorum, si vigilent noctu, & non taceant ab alloquendo Civitatem, interdiu quidem dormiunt, at custodes murorum Jerosolymae vigilabunt interdiu ac noctu jugiter. Per custodes verò metaphoricè innuit providentiam Dei, sicuti *oculi Domini Dei tui in ea, Deut. 11. v. 12.* a principio & usque ad extremum anni. *o qui memoratis Dominum*, alloquitur filios exilii: vobis, quorum est memorare Dominum, ne sit silentium, videlicet ne sit vobis silentium & quies, quinimmo orate coram eo jugiter, & effundite ad conspectum ejus cor vestrum, donec stabiliat Jerosolymam in muris &. in aedificatione ejus, & ponat eam laudem in terra, contra id, quod modò est omnibus diebus exilii, opprobrium gentibus, & illusio omnibus terris. Verba verò haec sunt verba Dei a principio versus, juxta illud *Convertimini filii aversi. sanabo aversiones vestras: ecce nos venimus ad te, quia tu es Dominus Deus noster. Jer. 3. v. 22.* admonet enim & excitat eos ad conversionem. Dum verò ait primùm *praefeci*, postea *o qui memoratis*

(a) Haec vox חפה propriè significat *obtectionem protectionem* ex radice חפף *obtexit protexit*: significat etiam thalamum nuptialem, aut velamen illud nuptiale, quod quatuor perticis quatuor Jehudaei ferunt; sub quo sponsus & sponsa consecrantur, unde illud *sicut sponsus egrediens de velamine suo: Ps. 19. v. 6.* Metonymicè verò significat *nuptias.*

ratis Dominum, denique *ne detis silentium ei*, sic mos est Scripturae, veluti *Et ad Mosem dixit, ascende ad Dominum Exod.* 24. *v.* 1. & similia huic. Possumus item interpretari, quòd *o quis memoratis Dominum* sint verba Prophetae ad filios exilii, quibus dicat, quandoquidem universas spes bonas hasce sperare vos jussit Deus, commemorate nomen ejus jugiter, & effundite ad conspectum ejus cor vestrum, donec congreget exules, & stabiliat Jerosolymam, & ponat eam laudem in terra.

V. 7. *Et ne detis silentium ei*: repetit eamdem rem ad roborandum; hoc autem explicatum est in versu antecedenti. Dixerat superiùs *silentium vobis*, hìc verò ait *silentium ei*, quia sicut is, qui alloquitur socium suum, totus est in verbo suo, & assiduitate sermonis sui cogit proximum suum praebere aurem sibi, ut det cor suum omnibus verbis suis absque silentio & absque cessatione, ita quum cessaverit a loquendo, erit silentium & cessatio audienti ut & loquenti.

V. 8. *Juravit Dominus*: quando facit mentionem juramenti, ad stabilitatem verbi & rei id fit, absque conditione. Dicit *Juravit*, simulque *dabo*, ut explicavimus *v.* 6. veluti *Et ad Mosem dixit, ascende ad Dominum Exod.* 24. *v.* 1. Dum verò ait *per dexteram suam & per brachium fortitudinis suae*, vult dicere, quòd vis ac potestas in manu sua est ad firmandam pacem, & non dominabuntur amplius in eis inimici; & haec verba *per dexteram suam & per brachium fortitudinis suae* continent repetitionem ejusdem rei cum vocabulis diversis, quia dextera est brachium fortitudinis in homine, & ita loquitur Deus per modum similitudinis.

V. 9. *Sed colligentes illud*: כי מאספיו ex conjugatione daghesciata, sed radicalis altera est levis (videlicet absque Daghesc) cujusmodi plura occurrunt. Istud verò *& laudabunt Dominum* indicat Decimam secundam *Deut.* 14. *v.* 22. *& seqq.* & plantam anni quarti, *Lev.* 19. *v.* 23. *& seqq.* idque est *Sed colligentes illud manducabunt illud*, scilicet manducabunt domini, planta verò anni quarti innuit laudes Domino, & ita in Decima secunda gratias agent ac laudabunt Dominum, idque est, quod ait *in atriis Sanctitatis meae*, quia Decima secunda & planta anni quarti non comedebantur nisi in Jerosolyma intra moenia, ut scriptum est *coram Domino Deo tuo comedes eam Deut.* 12. *v.* 18. & inde tota Urbs appellata *coram Domino Deo tuo*, itemque appellata est *atria Sanctitatis meae*. Nomen *atrium* hìc complectitur omnes domos.

V. 10. *Transite transite*: עברו est Imperativum, ut explicavimus in voce סלו סלו *cap.* 57. *v.* 14. & repetitio est ad roborandam significationem. *per portas*, juxta illud *transite & revertimini de porta ad portam in castrametatione, Exod.* 32. *v.* 27. *complanate viam populi*, populi Israelitici. Significationem dictionum סלו & מסלה exposuimus in *cit. cap.* 57. *d v.* 14. סקלו מאבן secundum priorem ex-

pli-

plicationum, quas attulimus ibidem, sensus est, ut projiciant in semitas lapides, idque sibi vult vox סקלו, dum verò ait *e lapide*, vult dicere, lapidibus magnis sternite eas: secundum verò posteriorem explicationem סקלו significat remotionem lapidum a viis.. *attollite vexillum super populos*, ut evangelizent illis, ubicumque versantur in exilio, quod totum est per modum metaphorae,. non ut reipsa elevent signum, & sternent vias, sed per similitudinem, veluti si quis dicat, complanate viam τῷ δεῖνα, qui venturus est, etenim quum appropinquaverit tempus salutis, populi dicent Israelitis, exite, ac revertimini ad terram vestram, perinde ac si attollant illis signum, adeo palam fiet salus omnibus..

V. 11. *Ecce Dominus.... ecce merces ejus cum ipso*, scilicet merces bona, quam rependet Israelitis propter exilium, quod pertulerunt ob nomen ejus magnum. *& operis ejus coram ipso*, scilicet & merces operis ejus, nam vox *merces* semel adhibita intelligitur repetita, & ופעלתו significat operationes bonas, quas fecerunt ad intuitum Dei, tenendo in exilio legem & mandata ejus non obstantibus calamitatibus praemagnis. Pronomen *ejus* in *& operis ejus* refertur ad Deum, quia operatio eorum operatio ejus est, quandoquidem propter nomen ejus faciunt eam, sic *& laetificabo eos in domo orationis meae*; *Jes.* 56. *v.* 7. ut ibi explicavimus. Illud autem *coram ipso* significat *cum ipso*, quia id, quod est cum eo, coram eo est, & id, quod est coram eo, cum eo est: Jonatan vertit *ecce merces facientium verbum ejus cum eo, quorum omnia opera manifesta sunt coram eo.*.

V. 12. *Et vocabunt.... quaesita*, nomen contrarium illi, quo te vocabant, scilicet *Tzion, cui non est qui quaerat ipsam*. *Jer.* 30. *v.* 17. *civitas non derelicta*, nomen contrarium illi, quod dicebas *dereliquit me Dominus*: *Jes.* 49. *v.* 14.

JESAIAE CAP. LXIII.

1. QUis iste veniens de Edom, rufus vestimenta de Botzra? iste decoratus in veste sua, demigrare faciens *festinans* in multitudine potentiae suae? ego loquens in justitia, multus ad servandum.. 2. Quare rubrum indumentum tuum? & vestimenta tua sicut calcantis in torculari? 3. Torcular calcavi solus ego, & de populis non vir mecum; & calcabo eos in ira mea, & conculcabo eos in aestu meo: & spargetur sanguis eorum super vesti-

vestimenta mea, & omnia indumenta mea inquinavi. 4. Quia dies ultionis in corde meo: & annus redemptorum meorum venit. 5. Et aspexi, & non est auxiliator, & obstupui, & non est qui fulciat: & salutem fecit mihi brachium meum, & aestus meus ipse substentavit me. 6. Et conculcabo populos in furore meo, & inebriabo eos in aestu irae meae, & descendere faciam in terram robur eorum. 7. Miserationes Domini commemorabo, laudes Domini sicut super omnibus, quae retribuit nobis Dominus: & multitudinem bonitatis domui Israelis, quam reddidit eis secundum misericordias suas. 8. Et dixit, profectò populus meus sunt isti, filii, *qui* non mentientur: & fuit illis in Salvatorem. 9. In omni angustia eorum ei angustia fuit, & Angelus faciei ejus salvos fecit eos; propter dilectionem suam & propter indulgentiam suam ipse redemit eos: & tulit eos, & portavit eos cunctis diebus saeculi. 10. Et ipsi rebelles fuerunt, & irritaverunt spiritum Sanctitatis ejus: & versus est eis in inimicum, ipse pugnavit contra eos. 11. Et recordatus est dierum saeculi, *quando misit* Mosem *ad* populum suum: ubi est, qui ascendere fecit eos e mari cum pastoribus pecoris sui? ubi est, qui ponebat in medio ejus spiritum Sanctitatis suae? 12. Qui ambulare fecit ad dexteram Mosis brachium gloriae suae: qui scidit aquas a facie eorum, ad faciendum sibi nomen saeculi. 13. Qui deduxit eos per abyssos tanquam equum per desertum, non impegerunt. 14. Sicut animal in convallem planam descendit, spiritus Domini quiescere fecit eum: sic duxisti populum tuum, ad faciendum tibi nomen gloriae. 15. Aspice de Coelis, & vide de habitaculo Sanctitatis tuae & gloriae tuae: ubi zelus tuus & fortitudines tuae, tumultus viscerum tuorum & miserationum tuarum? ad me continuerunt se. 16. Quia tu Pater noster, nam Abrahamus nescivit nos, & Israel non cognovit nos: tu es Domine Pater noster, Redemptor noster a saeculo nomen tuum. 17. Quare errare

rare facies nos Domine a viis tuis, elongare *obdurare* facies cor nostrum a timore tuo? convertere propter servos tuos, Tribus haereditatis tuae. 18. Ad breve possederunt populus Sanctitatis tuae: hostes nostri conculcaverunt Sanctuarium tuum. 19. Fuimus a saeculo, non dominatus es in illis, non invocatum est nomen tuum super eos: num rupisti *aperuisti* Coelos, *&* descendisti? *num* a facie tua montes fluxerunt?

COMMENTARIUS.

V. 1. QUis *iste veniens de Edom*: prophetia haec respicit vastationem Romae futuram, quia Imperium Romanum appellatur nomine Edom, ut explicavimus in parascia *Accedite gentes ad audiendum, cap.* 34. *v.* 1. Assimilat autem Deum benedictum vastantem illud viro potenti vindictam facienti adversus inimicos suos, ejusque vestimenta rubra propter sanguinem occisionis: & quasi quis roget, quisnam sit iste, ipse respondet, ego loquens in justitia, videlicet id, quod ego loquutus sum in justitia mea ad Israelitas, feci, quia ego multus sum ad salvandum, videlicet, multa vi praeditus sum ad salvandum Israelem, siquidem in vastatione Romae erit salus Israeli, ut exposuimus in eadem parascia. חמוץ *ruber*, juxta sensum versus. *de Botzra*, Botzra fuit civitas magna Edom, idcirco Roma appellatur Botzra. *decoratus in veste sua*, quia induit vestimenta vindictae. *demigrare faciens in multitudine potentiae suae*, dimovens & exagitans gentes ab extremo usque ad extremum: jam declaravimus hanc vocem צועה in vers. *Festinavit demigrans, ut solvatur: cap.* 51. *v.* 14.

V. 2. *Quare rubrum indumentum tuum*? Lamed in ללבושך est ut Lamed in istis *cubitorum quinque*, 2. *Par.* 3. *v.* 11. *interfecerunt Abner*, 2. *Sam.* 3. *v.* 30. *& tertius Absalom*, 2. *Sam.* 3. *v.* 3. & similibus; totum autem hoc est per modum similitudinis, ut exposuimus, quòd assimilat Deum viro potenti hostes suos occidenti, ejusque vestimenta rubra ob sanguinem: Jonatan vertit *Quare rubescunt montes sanguine occisorum, & valles defluunt quasi vinum in torculari*?

V. 3. *Torcular*: Deus quodammodo respondens interrogantibus ait *Torcular calcavi solus ego*: torcular appellatur פורה, quia conterunt & confringunt in eo uvas, dum calcant eas. Assimilat autem gentes, quasi sint uvae in torculari, ac Deus calcet eas: dum verò ait *solus ego ... non vir mecum*, vult innuere, quòd non sunt merita Israelitis, ipsi enim extitissent veluti auxiliatores Deo, si fuissent eis merita. Jam verò exposuimus hunc versum in versu *Et vidit, quòd non vir, cap.* 59. *v.* 16. Etiam ex reliquis populis non adest quisquam in auxilium meum,

ut ulciscar de inimicis Israelis, quia omnes sunt hostes eorum, & in universos faciam ultionem, ideo conculcabo omnes eos in furore meo, pro eo quod mala intulerunt Israelitis, quos deportavi inter ipsos, etenim *ego iratus sum parum, & ipsi auxiliati sunt mihi in malum.* *Zach.* 1. *v.* 15. נצחם sanguis eorum spargetur super vestimenta mea, idcirco erunt rubra. Sanguis autem vocatur נצח, quia vita hominis est, ejusque fortitudo. אגאלתי pro הגאלתי, nam in Aleph mutata est littera He characteristica conjugationis, & ita *junxit sese Jehosaphatus*, 2. *Par.* 20. *v.* 35. ubi אתחבר est pro התחבר. Verbum istud ואגאלתי significat pollutionem & inquinamentum, veluti *panem pollutum*, *Malach.* 1. *v.* 7.

V. 4. *Quia dies*: hic fuit in corde meo tempore multo, donec venit annus redemptorum meorum, tunc enim erit dies ultionis in populis.

V. 5. *Et aspexi*: explicavimus id in vers. *Et vidit, quòd non vir*, *cap.* 59. *v.* 16. ubi dicit *brachium ipsius*, & *justitia ejus*, hìc verò dicit *brachium meum*, ut ibi declaravimus. *& aestus meus*, de vindicta, quam facies in gentibus tempore salvationis, ideoque conjungit ei *Et conculcabo populos vers. seq.*

V. 6. ואבוס significatio calcationis & conculcationis, veluti *conculcantes in luteo platearum*, *Zach.* 10. *v.* 5. *& inebriabo eos in aestu irae meae* bibendum dabo eis calicem aestuantis irae meae, donec inebrientur. נצחם robur & fortitudinem eorum.

V. 7. *Miserationes Domini*: loquitur Propheta de miserationibus, quas ostendit ei Deus, se facturum in posterum populo suo. Ait igitur, commemorabo filiis hominis misericordias, quas fecit ipsis in praeterito, ut confiteantur, & laudent nomen ejus. Commemorat autem misericordias tantùm, quia ipsi rebelles fuerunt verbo ejus, & tamen benefecit eis in omni generatione & generatione, idcirco ait *laudes Domini*, quia propter hujusmodi misericordias conveniens est laudare Dominum. *sicut super omnibus quae retribuit nobis Dominus*, commemorabo hujusmodi misericordias, & multitudinem bonitatis, quam fecit domui Israelis, cui retribuit juxta miserationes suas, & juxta magnitudinem misericordiarum suarum, non secundum opera eorum.

V. 8. *Et dixit*: postquam sumpsit eos sibi in populum, quando eduxit eos de Aegypto, ait *profectò populus meus sunt*, isti sunt populus meus, quia cepi eos de medio populi alterius, sumpsique eos mihi in filios, & non mentientur mihi in saeculum. *& fuit illis in salvatorem*, quandoquidem fuit illis in salvatorem, quia liberavit eos ab Aegypto, ait, quòd in saeculum non mentientur in ipsum. Dictio אך est ad veritatem rei, veluti *profectò os meum, & caro mea es*. *Genes.* 29. *v.* 14. *Profectò bonus Israeli Deus*, *Ps.* 73. *v.* 1. & similia hisce.

V. 9. *In omni angustiae eorum* לא צר, scriptum cum Aleph, sed legitur cum Vau: sensus scripti est, non multiplicavit illis angustiam,

immo

immo liberavit eos ab illa, sensus verò lecti est, ei, scilicet Deo est angustia in angustiis eorum, qua eadem ratione dictum fuit *& angustiis affecta est anima ejus propter laborem Israelis. Jud.* 10. *v.* 16. quod totum est per modum similitudinis, loquitur enim lex more hominum, & juxta eorum phrasem: Jonatan vertit *In omni tempore, quo peccaverunt coram eo, ut adduceret super eos tribulationem, non tribulavit eos*. Magistri quoque nostri, quorum memoria sit in benedictione, scripserunt super versu illo *si occiderit me, in eum sperabo. Job.* 13. *v.* 15. ubi pariter legitur לו, & scriptum est לא, & dixerunt „ Videamus, num scriptum sit cum Lamed = Aleph, an verò „ cum Lamed = Vau „ regessit alteri „ num ubicumque scriptum est „ cum Lamed = Aleph significat *non*? at in versu isto *In omni angu-* „ *stia eorum* לא צר scriptum est cum Lamed = Aleph, num etiam „ hic significat *non*? quod si dicas, sic etiam, ecce postea scriptum „ est *& Angelus faciei ejus salvos fecit eos*, ergo intelligi potest u- „ troque modo „ *& Angelus faciei ejus salvos fecit eos*, quaerens scilicet causas ad salvandos eos, causae verò egrediuntur a facie ejus, non quòd sine per casum, & caussa appelletur nomine Angeli. *redemit eos*, scilicet ab angustia, in qua erant, & ita faciet cum eis in omni generatione & generatione, idque est quod ait *cunctis diebus saeculi. & tulit eos & portavit eos*, repetitio ejusdem rei cum vocabulis diversis.

V. 10. *Et ipsi* מרו, significatio rebellionis, veluti *rebelles fuistis ori meo, Num.* 27. *v.* 14. ועצבו significatio irritationis, & ita *Quoties exacerbaverunt eum in deserto: & irritaverunt eum in solitudine! Ps.* 78. *v.* 40. Ait igitur, postquam redemit eos ab angustia, ipsi iterum rebelles facti sunt verbo ejus, neque audierunt vocem ejus & spiritum sanctitatis ejus, h. e. verba Prophetarum ejus prolata in spiritu sanctitatis, ut vertit etiam Jonatan *Ipsi autem noluerunt obedire, sed irritaverunt Prophetas super verbum sanctum ejus. & versus est eis in inimicum*, non solùm non redemit eos de manu inimici, sed ipsemet contra eos pugnavit, eorumque res malè cedent ipsis, donec dicant, hoc a manu Dei est.

V. 11. *Et recordatus est dierum saeculi*, Israel in exilio tempore angustiae recordatur dierum antiquorum, idque est *dierum saeculi*, quando misit Mosem ad populum suum. עמו deest Lamed servile, sicuti *& venit Jerosolymam*, 1. *Reg.* 3. *v.* 15. & similia huic. Propheticè verò ait Propheta, quòd Israel in exilio degens recordabitur istorum dierum dicens, ecce inter Israelitas, quum essent in Aegypto, quamplurimi fuerunt, qui colebant cultum exterum, ut declaratur in libro Ezechielis, & tamen postquam vidit afflictionem eorum, misertus est eorum, dictum enim est *Et audivit Deus gemitum eorum: Exod.* 2. *v.* 24. & revelatus est Mosi, cui dixit *videndo vidi afflictionem populi mei, qui est in Aegypto, Exod.* 3. *v.* 7. & misit eum ad

 ilios,

illos, & fecit cum eis signa & prodigia, & eduxit eos de Aegypto, & redemit eos; & tamen quando viderant Aegyptios se persequentes, non recordati sunt amplius mirabilium, quae fecit cum ipsis, immo dixerunt *an quòd non erant sepulchra in Aegypto? &c. Exod.* 14. *v.* 11. & tamen transire fecit eos per mare in sicco, & ascendere fecit eos e mari, & operuerunt aquae hostes eorum. Idcirco mirantur in exilio, & dicunt *ubi est, qui ascendere fecit eos e mari* את h. e. *cum pastoribus pecoris sui*? isti autem fuerunt Moses & Aharon. Et quamvis nos peccemus coram eo, nonne etiam Patres nostri peccaverunt? & tamen salvos fecit eos in tempore angustiae eorum. Cur igitur usque adeo protractum nobis est hoc exilium, ut necessitate cogamur dicere, ubi est is, qui liberabat patres nostros? proinde ac si hodie non inveniatur. *ubi est, qui ponebat in medio ejus spiritum sanctitatis suae*? scilicet qui immittebat in eos spiritum prophetiae: praeter Mosem Aharonem & Mariam fuere septuaginta senes, super quos requievit spiritus prophetiae etiam in die stationis in monte Sinai, fuerunt omnes isti prophetae. Is igitur, qui fecit omnia haec, ubi est modò? ecce enim sublatus est spiritus prophetiae, exquo mortui sunt Chaggaeus Zacharias & Malachias, si enim essent nobiscum prophetae, qui notum facerent nobis finem redemptionis, esset nobis requies spiritus in hoc, verùm nobis jamdiu morantibus in exilio non est nunc propheta, neque qui sciat quidquam. המעלם cum Tzere, regulariter participium requirit Kametz, quando habet Mem suffixum, veluti *non ego complaceo in eis: Jer.* 14. *v.* 12. Interpretes verò intelligunt *Et recordatus est* de Deo benedicto, quemadmodum intelligit ac reddit etiam Jonatan *Et misertus est propter gloriam nominis sui, & propter memoriam benignitatis suae, quae a saeculo est, & magnalia, quae fecit per manus Mosis populo suo, ne forte dicant: Ubi est qui ascendere fecit eos de mari? ubi est qui duxit eos per solitudinem sicut pastor oves suas? ubi est qui habitare fecit in medio eorum verbum prophetarum sanctorum suorum?*

V. 12. *Qui ambulare fecit ad dexteram Mosis:* modò narrat, quomodo ascendere fecit e mari, & quomodo descenderunt in medium maris, quod licèt notum sit, tamen enarrat ad magnificandam narrationem, & ad confitendum Deum benedictum, quia per signum magnum & miraculum verè mirabile fuit, quòd ambulare fecerit brachium gloriae suae ad dexteram Mosis, cujus in manu erat virga. Quomodo enim virga Mosis scidisset mare, nisi Deus ambulare fecisset ad dexteram ejus brachium gloriae suae, & scidisset aquas a facie eorum? i. e. a facie Israelitarum, ut transirent per medium ejus. *ad faciendum sibi nomen saeculi*, ut memores essent ipsius omnes populi propter hujusmodi rem tam magnam, & timerent ab eo, quemadmodum ait *Audierunt populi, contremuerunt: Exod.* 15. *v.* 14. necessarium enim hoc non fuisset, si duxisset Israelitas per latus aliud, nam ex eodem angulo, quem ingressi sunt, exierunt; verùm fecit

hoc

hoc ad offendendam manum suam magnam, & ad docendum, quòd in manu ipsius sunt omnia, etiam invertere naturas fundamentales, quod est ipsi gloria & nomen saeculi: totum verò id ostendit per manus Mosis & Israelis populi sui ob amorem ipsius in illos.

V. 13. *Qui deduxit eos*: pergit narrare magnitudinem prodigii: ne dicas, quamvis fuerit siccum fundum maris, tamen non adeo siccum fuisse, ut per illud ambulare potuerint velociter, aut currere, idcirco ait *Qui deduxit eos per abyssos tanquam equum per desertum*, deduxit eos per hujusmodi abyssos tanquam equum currentem per desertum, h. e. per terram planam (*a*), ubi non sit lapis neque lutum, ut sit ei offendiculum, sic illi potuerunt currere per fundum maris, adeo induratum fuit repente fundum in mari, & non impegerunt in illo.

V. 14. *Sicut animal*: adhuc persistit in similitudine itineris eorum per fundum maris, & ait, quòd illi descenderunt in medium maris, quemadmodum descendit animal in planiciem absque labore, quia descensus parvus est, & ambulatio per planicem facilis, quum sit via plana. *spiritus Domini quiescere fecit eum*, prononem refertur ad *populum tuum*, quem postea commemorat, veluti *& vidit eum puerum*: *Exod.* 2. *v.* 6. & similia huic. Ait, spiritus Domini requiescere fecit populum tuum ab hostibus ejus, & ab iis, qui persequebantur eum: dicit autem *spiritus Domini*, pro *spiritus tuus*, veluti *Et ad Mosem dixit, ascende ad Dominum*, *Exod.* 24. *v.* 1. Dictio כן spectat ad similitudinem *sicut animal*, cujus meminit: sensus verò hujus versus est, sicut animal in planiciem descendit, sic duxisti populum tuum, & spiritus Domini requiescere fecit illum. Jonatan sumpsit תניחנו pro תנחנו, ex illo *duc populum*, *Exod.* 32. *v.* 34. vertit enim *sicut animal, quod in campo ducitur, verbum Domini deduxit eos*. *nomen gloriae*, scilicet nomen, quod erit tibi decus & gloria in saeculum: ecce omnia haec fecisti in diebus antiquis, & nunc deseruisti nos in exilio hoc tot annos.

V. 15. *Aspice*: juxta illud *Quoniam excelsus, & humilem videbit*: *Ps.* 138. *v.* 6. Coeli verò dicuntur habitaculum sanctitatis & gloriae ejus, quia in illis apparet robur ejus, quum stent in aeternum in fortitudine sua, neque immutentur, neque varientur. *zelus tuus & fortitudines tuae*, quas zelavisti, quum videres afflictionem populi tui, & ostendisti in populis, ubi modò sunt istae? *tumultus viscerum tuorum*, & ubi est tumultus viscerum tuorum & miserationum tuarum, de quibus dixisti *sonuerunt viscera mea propter eum, miserendo miserebor ejus, ait Dominus*. *Exod.* 32. *v.* 34? ubi tumultus viscerum, ubi misericordiae? *ad me continuerunt se*, ego video, quòd sese continuerunt ac represserunt misericordiae tuae ad me, neque flagrarunt festinare ad miserendum mei; & quomodo fuit hoc?

V. 16.

(*a*) מדבר saepe significat, ut notat etiam Grotius ad hunc locum, campos, in quibus nec domus sunt nec arbores, sed lata ad cursum spatia.

V. 16. *Quia tu pater noster*: pater autem se continere non potest, quin statim misereatur filii. *nam Abrahamus nescivit nos*, juxta illud *pater meus & mater mea dereliquerunt me*, *& Dominus colliget me*. *Ps.* 27. *v.* 10. nam licèt Abrahamus fuerit pater noster, quampluri-mis tamen abhinc generationibus mortuus est; pater autem carnis & sanguinis non cognoscit filium suum aut filium filii sui nisi in vita sua, verùm tu es pater noster vivens ac permanens a saeculo & usque in saeculum, neque nobis est, ad quem clamemus nisi ad te, ac in omnibus generationibus, quae praeterierunt, quaeque erunt, tu es pater noster & redemptor noster ab omni angustia, & a saeculo nomen tuum super nos. Facit autem mentionem Abrahami, quia ipse est caput patrum, & adhuc quia dixit ei Deus *quia in Isaaco vocabitur tibi semen*: *Genes.* 21. *v.* 12. item dixit *& dedi ei Isaacum*. *Jehos.* 24. *v.* 3. & non dicit *Ismaelem*, quemadmodum ait *Et dedi Isaaco Jaacobum & Esavum*, *& dedi Esavo montem Seir Jehos.* 24. *v.* 4. Meminit autem etiam Israelis, quia universum semen ejus semen veritatis est, non ut Isaaci, ex quo egressus est Esavus, dictumque est de eo *Et dilexit Isaacus Esavum*, *Genes.* 25. *v.* 28.

V. 17. *Quare errare facies nos Domine?* quando consideramus prosperitatem impiorum, & longitudinem exilii nostri, & angustias continuas, quae veniunt super nos, tunc erramus a viis tuis dicentes, non est amplius spes, ideoque proinde est, ac si tu errare facias nos, dum protrahis exilium nostrum. Dum verò ait *errare facies nos*, & *elongare facies cor nostrum*, non dicit id de omnibus illis, sed de multis ex Israele, qui desperant de redemptione propter longitudinem captivitatis, quando enim nonnulli sunt inter eos, loquitur generaliter, & ita ait Deus benedictus ad Mosem *usquequo renuistis*, *Exod.* 16. *v.* 28. propter nonnullos ex populo, qui exierant in Sabbatho ad colligendam mannam, & ita pariter ait Daniel *peccavimus*, *impiè egimus*. *Dan.* 9. *v.* 15. *Peccavimus cum patribus nostris*, *pravè egimus*, *impiè fecimus*. *Ps.* 106. *v.* 6. *& rebelles fuimus*, *Thr.* 3. *v.* 42. תקשיח significat crudelitatem & elongationem cordis ab aliqua re amata, & ita *Crudeliter tractat*, vel *longè relinquit filios suos*, *ac si essent non sui*, *Job.* 39. *v.* 16. *convertere propter servos tuos*, convertere ab aestu furoris tui contra nos, & si non propter nos, quia sumus peccatores, convertere propter servos tuos, videlicet propter patres, & propter Tribus haereditatis tuae, h. e. propter duodecim Tribus: ait *haereditatis tuae*, quia fuerunt tibi in haereditatem, ut scriptum est *Jaacobus funiculus haereditatis ejus*. *Deut.* 32. *v.* 9.

V. 18. *Ad breve*: tempore parvo possederunt terram populus sanctitatis tuae, quibus dedisti terram in haereditatem, parvo tempore subsisterunt in ea, & migraverunt ex ea, etenim non fuerunt in ea nisi quater centum & decem annos in principio, & plerique Israelitarum adhuc reversi non sunt ad eam. *hostes nostri conculcaverunt Sanctuarium tuum*, tempore, inquam, brevi perstiterunt, venerunt enim

hostes,

hostes nostri, & expulerunt nos ex ea, neque id solùm, sed etiam calcaverunt ac pessumdederunt Sanctuarium tuum, quod erat locus gloriae, neque ingrediebantur in illud nisi peculiares quidam.

V. 19. *Fuimus a saeculo*: nos fuimus sub dominatione tua, non hostium nostrorum, quia non es dominatus in illis, neque invocatum est nomen tuum super illos; quomodo igitur venerunt hi pro nobis in terram haereditatis nostrae? *num rupisti Coelos, descendisti?* per modum interrogationis, rupistine Coelos, & descendisti ad loquendum cum illis, ut fecisti nobis? num a facie tua montes fluxerunt propter illos, ut propter nos? id quod evenit tempore stationis in monte Sinai, quando descendit gloria ejus super montem Sinai, eratque ignis & nubes, & mons contremuit & commotus est ipse & alii, qui erant proximi ei, ut mons Seir, & mons Pharan, qui pariter emiserunt aquas e nube, quae commorabatur super eos, sed locus praecipuus colloquutionis fuit super montem Sinai, quapropter commemoratur in Lege mons Sinai tantùm; & tunc mons ardebat igne, & manabat aquis, quia ignis & nubes erant super eum. *rupisti Caelos*, metaphoricè, veluti *& januas Coelorum aperuit*. *Ps.* 78. *v.* 23. per Coelos intelligitur aer. נזלו cum Daghesc in Lamed ad ornamentum lectionis (i. e. euphoniae gratia) propter pausam.

JESAIAE CAP. LXIV.

1. Sicut exurit *ardet* ignis liquefactionum, *sic* aquas ebullire faciebat ignis, ad ostendendum nomen tuum hostibus tuis: a facie tua gentes contremiscent. 2. Quum faceres terribilia, non expectabamus: descendisti, a facie tua montes fluxerunt. 3. Et a saeculo non audiverunt, neque auribus perceperunt: oculus non vidit Deum praeter te, *qui* faciat expectanti ipsum. 4. Occurristi gaudenti & facienti justitiam, in viis tuis recordabantur tui: ecce tu iratus es, & *postquam* peccavimus, in illis *innitebamur in* saeculum, & salvabamur. 5. Et fuimus ut immundus omnes nos, & ut vestimentum abjectionum omnes justitiae nostrae: & decidimus veluti folium omnes nos, & iniquitates nostrae tanquam ventus abstulerunt nos. 6. Et non est qui invocet nomen tuum, qui excitet se ad appre-

apprehendendum te: postquam abscondisti faciem tuam a nobis, & liquefecisti nos in manu iniquitatum nostrarum. 7. Et nunc Domine Pater noster es tu: nos sumus lutum, & tu formator noster, & opus manus tuae omnes nos. 8. Ne irascaris Domine usque valde, & ne in aeternum memineris iniquitatis: ecce, respice quaeso, populus tuus omnes nos. 9. Civitates Sanctitatis tuae fuere desertum: Tzion solitudo fuit, Jerosolyma desolatio. 10. Domus Sanctitatis nostrae & gloriae nostrae, *in* qua laudaverunt te patres nostri, fuit in combustionem ignis: & omnia desiderabilia nostra fuit *fuerunt* in vastationem. 11. Numquid super his continebis te Domine? tacebis, & affliges nos usque valde?

COMMENTARIUS.

V. 1. S*icut exurit ignis liquefactionum*: המסים est nomen substantivum, cujus radix est מסס, & Samec debuerat daghesciari propter defectum alterius Samec, sed quia venit Hannach, fit mutatio τῦ Daghesc; singulare verò τῦ המסים est המס. Ignis magnus & fortis appellatur ignis liquefactionum, quia liquefacit omnem rem, talis fuit ignis ille super montem Sinai. כקדוח significatio incendii & combustionis, veluti *Quia ignis succensus est in furore meo*, *Deut.* 32. *v.* 22. *Jer.* 15. *v.* 14. *quoniam ignem succendistis in furore meo*, *Jer.* 17. *v.* 14. talis autem fuit ignis, qui bullire faciat aquas. Quia verò ignis erat in monte, & aquae pariter erant in monte, ideo aquae fervebant, totusque mons fumigabat, tam locus ignis, quàm locus aquarum, etenim aquae ferventes faciunt ascendere fumum, idque totum ad notificandum nomen tuum hostibus tuis, qui nesciebant nomen tuum, neque cognoscebant te; sed per facinora formidabilia ostendisti eis, quòd existit Dominus in Mundo, quòdque Rector ejus facit in omnibus juxta voluntatem suam, facit ardere montes, quod non est secundum consuetudinem & naturalem constitutionem Mundi, & propterea contremuerunt gentes, quando commoti sunt montes, eodem enim die auditum est ac innotuit in Mundo. *aquas ebullire faciebat ignis*, אש est agens, quamvis veniat posteriùs, מים est patiens, etiamsi veniat prius, res enim clara est, quòd ignis facit bullire aquas, neque potest errari in ea, idcirco rationem non habuere prioris & posterioris. תבעה significatio ebullitionis, eoquod aquae in ebullitione sua faciunt ascendere bullas, idcirco ebullitio enunciata est cum vocabulo

bulo isto. Possumus etiam intelligere id metaphoricè de pugnis, quas pugnavit Deus pro Israelitis adversus hostes eorum, & dicat *rupisti Coelos & descendisti, cap. sup. v.* 19. juxta illud *stellae e viis suis pugnaverunt cum Sisera. Jud.* 5. *v.* 20. & ita montes sine parabola regum nationum, & ignis, quemadmodum ait *Et erunt populi combustiones calcis, Jes.* 33. *v.* 12.

V. 2. *Quum faceres . . . . non expectabamus*: ea, quae fecisti nobiscum, non expectabamus te facturum adeo terribilia, ut descenderes propter nos, & defluerent montes a facie tua.

V. 3. *Et a saeculo*: non audiverunt nationes Mundi, neque perceperunt auribus terribilia, quae fecisti nobiscum, neque audiverunt neque viderunt Deum praeter te, vult dicere, nullum alium Deum praeter te, qui faciat expectanti ipsum id, quod tu fecisti expectanti te. Jonatan vertit *A saeculo non audivit auris vocem fortium factorum, neque auscultavit eloquium tremoris: neque oculus vidit id, quod viderunt populus tuus, Majestatem gloriae tuae, Domine, quia nullus est absque te, qui facturus es justis populi tui, qui a saeculo sunt, qui expectant salutem tuam*. In Verbis Magistrorum nostrorum b. m. „ Dixit Samuel, omnes Prophetae non prophetaverunt nisi de diebus „ Messiae, verùm de saeculo venturo dicitur *oculus non vidit Deum* „ *praeter te, qui faciat expectanti ipsum*.

V. 4. *Occurristi gaudenti & facienti justitiam*: sunt qui dicunt occursum significare mortem, quasi dicat, abstulisti e Mundo justos, qui gaudebant in praeceptis tuis, & faciebant justitiam. Alii explicant *Occurristi*, suscepisti deprecationem justorum, & ita *non occurram homini. Jes.* 47. *v.* 3. i. e. non recipiam deprecationem hominum pro eis: igitur secundum binas haece expositiones sensus hujus versus est juxta illud *Periit misericors* (aut *probus*) *de terra, Mich.* 7. *v.* 2. Dixit, ipsi justi, qui faciebant observabantque praecepta tua cum laetitia, non sunt modò in Mundo, ut stent pro nobis in fractura, quemadmodum faciebant prisci. *in viis tuis recordabantur tui*, recordabantur tui in viis suis, quae sunt tresdecim proprietates seu attributa (*a*), quando irascebaris contra populum tuum propter iniquitates eorum, stabant justi coram te, quemadmodum fecit Moses in negotio vituli *Exod.* 32. & in negotio detractorum *Num.* 14. dixit enim *Dominus longus furoris, & multus misericordia, ferens iniquitatem, &c. Exod.* 34. *v.* 6. *&* 7. *Parce obsecro iniquitati populi istius &c. Num.* 14. *v.* 19. *ecce tu iratus, & peccavimus*, h. e. quando irascebaris contra nos propter peccata nostra coram te, *in eis saeculum, & salvabamur*, scilicet illis innitebamur omnibus diebus saeculi, quasi dicat, in omnibus & singulis generationibus, in quibus extiterunt justi, nos per eos salvabamur, quia orabant coram te pro nobis, at nunc in exilio defecerunt pii & justi, & omnes nos sumus ut immundus; non est quid-

(*a*) Hae sunt tresdecim Dei proprietates, vel attributa, de quibus *Exod.* 34. *v.* 6. *&* 7.

quam, nisi facias tu propter nomen tuum. *& peccavimus*, scilicet postquam peccavimus, sic *& vermiculavit vermes, & foetuit*, i. e. postquam foetuit *Exod.* 16. *v.* 20. item *& scissae sunt aquae*. h. e. postquam scissae sunt aquae *Exod.* 14. *v.* 21.

V. 5. *Et fuimus ut immundus:* vox עדים explicanda est ex Targum, in quo pro מספחת habetur עדיא *Lev.* 13. *v.* 2. Sunt qui exponunt, sicut panni mulieris parientis, ex lingua Targumica, in qua pariens dicitur מעדיא, postquam enim peperit, vestimenta ejus polluta sunt sanguine. Possumus etiam interpretari vestem laceram & consumptam; & ita in Verbis Magistrorum nostrorum, quorum memoria sit in benedictione „ & quae coitum patitur cum vestibus lace„ ris „ atque inferius „ Si in veste lacera, quae posita sit sub pulvina„ ri &c. (*a*) „ verùm significatio una & eadem est, quia vestimentum pollutum removetur ab hominibus (in abominatione habetur.) Ait igitur, nos derelicti sumus in exilio tanquam res immunda, vel tanquam pannus menstruatus, qui abjici solet. Sic *justitiae nostrae*, etiam justitiae, quas facimus, non sunt acceptae, sed rejectae, quia nos non facimus eas, nisi ut gloriemur atque jactemus nos in illis, & ad mutuam invidiam, quapropter *decidimus veluti folium omnes nos*, ut folium, quod cadit, ita omnes nos cadimus, & ut ventus, qui aufert folium lapsum, sic auferunt nos iniquitates nostrae ad dispergendum nos in omnem angulum. Quoad grammaticalem structuram vocis ונבל, sunt qui dicunt esse ex conjugatione Niphal, & normam ejus esse debere וננבל, sed propter defectum primae radicalis rejectam esse motionem ejus ad Nun formativam Futuri. Alii dicunt esse ex conjugatione Hiphil, & juxta proprietatem ejus litteram Beth deberedaghesciari, sed punctum Daghesc mutatum esse in Kametz (h. e. litteram brevem mutatam esse in longam) veluti *Et coxit Jaacobus pulmentum: Genes.* 25. *v.* 29. ועוננו deest Jod formativa numeri pluralis ex scripto.

V. 6. *Et non est qui invocet nomen tuum:* quemadmodum faciebant homines sancti priores. *qui excitet se*, videlicet, & non est qui excitet se, negativa enim *& non* semel adhibita intelligitur repetita. *ad apprehendendum te*, h. e. mandata tua & vias tuas, postquam abscondisti faciem tuam. כי idem valet ac כאשר, veluti *Quum genueris filios*, *Deut.* 4. *v.* 25. ait igitur, postquam abscondisti faciem tuam, & dissolvisti nos propter iniquitates nostras, non est, qui invocet nomen tuum, neque qui excitet se ad apprehendendum te, quemadmodum faciebant priores, qui stabant in fractura coram te. ותמוגנו significatio liquefactionis & conculcationis: ait *in manu iniquitatum nostrarum*, quia non tu fecisti, sed iniquitates nostrae.

V. 7. *Et nunc Domine:* quamvis peccaverimus coram te, sumus tamen

(*a*) Ubi Majemon interpretatur עדים vestes, quibus mulier se abstergit post congressum cum marito suo.

men filii tui, & tu pater noster, pater autem non repellit filium, quamvis peccaverit ei. Nos sumus lutum, & tu fictor, figulus verò mutat lutum de vase in vas, ut rectum est in oculis ipsius figuli: sic nos sumus in manu tua, sed non ita caeterae gentes, quia non est providentia tua super eas jugis, verùm nos sumus in manu tua, ut lutum in manu figuli, cujus oculi sunt jugiter in luto, ex quo facit vas, & si rectum non sit in oculis ejus, iterum facit illud aliter, sic tu, oculi tui sunt in nos jugiter, visitasque opera nostra, & si peccaverimus, irasceris contra nos, quapropter nos sumus vas corruptum, convertere, & fac nos vas aliud, & ne recorderis in perpetuum iniquitates nostras, verùm considera, quòd nos omnes sumus populus tuus, & quamvis peccaverimus, non tamen egressi sumus e potestate tua, neque deseruimus nomen tuum magnum, neque respeximus ad Deos alios, idcirco remitte iniquitates nostras, & miserere nostri.

V. 8. *Ne irascaris Domine*: explicatum est.

V. 9. *Civitates sanctitatis tuae*: aspice civitates sanctitatis tuae, quae sunt ut desertum. Tzion & Jerosolyma, quae fuerant habitaculum gloriae tuae, modò sunt desertum & desolatio, quamvis post vastationem ejus iterum gentes aedificaverint eam, etenim quum non maneant Israelitae in ea, perinde est, ac si vastata sit ac desolata habitatoribus suis: praeterea quia per earum manus vastabitur procedentibus temporibus, venient enim Edomaei, & auferent eam de manu Ismaelitarum, & iterum vastabant eam, & hac in vicissitudine fuit a die migrationis Israelis ab ea.

V. 10. *Domus sanctitatis nostrae*: patres nostri laudaverunt te in ea, & fuit in combustionem ignis priori ac secunda vice, & adhuc ipsa manet in vastatione sua, quia aedificatus non fuit a saeculo locus Sanctuarii per manus gentium. *& omnia desiderabilia nostra*, fuit domus Sanctuarii, & modò est in desolationem plus bus abhinc annis.

V. 11. *Numquid super his*: quomodo poteris te continere super his, ut non miserearis? *tacebis*, siebis, proinde ac si non audias clamorem nostrum. *& affliges nos*, qui sumus afflicti in exilio per manum inimicorum: Jonatan vertit *Numquid super his confortaberis Domine? tu enim das terminum impiis, qui subjiciunt nos usque in saeculum.*

JESAIAE CAP. LXV.

1. QUaerendum me praebui illis, qui non interrogaverunt, inveniendum me praebui illis, qui non quaesierunt me: dixi, ecce ego, ecce ego, ad gentem, *quasi* non appellata sit cum nomine meo. 2. Expandi

manus meas omni die ad populum refractarium *contumacem*: euntes viam non bonam post cogitationes suas. 3. Populum irritantes me in facie mea jugiter: mactantes in hortis, & adolentes super lateres. 4. Manentes in sepulchris, & in desertis pernoctabunt *pernoctant*: comedentes carnem porci, & jus abominationum *in* vasis eorum. 5. Dicentes, appropinqua ad te, ne accedas ad me, quia sanctior sum te: isti sunt fumus in naso *furore* meo, ignis ardens tota die. 6. Ecce scriptum est coram me: non tacebo, donec reddam; & reddam in sinu eorum. 7. Iniquitates vestras & iniquitates patrum vestrorum simul, ait Dominus, qui suffiverunt super montes, & super colles probris affecerunt me: & remetiar opus eorum primum in sinum eorum. 8. Sic dixit Dominus, sicut quum invenitur mustum in botro, & dicit, ne corrumpas illud, quia benedictio in illo: sic faciam propter servos meos, ut non corrumpam totum. 9. Et educam de Jaacobo semen, & de Jehuda haereditantem montes meos: & haereditabunt eam electi mei, & servi mei habitabunt ibi. 10. Et erit Saron in habitaculum pecoris, & vallis Acor in accubitum armenti, populo meo, qui exquisierunt me. 11. Et vos derelinquentes Dominum, obliviscentes Montis Sanctitatis meae: parantes τῷ Gad mensam, & implentes τῷ Meni libamen. 12. Et numerabo vos in gladio, & omnes vos jugulationi incurvabimini, eo quod vocavi, & non respondistis, loquutus sum, & non audivistis: & fecistis malum in oculis meis, & ea, quae nolui, elegistis. 13. Quapropter sic dixit Dominus Deus, ecce servi mei comedent, & vos esurietis, ecce servi mei bibent, & vos sitietis: ecce servi mei laetabuntur, & vos pudore afficiemini. 14. Ecce servi mei cantabunt prae bono *laetitia* cordis: & vos clamabitis prae dolore cordis, & prae contritione spiritus ululabitis. 15. Et relinquetis nomen vestrum in adjurationem electis meis, & mori te faciet Dominus Deus: servis verò suis vocabit

nomen

nomen aliud *servos verò suos vocabit nomine alio*. 16. Qui benedicit se in terra, benedicet se in Deo veritatis, & qui jurat in terra, jurabit in Deo veritatis: quia oblivioni traditae sunt angustiae priores, & quia absconditae sunt ab oculis meis. 17. Quoniam ecce ego creo Coelos novos & terram novam: & non memorabuntur priores, neque ascendent super cor. 18. Quinimo gaudete & exultate usque in aeternum *in iis*, quae ego creo: quoniam ecce ego creo Jerosolymam exultationem, & populum ejus gaudium. 19. Et exultabo in Jerosolyma, & gaudebo in populo meo: & non audietur in ea amplius vox fletus & vox clamoris. 20. Non erit inde ultra parvulus dierum, & senex, qui non impleverit dies suos: quia puer filius centum annorum morietur, & peccator filius centum annorum maledicetur. 21. Et aedificabunt domos, & habitabunt: & plantabunt vineas, & comedent fructum earum. 22. Non aedificabunt, & alter habitabit, non plantabunt, & alter comedet: quia secundum dies arboris *erunt* dies populi mei, & opus manuum suarum consument *inveterabunt* electi mei. 23. Non laborabunt in vanum, neque generabunt ad perturbationem: quia semen benedictorum Domini erunt ipsi, & egressiones *prognati* eorum cum ipsis. 24. Et erit antequam invocent, & ego exaudiam: adhuc ipsis loquentibus & ego audiam. 25. Lupus & agnus pascentur sicut unus *simul*, & leo sicut bos comedet paleam, & serpens, pulvis panis ejus *& panis vel esca serpentis erit pulvis*: non nocebunt, neque corrumpent in universo Monte Sanctitatis meae, dixit Dominus.

COM-

COMMENTARIUS.

V. 1. Q*Uaerendum me:* nunc Deus respondens filiis exilii, ait quòd propter iniquitates patrum eorum, quae praevaluerunt, coluerunt enim cultum exterum, & propter iniquitates ipsorummet in exilio, transgressi enim sunt praecepta, sic prolongatum est exilium. Ait igitur, Quaerendum me praebui iis, qui non interrogaverunt, videlicet exquirendum (aut interrogandum) me praebui majoribus vestris, num forte exquisituri essent me, sed non interrogaverunt me. Geminat autem rem cum vocabulis diversis, immo triplicat, & quadruplicat, dicit enim *inveniendum me praebui*, pariter *dixi*, item *Expandi manus meas v. seq.* quod totum est ad roborandam rem, siquidem saepe saepius mittebat ad illos Prophetas suos, qui dicerent eis *convertimini ad me, & convertar ad vos, Malach. 3. v. 7.* & similia huic. *non appellata sit cum nomine meo*, proinde ac si appellata non sit cum nomine meo populus Domini, sic non respexit ad me.

V. 2. *Expandi manus meas*, ad recipiendum eos in poenitentia, si vellent: Jonatan vertit *Misi Prophetas meos omni die ad populum rebellem. non bonam*, vult dicere viam malam, talis enim mos est Linguae, veluti *statuet se in via non bona: Ps. 36. v. 5. quod non mundum est, Genes. 7. v. 2.* videlicet quod est immundum, & similia huic.

V. 3. *Populum .... in facie mea:* h. e. in Jerosolyma, etiam in domo Sanctuarii fecerunt abominationes. *in hortis*, ut mos eorum fuit, sub omni ligno frondoso. *super lateres*, in hora, qua urebant lateres, ponebant super illis suffitum Idolis.

V. 4. *Manentes in sepulchris*: scilicet ad interrogandos mortuos: Jonatan vertit *Qui habitant in domibus, quae aedificatae sunt ex pulvere sepulchrorum. & in desertis pernoctabunt*, in locis desertis ac vastatis morantur noctu, quod quidem ideo faciunt, ut appareant ipsis daemones juxta suam opinionem, etenim daemones apparent in vastationibus, illis, qui credunt in eos, sic ait *& deserta Israelis ad reducendum cap. 49. v. 6* in significatione desolationis: Jonatan vertit *& cum cadaveribus filiorum hominis morantur. carnem porci*, transgrediuntur quidquid prohibitum est in Lege. *& jus abominationum*, complectitur caetera omnia animalia immunda abominabilia & reptilia, quae omnia sunt detestanda & abominabilia. ופרק pro ומרק, veluti *& jus effunde: Jud. 6. v. 20.* haec est abstersio seu ablutio carnis, & eorum vasa conspiciuntur cum ista pinguedine (scilicet lardo) eisdem inhaerenti seu conglutinata, sic ut cognoscere quisque possit, quòd carnem suillam & abominabilem coxerunt in illis, si velint haec negare, & dicere, quòd non comederunt ea. Scriptum est ופרק, sed significatio eadem est, ac si scriptum sit ומרק.

V. 5. *Dicentes:* isti immundi & comedentes omne immundum dicunt

ei,

ei, qui est mundus, ego mundus sum magis quam tu. *appropinqua ad te*, quasi dicat, sta in temetipso, seu in loco tuo, ne appropinques ad me. *ne accedas ad me, quia* קדשתיך, scilic. sanctior sum te. *isti*, qui nimirum patrarunt opera mala haec, neque noverunt in seipsis, quòd malum patrarunt, faciunt ascendere fumum in naribus meis. *ignis ardens*, scilicet in naribus meis, vel in furore meo quotidiano contra eos & contra semen eorum post eos, idcirco multiplicabo exilium eorum filiis tempore multo.

V. 6. *Ecce scriptum*: peccatum magnum deletum non est, sed scriptum manet coram me, ut illius recorder jugiter, ideo non tacebo neque silebo, donec reddam, h. e. donec retribuam illis retributionem malitiarum patrum eorum conjunctam cum iniquitatibus ipsorummet in exilio, verùm radix & fundamentum est iniquitas patrum eorum, quae percrevit. *& reddam in sinu eorum*, quamvis redditurus sim retributionem eorum filiis ipsorum post eos, tamen ex nunc retribuam ipsismet, qui fecerunt malum: Jonatan sic vertit *Ecce scriptum est coram me, non dabo eis terminum in vita, sed reddam eis ultionem peccatorum ipsorum, & tradam morti secundae corpora eorum.*

V. 7. *Iniquitates vestras & iniquitates patrum vestrorum simul*: quasi dicat, conjunxerunt se istae cum illis, & prolongaverunt vobis exilium. *qui suffiverunt*, opere malo isto abnegaverunt me, & servierunt Idolis, idque est, quod ait *probris affecerunt me*, quando enim cultum exhibent Idolis super collibus, tunc probris me afficiunt, contemnunt, & abnegant, quia ego praecepi eis, ne servirent Idolis, is enim, qui servit Idolis, abnegat fundamentum (h. e. verum Deum, & veram religionem) *& remetiar opus eorum primum in sinum eorum*, primùm remetiar illismet opus suum in sinum ipsorum, ac postea filiis eorum. Primum scriptum est אל חיקם *v. 6.* & legitur על חיקם, hoc alterum verò scriptum est על חיקם, & legitur אל חיקם.

V. 8. *Sic dixit Dominus*: ait veluti coram filiis exilii, ne desperetis propter id, quod dixi, de redemptione, quia licèt redditurus sim vobis iniquitatem patrum vestrorum prolongando exilium vestrum propter iniquitates eorum unà cum iniquitatibus vestris, tamen non deseram vos, sed omnibus modis educàm vos de exilio, & reducam vos ad terram vestram, postquam completa fuerit mulcta vestra. Assimilat autem eos botro uvarum, qui maturuit ad exprimendum ex eo mustum, & si quis veniat ad perdendum illum, dicet ei socius ipsius, ne perdas eum, quia benedictio (a) (benedictionis Dei symbolum vel testimonium) inest, mustum enim inest, quod est benedictio ac bonitas; & quamvis in eo sint nuclei & cortex, in quibus non est benedictio, tamen propter mustum, quod inest, superesse faciunt. Sic Israelitae, quamvis inter eos sint peccatores, sunt tamen & justi, qui sunt benedictio Mundo, quorum causa non licet perdere eum, sed quemadmodum faciunt in botro, quem calcant, & exprimunt ex eo mustum, nucleos verò & cor-

(a) *Benedictionis* nomine Hebraeis dicuntur omnia, quibus alimur.

& cortices ejiciunt, ita faciet Deus in Israelitis, educet eos ab exilio, quum appropinquaverit eorum tempus, & repurgabit eos in itinere, ut scriptum est in prophetia Ezechielis *Et repurgabo ex vobis rebelles & praevaricantes in me, e terra peregrinationum suarum educam eos, & ad terram Israelis non veniet: Ezech.* 20. *v.* 38. Jonatan sic reddit hunc versum *Sic dicit Dominus: sicut inventus est Noachus justus in generatione diluvii, & dixi, quòd non disperderem illum, ut suscitarem saeculum ab eo, sic faciam propter servos meos justos, ut non disperdam omnia.*

V. 9. *Et edutam de Jaacobo semen:* videlicet semen benedictionis, quasi dicat, semen dignum Jaacobo: complectitur autem in generalitate Jaacobi decem Tribus. *& de Jehuda*, complectitur in eo etiam Binjaminum, quia regnum unum fuerunt, & migraverunt pariter. Facit autem mentionem utriusque migrationis, ne animum despondeant ne decem quidem Tribus, quae reversae non sunt, ex quo migraverunt in principio; facit igitur eas sperare, quòd adhuc revertentur ad terram suam, & possidebunt eam. Dum ait *montes meos*, vult innuere Tzionem, & Montem Domus, qui est in portione Jehudae.

V. 10. *Et erit Saron in habitaculum pecoris*: quemadmodum fuerat antea, nam Saron est locus pascui, ut scriptum est *Et super boves, qui pascebantur in Saron*, 1. *Par.* 27. *v.* 29. *& vallis Acor in accubitum armenti*, pariter in vallibus cubabunt armenta, quemadmodum antea faciebant, & multò melius, cubabunt enim confidenter, neque pavebunt ab hoste, & valles pariter erunt locus pascui. Facit autem mentionem vallis Acor, quia nomen turpe habebat ab initio, idcirco ait, non memorabitur amplius hujusmodi nomen, sed accubitum armenti vocabunt, vallem benedictionis, & ita dixit Hoseas *& vallem Acor in ostium spei: Hos.* 2. *v.* 15. Et cuinam erit universa haec benedictio? populo meo, qui exquisierunt me, non illis, qui dereliquerunt me, idcirco ait postea:

V. 11. *Et vos derelinquentes Dominum*: alloquitur viros generationis, qui serviebant Idolis, qui exterminabuntur propter impietatem suam ipsi & eorum anima, neque videbunt bonum Israelis venturum, quemadmodum ait *Et multi ex dormientibus in terra pulveris expergiscentur: Dan.* 12. *v.* 2. scilicet multi, non omnes illi, sed justi. השכחים nomen Toar: ait, obliviscuntur montem Sanctitatis meae, h. e. domum Sanctuarii, quum non offerant illi super eum oblationem. *parantes τῷ Gad mensam*, Gad interpretantur sydus, quasi dicat, offerunt uni ex syderibus. Dixit R. Moses Cohen, quòd est sydus justitiae, quia sic appellatur in Lingua Arabica. *& implentes τῷ Meni libamen*, pariter faciunt libamen vini, h. e. fusionem τῷ Meni, quod est nomen stellae. Sunt qui ita interpretantur: stellis, quae sunt numeratae. Hae verò sunt septem stellae.

V. 12. *Et numerabo*: voces similiter desinunt euphoniae gratia, veluti *Gad, exercitus superabit eum, Genes.* 49. *v.* 19. *& Ekron eradicabitur.*

bitur. Tzephan. 2. v. 4. quum enim dixiſſet τῷ *Meni* (numero) idcirco dicit Et numerabo vos colentes numerum ſtellarum, ſed numerabo vos gladio, neque deerit unus, & ita dicit *omnes vos jugulationi incurvabimini, eo quòd &c. & ea, quae nolui*, haec fuit rebellio ad irritandum me, quia elegiſtis ea, quae nolui.

V. 13. *Quapropter ſic dixit Dominus:* id, quod ait ſuperius, refertur ad illam generationem, in qua erat Propheta, ut explicavimus, in qua ſerviebant Idolis, ſi enim ad illos dixiſſet etiam ea, quae ſequuntur, nequaquam rectè ſe haberet hoc, quia illi migraverunt univerſi, quando migraverunt, juſti & impii, & etiam ex juſtis quidam interierunt in gladio, ut ſcriptum eſt *Dederunt cadaver ſervorum tuorum eſcam volatili Coelorum: carnem ſanctorum tuorum beſtiae terrae. Pſ. 79. v. 2.* ſed dum ait *Et numerabo vos in gladio* de iis, qui erant prorſus impii irritantes Deum in Idololatria, dicit, quòd non relictus eſt ne unus quidem ex illis, quin mortuus ſit in gladio, verùm alii migraverunt, juſti & non prorſus juſti, & quamvis mortui ſint nonnulli etiam ex juſtis, tamen Deus veritatis & non iniquitatis ſcivit id, quod fecit, neque datur imaginari & cogitare poſt eum. Quòd ſi dicamus, quòd haec paraſcia reſpicit aſcendentes ab exilio, ſicut ſcriptum eſt, quòd repurgabit eos, dum aſcendent ab exilio, non cohaeret cum eo, quòd ſcriptum eſt ſuperiùs, praetereaque cum eo, quod hìc dicit *& vos eſurietis*, quum non dicat *& vos* niſi de illis ipſis, de quibus antea loquutus fuerat. Quapropter rectum eſt in oculis meis, quòd hi verſus dicti ſint allegoricè de mercede ſaeculi venturi, dixerat enim initio innuens mulctam eorum in ſaeculo hoc *Et numerabo vos in gladio*, nunc autem ait innuens mercedem iſtorum in ſaeculo venturo *ecce ſervi mei comedent*, ſcilicet aſſequetur anima eorum intellectu praedita ſapientiam excellſam per ſcientiam Dei, quae aſſequutio delectabit animam, ut cibus & potus delectat corpus: & ita pariter dictum eſt allegoricè *O omnis ſitiens venite ad aquas, & cui non eſt argentum, venite, emite, & comedite, Jeſ.* 55. v. 1. pariter dictum eſt *audite audiendo ad me, & comedite bonum, cit. loc. v.* 2. totum hoc eſt parabola ſapientiae; item ſcriptum eſt *non famem panis, neque ſitim aquae, ſed audiendi verba Domini. Amoſ.* 8. v. 11. pariter *Sitivit anima mea ad Deum, Pſ.* 42. v. 3. & ita ſaepiſſime in Libro Proverbiorum. Magiſtri quoque noſtri f. m. eadem parabola ſignificaverunt mercedem ſaeculi venturi ejuſque poenam, & ad probationem attulerunt hoſce verſus, dixerunt enim Auctores Miſnae „ R. Elieзer dicit, convertere die uno ante mortem „ tuam: dixerunt ei diſcipuli ejus, quomodo ſcire poteſt homo, quo „ die moriturus ſit? reſpondit illis, eo magis convertatur hodie, fortaſſe „ enim cras morietur, & ita inveniemus omnes dies ejus in poenitentia „ Etiam Salomon dixit in ſapientia ſua *In omni tempore ſint veſtimenta tua candida: Eccl.* 9. v. 8. iſta ſunt poenitentia & opera bona. Dixit Rabban Jochanan filius Zachai parabolam de rege, qui invitavit ſervos ſuos, & non conſtituit illis tempus: prudentes & cauti,

qui erant inter eos, ornaverunt se, & stantes ad januam domus regis dixerunt, num domui regis aliquid deest? fatui verò, qui erant in illis, iverunt, & opus facientes dixerunt, num est convivium, in quo non sit labor? Repente quaesivit rex servos suos, illi ingrediuntur ornati, hi verò ingrediuntur adhuc polluti: laetatus est rex, quum obviam iret prudentibus, iratus verò est, quum obviam iret stultis, quapropter ait, illi sedeant & comedant, hi autem stent ac videant. Ziwai gener R. Meir in nomine ejusdem R. Meir dicit, ista ratione videbuntur tanquam ministri & servi, idcirco hi sicut illi sedeant, sed illi comedant, & hi esuriant, illi bibant, & hi sitiant, quia dictum est *Quapropter sic dixit Dominus, ecce servi mei comedent, & vos esurietis, ecce servi mei bibent, & vos sitietis &c.*

V. 14. *Ecce servi mei:* mos est convivarum, ut post cibum & potum ii, qui sunt laeti, gaudeant, & exultent, & eleveut vocem cum canticis; at clamor eorum erit in contrarium, quia elevatio vocis servorum meorum erit ex bonitate ac hilaritate cordis, elatio verò vocis vestrae erit ex dolore cordis & ex contritione spiritus, eritque vox vestra vox ejulatus.

V. 15. *Et relinquetis*: de mulcta corporis dicit id, quia mulctam animae nescit homo: sensus igitur est, quando moriemini morte corporis per gladium, relinquetis post vos nomen vestrum in adjurationem & in maledictionem. Contrarium eveniet justo, de quo scriptum est *Memoria justi erit in benedictionem: Prov.* 10. *v.* 7. at nomen vestrum memorabitur in maledictionem, quia electi mei maledicent in vobis (scilicet exemplo ac similitudine vestra) illum, quem maledicere volent dicentes, sit sic & sic, & mori te faciat Deus, sicut mori fecit talem & talem, ut dictitabatur de Tzidkia & Achabbo, quos combussit rex Babylonis, dictum enim est de istis *Et assumetur ex eis maledictio ab omni transmigratione Jehudae, quae est in Babylone, dicendo: ponat te Deus sicut Tzidkiam & sicut Achabbum, quos combussit rex Babylonis in igne. Jer.* 29. *v.* 22. Servos verò suos vocabit nomine alio, quorum contra erit nomen & memoria post ipsos in benedictionem, & benedicent se in illis, ut ait *In te benedicet Israel dicendo: ponat te Deus sicut Ephraimum & sicut Menassem. Genes.* 48. *v.* 20. *in adjurationem* idem ac in maledictionem, & ita dixit de muliere declinante (ad scortationem seu adulterium, h. e. de muliere adultera) *Ponat Dominus te in maledictionem & in adjurationem, Num.* 5. *v.* 21. quia in juramento commemorat homo maledictionem, quemadmodum dicere solet in juramento suo, sim sic & sic, si feci hoc. Jonatan והמיתך vertit *& faciet vos mori Dominus Deus morte secunda.*

V. 16. *Qui benedicit se*: & quando erit hoc, quòd maledicant electi mei impios? post exitum Israelis de exilio, tunc enim temporis pervenient impii ad consumptionem, siquidem *erunt omnes superbi & omnis faciens impietatem stipula, Malach.* 3. *v.* 19. *al.* 4 *v.* 1. quia tempore illo benedicens se in terra benedicet se in Deo veritatis,,

tis, etenim non supererit in Mundo alia fides & idololatria, in qua se benedicat homo, & per quam juret, sed in Deo & per Deum veritatis tantùm. Dicit autem *in terra*, quia in universo Mundo erit fides una, & haec erit fides Dei veritatis. אלהי אמן idem significat ac אל אמונה *Deut.* 32. *v.* 4. dictum enim est *Quia tunc convertam ad populos labium purum: ut invocent omnes ipsi nomen Domini, ut serviant ei humero uno. Tzephan.* 3. *v.* 9. מתברך quaerens benedictionem sibi, veluti *& benedicent se in semine tuo, Genes.* 22. *v.* 18. non dixit *Et benedicentur in te*. Benedicens verò se dicet, Deus veritatis benedicat me, sicut benedixit talem & talem justos; & ita non jurabunt ullum juramentum nisi per Deum veritatis, ut ait *quòd mihi incurvabit se omne genu, jurabit omnis lingua. Jes.* 45. *v.* 23. *quia oblivioni traditae sunt angustiae priores*, nam usque ad illud tempus non fuit Mundus absque angustiis & absque bellis, tempore autem illo erit pax in Mundo, ut ait *& loquetur pacem gentibus: Zach.* 9. *v.* 10. item ait *& contundent gladios suos in ligones, & hastas suas in falces, non elevabit gens contra gentem gladium, neque discent amplius bellum. Jes.* 2. *v.* 4. & usque adeo erit pax in Mundo, ut oblivioni tradantur angustiae priores. Dum verò dicit *& quia absconditae sunt ab oculis meis*, ostendit, quòd totum evenit a Domino singulis gentibus, non autem casu; & ita loquuti sunt Prophetae ex ore Domini de angustiis & bellis contra singulas gentes, antequam venirent.

V. 17. *Quoniam ecce ego:* prae magnitudine bonitatis ac felicitatis, quae erit, quodammodo erit Mundus novus, Caeli novi, & terra nova, ut ait *& non memorabuntur priores*, i. e. angustiae priores, ut diximus *vers. sup.* Sapiens verò Abrahamus explicat *Caelos novos* de expanso seu firmamento, ait enim, quòd Deus innovabit aerem bonum, ut sint filii hominis pingues, & vivant multos annos; item addet vim & virtutem terrae, ideoque erit quodammodo nova. Verùm si intelligendum esset hoc juxta explicationem ejus, foret id in omnibus populis, at Scriptura dicit *quia secundum dies arboris dies populi mei, infr. v.* 22. non populorum aliorum.

V. 18. *Quinimo gaudete:* dicet Deus Israelitis, gaudete & exultate usque in perpetuum prae nimia bonitate ac prosperitate, non dicet illis verbum aliud, h. e. ullum verbum malum, sed verbum hoc bonum. *quae ego creo*, scilicet innovo, res enim nova appellatur creatio, sicut *In principio creavit Deus &c. Genes.* 1. *v.* 1. *Et si creationem creaverit Deus, Num.* 16. *v.* 3. *quoniam ecce ego creo Jerosolymam exultationem*, ut sit nomen ejus Exultatio, & nomen populi ejus Gaudium. Facit mentionem Jerosolymae, quia licèt futura sit pax in universo Mundo, Jerosolyma tamen erit radix & fundamentum, ex ea enim exibit pax Mundo, & lex & via bona, cujus causa erit pax, ut dictum est de Rege Messia *& loquetur pacem gentibus: Zach.* 9. *v.* 10. pariter *Et ibunt populi multi, & dicent, venite & ascendamus ad mon-*

montem Domini, ad domum Dei Jaacobi, & docebit nos vias suas, & ambulabimus in semitis ejus: quia de Tzione exibit Lex, & verbum Domini de Jerosolyma. Jes. 2. *v.* 3. magnitudo verò bonitatis & pacis & prolongatio dierum in Jerosolyma & in terra Israelis tantùm erit, ut ait *stabilis erit mons Domus Domini in vertice montium, & elatus prae collibus, d. cap.* 2. *v.* 2.

V. 19. *Et exultabo in Jerosolyma:* idcirco erit nomen ejus Exultatio, ego enim laetabor in ea, propterea quod facient in ipsa voluntatem meam, & habitabit in illa Gloria mea: item populus ejus vocabitur Gaudium, gaudebo enim in illis, eo quod erunt servi mei & electi mei, & facient desiderium ac voluntatem meam. *vox fletus & vox clamoris*, quia flere solent homines in civitate propter mortuum intempestivè, aut propter interfectum, aut propter captivitatem, quam duxerint ex Urbe: totum id non erit amplius, quia gladius & bellum non erit ultra, & mors naturalis non eveniet nisi post annos longos, ut sit homo plenus diebus, quando morietur, adeo ut non lugeant propter eum, ut declaratur in versu sequenti.

V. 20. *Non erit inde:* h. e. de Jerosolyma. Haec autem est sententia lata pro universa terra Israelis, verùm Jerosolyma est radix ac fundamentum, quum sit caput regni Israelitici. Significatio verò dictionis *inde* est, quòd dum ait *Non erit*, vult dicere, non egredietur inde ad sepulturam. עול puer, infantulus, pro עולל. *& senex*, filius enim sexaginta annorum constitutus est in senectute, ideoque senex est, & nondum implevit dies suos, donec sit filius septuaginta annorum *Ps.* 90. *v.* 10. idque in tempore hoc, at in tempore illo non dicent de sene, quòd impleverit dies suos, donec fuerit filius trecentorum aut quingentorum annorum, & amplius, qualis fuit vita priorum generationum initio creationis Mundi in omnibus aut in particularibus tantùm. At in saeculo futuro (temporibus scilicet Messiae) erit in universo Israele, quia puer morietur in aetate centum annorum, videlicet si quis morietur in aetate centum annorum, quod erit propter iniquitatem ipsius, dicent de eo, puer mortuus est, quod quidem declarat dicens *& peccator filius centum annorum maledicetur*, quasi dicat, quòd maledictio Dei erit ei, & peccator dicetur aliquis, quando morietur in aetate centum annorum.

V. 21. *Et aedificabunt domos, & habitabunt* in illis per omnes dies, quibus stabit aedificium, & amplius: item plantabunt vineas, & comedent fructum earum per omnes dies, quibus producent fructum, ut postea declarat rem dicens:

V. 22. *Non aedificabunt.... quia secundum dies arboris*, quam plantabunt, sic erunt dies eorum, ut ait *non plantabunt, & alter comedet*. Dicit autem *populi mei*, & *electi mei*, quia istis tantùm miraculose erit prolongatio dierum, non etiam caeteris populis. Jonatan *quia secundum dies arboris* vertit *quia secundum dies arboris vitae*: probabile est, quòd respexerit in hoc ad id, quod dixerunt Magistri nostri b. m.

ad ar-

ad arborem vitae esse iter quingentorum annorum. *consument electi mei*, consument opus manuum suarum in diebus illis, ut ait *Non aedificabunt, & alter habitabit*.

V. 23. *Non laborabunt in vanum*: contra illud, quod ait in maledictionibus *& seretis in vanum semen vestrum, & comedent illud inimici vestri*. *Lev*. 26. *v*. 16. dicit illis, quòd omnis eorum labor erit in benedictionem, non enim veniet inimicus voraturus ipsorum laborem, neque adustio (uredo segetum) neque rubigo; *neque generabunt ad perturbationem*, quia non morientur eorum filii ipsis adhuc vivis, ne perturbentur ob eorum mortem. *& egressiones eorum cum ipsis*, per omnes eorum dies erunt filii seu prognati eorum cum ipsis, quia non morientur ipsis adhuc vivis: geminat rem cum vocabulis diversis.

V. 24. *Et erit*: contrarium illi, quod dictum fuit in eorum exilio *Operuisti cum nube te, ne transiret oratio*. *Thr*. 3. *v*. 44. *antequam invocent*, interdum antequam invocent, & interdum adhuc ipsis loquentibus.

V. 25. *Lupus & agnus*: jam exhibuimus explicationem in parascia *Et egredietur virga cap*. 11. *v*. 1. *& serpens, pulvis panis ejus*, ut fuit initio, non res alia, quasi dicat, non mordebit quempiam ex Israelitis, ut postea declaratur *non nocebunt, neque corrumpent in universo monte sanctitatis meae*, h. e. in terra Israelis. Sensus verò parabolae serpentis est, quòd non erit cibus ejus, nisi species, quae est ex pulvere, dictum enim est *quòd pulvis es, Genes*. 3. *v*. 19. de Israele verò quoad tempus illud dictum est *quia repleta est terra scientia Domini, Jes*. 11. *v*. 9. idcirco non erit pulvis, & consequenter non mordebit serpens calcaneum ejus.

JESAIAE CAP. LXVI.

1. Sic dixit Dominus, Coeli thronus meus, & terra scamnum pedum meorum: quae est ista domus, quam aedificavistis mihi, & quis est iste locus quietis meae?
2. Et omnia haec manus mea fecit, & fuerunt omnia haec, ait Dominus: & ad hunc respiciam, ad pauperem *humilem*, & percussum *contritum* spiritu, & trementem super verbum meum.
3. Mactans bovem percutiens virum, immolans agnum decervicans canem, ascendere faciens munus *offerens* sanguinem porci, adolens thus offerens ini-

iniquitatem *vanitatem*: etiam isti elegerunt vias suas, & in abominationibus eorum anima ipsorum delectata est. 4. Etiam ego eligam opera *facinora* eorum, & formidines eorum adducam eis, propterea quod clamavi, & non est qui respondeat, loquutus sum, & non audiverunt: & fecerunt malum in oculis meis, & ea, quae nolui, elegerunt. 5. Audite verbum Domini, o qui contremiscitis ad verbum ejus: dixerunt fratres vestri odio habentes vos procul arcentes vos, propter nomen meum, gravis est Dominus; at conspicietur in laetitia vestra, & ipsi pudore afficientur. 6. Vox tumultus de Urbe, vox de Templo: vox Domini reddentis retributionem inimicis suis. 7. Antequam doleret, peperit: antequam veniret dolor ei, (&) peperit masculum. 8. Quis audivit sicut hoc, quis vidit sicut haec? num efficietur ut pariat terra in die uno? num parietur gens vice una? nam doluit, etiam peperit Tzion filios suos. 9. Num ego matricem effringam, & parere non faciam? dicit Dominus: si ego sum qui parere facio, etiam claudam, ait Deus tuus. 10. Laetamini cum Jerosolyma, & exultate in ea omnes, qui diligitis eam: gaudete cum ea gaudio omnes, qui lugetis super eam. 11. Ut sugatis, & saturemini de ubere consolationum ejus: ut mulgeatis *exprimatis*, & delectemini a splendore gloriae ejus: 12. Nam sic dixit Dominus, ecce ego inclino ad eam tanquam fluvium pacem, & tanquam torrentem inundantem gloriam gentium, & sugetis: super latus portabimini, & super genua delectabimini. 13. Sicut vir, quem mater sua consoletur (eum:) sic ego consolabor vos, & in Jerosolyma consolationem accipietis. 14. Et videbitis, & gaudebit cor vestrum, & ossa vestra tanquam herba germinabunt: & cognoscetur manus Domini cum servis suis, & indignabitur inimicis suis. 15. Quoniam ecce Dominus in igne veniet, & tanquam turbo quadrigae ejus: ad convertendum in aestum iram suam, & increpationem suam in flammas ignis *ad reddendum in aestu iram suam, & in-*

increpationem suam in flammis ignis. 16. Etenim in igne Dominus judicio contendet, & in gladio suo omnem carnem *judicabit*: & multi erunt confossi Domini *a Domino*. 17. Qui ostendunt se sanctos, & ostendunt se puros in hortis post unam in medio, comedentes carnem porci, & abominationem, & murem: simul deficient, ait Dominus. 18. Et ego *ero cum* operibus eorum, & *cum* cogitationibus eorum *tempore* venturo, ad congregandas omnes gentes & linguas: & venient, & videbunt gloriam meam. 19. Et ponam in eis signum, & mittam ex eis evasores ad gentes Tarsis Pul & Lud trahentes arcum, Tubal & Javan: insulas longinquas, quae non audierunt famam meam, neque viderunt gloriam meam, & annunciabunt gloriam meam in gentibus. 20. Et adducent omnes fratres vestros de omnibus gentibus munus Domino in equis, & in curru *curribus*, & in lecticis *plaustris cameratis*, & in mulis, & in veredariis ad Montem Sanctitatis meae *in* Jerosolymam, ait Dominus: quemadmodum afferunt filii Israelis oblationem in vase mundo *ad* Domum Domini. 21. Et etiam ex illis sumam in Sacerdotes in Levitas, ait Dominus. 22. Quia sicut Coeli novi & terra nova, quos ego facio, stant coram me, dixit Dominus: sic stabit semen vestrum & nomen vestrum. 23. Et erit de mense in mensem, & de sabbatho in sabbathum: veniet omnis caro ad prostrandum se ad conspectum meum, ait Dominus. 24. Et egredientur, & videbunt *aspicient* in cadavera virorum praevaricantium in me: quia vermis eorum non morietur, & ignis eorum non extinguetur, & erunt nausea omni carni.

COMMENTARIUS.

V. 1. *Sic dixit Dominus:* nunc redit ad reprehendendum filios generationis suae impios, & coarguit eos ob victimas conjunctim cum operibus malis, quemadmodum reprehendit eos pariter in principio Libri *Ad quid mihi multitudo victimarum vestrarum? &c. cap. 1. v. 11.*

v. 11. Ait *Coeli thronus meus*, quasi dicat, ecquid opinamini, quòd ego habitem in domo, ad quam vos affertis victimas, quodque capiat me domus, sicuti capit corpus? non est hoc, quoniam Coeli sunt thronus meus, & terra scamnum pedum meorum, quemadmodum ait Salomon *ecce Coeli, & Coeli Coelorum non continent te, quantò minus domus haec, quam aedificavi?* 1. *Reg.* 8. *v.* 27. Ego quidem non praecepi de domo, ut habitarem in illa, neque de victimis, ut comederem eas, non praecepi, nisi ut firmarent ac dirigerent Israelitae cor suum ad me, essetque illis locus peculiaris, quem adirent precaturi, & oblaturi victimas, ut excitarent cor suum ad removendas cogitationes pravas, & ad comburendas eas juxta similitudinem rei combustae super Altare. Si verò malè agatis, & adeatis domum, & sacrificetis coram me, perdidistis intentionem, siquidem non est hoc praeceptum meum, neque vos facitis in hoc voluntatem meam, sed contrarium, irritatis enim me in hoc, idcirco ait *Coeli thronus meus*. Dum verò dicit *thronus meus*, non hoc sibi vult, quòd Deus benedictus sit corpus, ita ut sedeat in solio, verùm dicit id per similitudinem more regis, qui sedet super thronum, ejusque pedes sunt in scamno, & populo suo praecipit id, quod ei faciendum. Quum autem thronus nobilior sit scamno, ideo assimilavit Coelum throno, terram verò scamno pedum, h. e. scabello. Quidquid autem est in Coelo & in terra, est caussa omnibus, & omnia facta sunt per mandatum ac decretum ejus ex superioribus ad inferiora. *& quis est iste locus*, geminat rem cum dictionibus diversis.

V. 2. *Et omnia haec*: ne putetis, eoquòd dixerim *Coeli thronus meus, & terra scamnum pedum meorum*, quòd sint aeterni sicut ego, non sic, sed ego solùm aeternus sum, qui creavi & feci omnia haec, Coelos & omnem exercitum eorum, terram & omnia, quae in ea sunt. *& fuerunt omnia haec*, ego feci ea, & fuerunt, sicuti praecepi, & cum toto hoc, quòd ego sim excelsus super omnia excelsa, respicio tamen inferiora & humilia, & eos, qui solliciti sunt in verbis meis, ut subsistere faciant mandata mea, quamvis non afferant oblationem, nam is, qui non est peccator, opus non habet oblatione, & illorum oblatio, qui offerunt quidem oblationem, sed opera eorum mala sunt, non est in beneplacitum, sed in iniquitatem, ac de ista dicit:

V. 3. *Mactans bovem*: ait, is, qui mactat bovem, offerendi gratia coram me, & manet in iniquitate sua, ego reputo id, dum ille mactat bovem, quasi percutiat virum, ac moriatur, & ita immolans agnum offerendi gratia perinde facit, ac si decervicet canem, ut offerat illum in conspectu meo: item offerens munus coram me perinde facit, ac si offerat sanguinem porci ad conspectum meum, quia sunt veluti canis & porcus immundi, pariter adolens thus perinde agit, ac si offerat vanitatem & rem inanem coram me, h. e. rapinam, quae est iniquitas & vanitas. מזכיר suffire faciens, veluti *memoriale suffimentum Domino*. *Lev.* 6. *v.* 15. מברך offerens oblationem, veluti *Accipe quaeso*

quaeso oblationem meam, *Genes.* 33. *v.* 11. ubi ברכתי idem valet, ac מנחתי, pariter *accipe oblationem a servo tuo*. 2. *Reg.* 5. *v.* 15. item *ut salutaret eum in pace*, *& ut offerret ei oblationem*, 2. *Sam.* 8. *v.* 10. Dicit autem *decervicans canem*, quia canis non est filius mactationis, idcirco adhibuit vocabulum decervicationis, ut dictum est de primogenito asini *& si non redemeris*, *tum decervicabis ipsum*: *Exod.* 13. *v.* 13. & ita *& decervicabunt ibi vitulam*, *Deut* 21. *v.* 4. percutiebant enim eam cum securi e regione cervicis ejus; decervicatio verò significat excisionem cervicis. Lectio hujus vocis ערף est cum duplici accentu, hìc est participium, quia ut substantivum est penacutum, veluti *cervicem & non faciem*. *Jer.* 2. *v.* 27. *&* 18. *v.* 17. Memorat autem canem & porcum, quia canis dividit ungulam, quamvis non sit findens fissuram, porcus verò dividit ungulam simulque findit fissuram, ideoque est in utroque latus signale puritatis, & tamen sunt immundi; sic ipsi ostendunt in se latus operis boni, dum offerunt munus, & tamen sunt immundi in operibus suis pravis. Ait *etiam isti*, h. e. qui mactant bovem, & immolant agnum, etiam isti sunt ut is, qui decervicat canem, & offert sanguinem porci, quia elegerunt vias suas malas. *& in contaminationibus eorum anima ipsorum delectata est*, non in viis & in praeceptis meis, dixi enim eis *Ne contaminetis animas vestras*, *Lev.* 11. *v.* 43.

V. 4. *Etiam ego eligam opera eorum*: quandoquidem ipsi corrumpunt vias suas, etiam ego eligam corruptionem operum eorum, sic *& secundum opera vestra corrupta*, *Ezech.* 20. *v.* 44. & similia hisce, quae significant opus destructionis & corruptionis. *& formidines eorum*, scil. id, quod ipsi timent, h. e. gladium & famem, adducam super eos, propterea quod clamavi ad eos per Prophetas, ut converterem eos ad viam bonam, & non fuit, qui responderet, h. e. qui reciperet verba mea.

V. 5. *Audite* .... מנדיכם procul arcentes vos: propterea quod vos contremiscitis ad verbum Domini, odio habent vos, & procul arcent, iidemque dicunt propter nomen meum, gravis est Dominus, videlicet, gravis est super nos in praeceptis suis, quae mandavit nobis, veluti *& non simus graves super te*: 2. *Sam.* 13. *v.* 25. Illi dixerunt hoc propter Dominum, at ipse est Deus, qui apparebit ac revelabitur in laetitia vestra, qua laetabimini in salute ipsius, illi verò pudore afficientur; sed quando erit id? quando erit vox tumultus de urbe *vers. seq.* Quòd si veluti coram filiis generationis suae contremiscentibus ad verbum Domini dixit id, quemadmodum ait supra *& trementem super verbum meum*. *v.* 2. istud *& conspicietur in laetitia vestra* intelligendum erit de mercede animarum, ut explicavimus; vel quia futurum est, ut revivificentur in resurrectione mortuorum in diebus Messiae. Rectè etiam exponi potest, quòd dixerit id veluti coram ascendentibus ab exilio contremiscentibus ad verbum Domini.

V. 6. *Vox tumultus de Urbe*: tunc in diebus Messiae egredietur

vox tumultuosa de Urbe Jerosolyma super Gogum & Magogum, qui sunt hostes Domini, & ita dictum est in prophetia Zachariae *& Egredietur Dominus, & pugnabit contra gentes illas*: *Zach.* 14. *v.* 3.

V. 7. *Antequam*: vult dicere, quòd repentè veniet salus Israeli, & assimilat Jerosolymam matri, & Israelem filiis. Ait *masculum*, quia hic melior ac praestantior est, quàm foemina, & ob eum laetantur parentes ipsius magisquam ob foeminam, ita erit generatio illa, qua fiet eis salus. Dicit autem *Antequam doleret, peperit*, ac postea *num efficietur, ut pariat v. seq.* item *nam doluit d. v. seq.* quibus verbis innuitur, quòd salus veniet illis repente, veluti si pariat foemina, antequam veniat ei dolor; verùm antequam perficiatur salus, & priusquam congregentur omnes Israelitae in terram suam, & compleatur tranquillitas eorum, intererit parum temporis, ut dolores parturientis, quemadmodum ait *absconde te ut paululum momenti, donec transeat ira*. *Jes.* 26. *v.* 20. ut ibi exposuimus; & ita dictum est in prophetia Zachariae *& capietur civitas, & diripientur domus &c. cap.* 14. *v.* 2. & post dolores istos *egredietur Dominus & pugnabit contra gentes illas*: *cit. loc. v.* 3. pariter dictum est *in tempore vespertino erit lux*. *cit. loc. v.* 7. & hic est partus, postquam doluit, item dictum est *Et habitabunt in ea, & occisio non erit amplius*: *cit. loc. v.* 11. והמליטה partus enunciatus est cum vocabulo isto, & ita *Ibi nidificavit testudo, & peperit*, *Jes.* 34. *v.* 15.

V. 8. *Quis audivit.... num efficietur, ut pariat terra*: ארץ hic est generis masculei, sic *Et non ferebat eos terra*, *Genes.* 13. *v.* 6. יוחל ex conjugatione Hophal, siquidem etiam Verbum Hannosàph (*a*) invenitur intransitivum & transitivum; intransitivum, veluti *dolebunt populi*: *Joel* 2. *v.* 6. *& mulieri, quid doles? Jes.* 45. *v.* 10. transitivum, veluti *Vox Domini dolere facit desertum*: *Ps.* 29. *v.* 8. *Dolore afficiunt viae ejus in omni tempore Ps.* 10. *v.* 5. Vox verò היוחל est Verbum passivum ex transitivo, quia ex eo formatur conjugatio Hophal.

V. 9. *Num ego matricem effringam*, postquam assimilavit Tzionem mulieri parienti, ait, num ego matricem frangam, & non faciam parere? quasi dicat, num adducam mulierem super sellam parturientium, & non faciam eam parere? hoc rectum non est. Quòd si adducam Tzionem super sellam parturientium in bello Gogi & Magogi, in veritate faciam eam parere: per partum verò intelligitur salus. *si ego sum, qui parere facio, etiam claudam*, ego qui parere facio terras gentium usque ad tempus illud, tum claudam eas, ne pariant, quia magnitudo & gloria erit Israelitis tantùm. Jonatan vertit *Ego Dominus creavi Mundum a principio, dicit Dominus: ego creavi omnes homines, ego dispersi eos inter populos, ego quoque congregaturus sum captivitatem tuam, dicit Deus tuus.*

nus.

(*a*) Tertia conjugatio activa & passiva dicitur *Hannosaph* scilicet aucta, quia ad ipsius formationem additur litera *Hè* in principio, & in activa etiam *Jod* ante ultimam radicalem.

V. 10. *Letamini . . . omnes qui diligitis eam*: ſcilicet in exilio, juxta illud *Quia gratos habuerunt ſervi tui lapides ejus*: *Pſ.* 102. *v.* 15. tunc in congregatione captivitatum laetabimini ob eam, & gaudebitis in medio ejus, videbitis enim reaedificationem ejus, ſicuti vidiſtis deſtructionem ejus, & luxiſtis propter eam, ſic laetabimi ob eam, & gaudebitis in medio ejus.

V. 11. *Ut*: luxiſtis ſuper eam, ut videretis laetitiam ejus, & ſugeretis & ſaturaremini de ubere conſolationum ejus, ſciebatis enim hanc futuram retributionem veſtram. *de ubere*, veluti *& ubere regum lactaberis*: *Jeſ.* 60. *v.* 16. שור idem ac שר cum Patach; eſt autem metaphora, qua vult ſignificare delectationem. תמצו ſignificat mulgere, exprimere. מזיו juxta locum ſuum idem valet ac זיו: Jonatan vertit *de vino gloriae ejus*.

V. 12. *Nam ſic dixit Dominus .... pacem*: h. e. pacem gentium, venient enim ex omni angulo ad rogandam pacem eorum, & afferent eis munus. Dum verò ait *tanquam torrentem inundantem*, non hoc ſibi vult, quòd nocebit, ſicuti nocet torrens inundans, ſed ſicuti torrens inundans velociter venit, ita venient illis gloria & divitiae earum velociter, & hac ratione intelligendum eſt illud *Aethiopia currere faciet manus ſuas Deo*. *Pſ.* 68. *v.* 32. *& ſugetis*, per ſimilitudinem, quemadmodum enim lactens ſugit lac abſque labore, ita vos comedetis gloriam gentium ſine labore veſtro. Poſtquam verò aſſimilavit eos lactenti in lactatione, rurſus aſſimilat eos pariter lactenti, quem ſicuti portat nutrix in ulnis ſuis, eique blanditur ſuper genua ſua, quod totum eſt officii nutrientis lactentem, ſic eritis vos portati in gentibus, & honorati in omnibus ſpeciebus gloriae & magnitudinis. תשעשעו ex conjugatione Pual, ex qua egreditur & formatur haec, ſic *Et delectabitur lactens Jeſ.* 11. *v.* 8.

V. 13. *Sicut vir, quem mater ſua conſoletur*: ſcilicet ob calamitatem aliquam, quae tranſierit ſuper eum, ſic ego conſolabor vos ex anguſtia exilii. *& in Jeroſolyma conſolationem accipietis*, quia ibi apparebit gloria mea ſuper vos; meminit autem matris, & non patris, quia foemina blanditur cum verbis melius quam vir.

V. 14. *Et videbitis .... & oſſa veſtra tanquam herba germinabunt*: contrarium illi *& ſpiritus triſtis exſiccabit oſſa*. *Prov.* 17. *v.* 22. quia ſicuti anxietas & gemitus exſiccarunt oſſa veſtra in exilio, ita, quum reverſi fueritis in Jeroſolymam, laetitia & gaudium germinare facient oſſa veſtra. את עבדיו *cum ſervis ſuis*, erit enim manus Domini cum illis in bonum, cum hoſtibus verò eorum in malum & in indignationem, idque erit in bello Gogi & Magogi. וזעם habet accentum in ultima, quia eſt Verbum, idcirco medietas una habet Kametz, & medietas altera habet Patach. Jonatan *& oſſa veſtra tanquam herba germinabunt* vertit *& corpora veſtra quaſi herbae ſplendebunt*.

V. 15. *Quoniam ecce Dominus in igne veniet*: ut ait in prophetia

Ezechielis *ignem & sulphur pluere faciam super eum & super exercitus ejus, Ezech.* 38. *v.* 22. *quadrigae ejus*, decreta ejus descendentia e Coelo ad convertendum in aestum iram suam, quae non fuit usquemodo tam magna super omnes gentes, nunc convertet eam in aestum, nam חמה est quid majus, quàm אף, quia חמה significat calorem & aestum, etenim quando praeditus ira calefacit se in re, ob quam irascitur, indignatio ejus magna est, eaque ratione reddit Jonatan *ut convertat in iram indignationem suam*. Dominus verò pater meus b. m. interpretatur להשיב *ad succendendum*, ex שביב scintilla ignis, estque juxta formam illius *ut vilipenderet omnes inclytos terrae. Jes.* 23. *v.* 9. & si hoc est cum Chirek, illud cum Tzere, idem tamen est.

V. 16. *Etenim in igne Dominus judicio contendet*: נשפט Niphal intransitivum, & est Kametzatum: ait, quòd judicio contendet cum Gogo & Magogo in igne, ut ait in prophetia Ezechielis *Et judicio contendam cum eo in peste & in sanguine &c. Ezech.* 38. *v.* 22. *& in gladio suo*, id est, quod ait ibidem *gladius uniuscujusque in fratrem suum erit cit. loc. v.* 21. hic verò est glaudius Domini. *omnem carnem*, ut dictum est in prophetia Zachariae *Et congregabo omnes gentes contra Jerosolymam in praelium*, *Zach.* 14. *v.* 2.

V. 17. המתקדשים: plerique Expositorum sic interpretantur, isti sunt, qui se ostendunt sanctos in opere manuum suarum, quod faciunt, & appellantur hoc vocabulo. ומטהרים proprietas ejus deberet esse והמתטהרים, quia est ex conjugatione Hitpael, ut המתקדשים, ac talis est significatio ejus, ut significatio conjugationis Hitpael, juxta illud *& benedicet seipsum in corde suo, Deut.* 29. *v.* 19. quia non est benedictus, sed maledictus, verùm se arbitratur benedictum in corde suo, eoquòd putet, se ita fore benedictum, & ita *quàm qui ostendit se gloriosum, & caret pane. Prov.* 12. *v.* 9. videlicet ostendit se gloriosum ac divitem, sed talis non est, quia caret etiam pane. Ita sanctificantes se, ostendunt seipsos tanquam sanctos, & sunt immundi, & ita purificantes se; isti verò sunt Ismaelitae, i. e. Turcae, qui purificant corpora sua, & lavant se frequenter, sed sunt immundi in operibus suis pravis inquinatis & spurcis, & tamen ostendunt se puros, at non sunt tales. *in hortis*, scilicet in piscinis aquarum, quae sunt in hortis. *post unam in medio*, post piscinam magnam peculiarem in medio horti, vadunt post eam, & ibi lavant corpus suum, eorumque opera turpia sunt ibi propter scortationem. Scriptum autem est אחד, sed legitur אחת, quasi dicat, ubi est fons, aut piscina; fons enim est generis masculei, & piscina generis foeminei. Sunt etiam qui exponunt *post unum lucum in medio horti*; verùm temporibus hisce non sunt colentes lucum, nisi forte existunt in extremitate terrae. *comedentes carnem porci & abominationem & murem*, hi sunt Christiani, quia Ismaelitae, i. e. Turcae, hodie non comedunt abominationem & mu-

mures. *simul deficient*, Christiani & Ismaelitae tunc exterminabuntur in bello Gogi & Magogi, etenim duo regna ista praevalent in Mundo in tempore hoc, & utrumque est regnum quartum in visione Danielis; utrumque verò reputatur ut regnum unum, quia neutrum unquam dominatum est solum, quin scilicet dominatum sit etiam alterum in Mundo. Expositio verò illorum, qui interpretantur hunc versum de Israele, recta non est, argumentum enim hujus parasciae non respicit nisi futurum, h. e. dies Gogi & Magogi, neque hodie inter Israelitas sunt comedentes carnem suillam, & colentes lucos. Jonatan vertit *Qui se praeparant ac lustrant in hortis Idolorum turba post turbam, comedentes carnem suillam & abominationem & murem, simul consumentur, dicit Dominus.*

V. 18. *Et ego*: ego ero cum operibus & cogitationibus eorum, scilicet populorum istorum ostendentium se sanctos. Ait *tempore venturo, ad congregandas omnes gentes*, quasi dicat, ego in causa ero, ut veniant omnes populi cum Gogo & Magogo videndi gratia gloriam meam, qua glorificabor in ipsis, quemadmodum dictum est in prophetia Ezechielis *Et ponam hamos in maxillis tuis*, *cap.* 29. *v.* 4. item *& exire faciam te*, *cap.* 38. *v.* 4. *& ascendere faciam te .... & venire faciam te cap.* 39. *v.* 2. *ascendent verba super cor tuum*, *& cogitabis cogitationem malam*, *cap.* 38. *v.* 10. quemadmodum ait etiam hìc *& cogitationibus eorum*, pariterque dictum est in prophetia Zachariae *Et congregabo omnes gentes contra Jerosolymam cap.* 14. *v.* 2. videtur inde, quòd Deus in causa erit, ac ponet in corde eorum, idcirco ait hìc *Et ego ero cum operibus eorum & cum cogitationibus eorum*. Dicit autem באה de tempore, quasi dicat, tempore illo futuro, & ita dictum est in prophetia Zachariae *Ecce dies venit Domino*: *d. cap.* 14. *v.* 1. eodemque sensu cum defectu vocis עת, *Ecce venit*, *& factum est*, quod dictum est ad hoc propositum in prophetia Ezechielis *cap.* 39. *v.* 8.

V. 19. *Et ponam in eis signum*: hoc est, quod dictum est in prophetia Zachariae *& oculi ejus liquefient in foraminibus suis*, *d. cap.* 14. *v.* 12. idque erit signum, quod ponet Deus. Illi verò, qui ad gentes ibunt, erunt testes de facinore magno, quod fecit Deus in exercitu Gogi & Magogi; sic istud *& mittam ex eis evasores ad gentes* idem est, ac illud, quod dictum est ibidem *Et erit omne residuum de universis gentibus venientibus contra Jerusolymam*, *& ascendent de anno in annum ad adorandum regem Dominum exercituum*, *& ad celebrandum festivitatem tabernaculorum*. *d. cap.* 14. *v.* 16. quia Deus superesse faciet eos, ut annuncient gloriam suam in gentibus, quae non venerunt Jerosolymam; istae verò sunt insulae remotae a Jerosolyma, quae non audierunt. Isti igitur erepti ac praediti signo ibunt per universas terras ad annunciandum. *& trahentes arcum*, isti sunt Turcae. *Tubal & Javan*, quamvis scriptum sit, quòd Gogus erit princeps, tamen Messec & Tubal unà venient cum eo. At quomodo dici poterit, quòd il-

li

lis annunciabunt nuncii? hoc esse non potest, nisi supersint in eorum terra multi ex populis. Igitur intelligendum est, quòd ibunt belligerantes, & nuncii annunciabunt iis, qui supererunt in ipsorum terra.

V. 20. *Et adducent:* Israelitas illos, qui superfuerint in insulis longinquis, quin ascenderint cum fratribus suis, populi illi, quorum in medio sunt, quum audierint prodigium hoc magnum, quod fecerit Deus in Castris Gogi & Magogi, afferent in equis & curribus munus Domino, & adducent eos indutos vestibus decoris, equitantes in equis, vectosque curribus, quemadmodum afferunt Israelitae oblationem in vase mundo ac puro ad Domum Domini, ita gentes adducent Israelitas cum vestibus mundis ac pulchris, & in curribus pulchris & honoratis. ובצבים intelligendum juxta illud *sex plaustra* צב *Num.* 7. *v.* 3. quam vocem Chaldaeus Interpres reddit *singulatim tecta*: ea verò sunt vasa seu instrumenta ex lignis simul compactis, in quibus gestantur homines super dorsum animalium, quae intus ornantur aulaeis pulchris. *& in veredariis*, hi sunt cameli, aut alterius speciei animalia, in itinere faciendo levissima, donec ob nimium cursum tandem videntur quodammodo subsilire, quapropter vocantur כרכרות, quasi saltantes, veluti *& David* מכרכר, i. e. *saltabat*, 2. *Sam.* 6. *v.* 14. quam vocem Jonatan vertit *laudabat*, quemadmodum vertit etiam hìc *& in laudationibus. ad Montem Sanctitatis meae*, על pro אל, veluti *& oravit ad Dominum*, 1. *Sam.* 1. *v.* 10. *Et abiit Elkana in Ramam ad domum suam*; 1. *Sam.* 2. *v.* 11. & similia hisce, ubi על stat pro אל.

V. 21. *Et etiam ex illis*: h. e. etiam ex illis, qui fuerint submersi in gentibus in insulis remotis, adeout ignoretur memoria eorum, neque ascenderint cum fratribus suis domo Israelis ab exilio, ac propterea verosimile est, quòd aliqua ex parte immutaverint Legem, tamen ex illis sumam in Sacerdotes & in Levitas, scilicet illos, qui jam fuerant ex familiis Sacerdotalibus ac Leviticis, sumam, inquam, eos in Sacerdotes, ut sint Sacerdotes ministrantes coram me, & in Levitas, ad ministrandum more Levitarum, videlicet ad cantandum in canticis in citharis & in nabliis. In Verbis Magistrorum nostrorum b. m. sic habetur „ Et etiam ab eis sumam id, quod afferent, oblationem scilicet „ eorum, & ipsos venientes ad me, quorum quidem unus erit Israeli„ ta, alter Sacerdos, alter Levita, quandoquidem venditi sunt in ser„ vos, & obliti sunt conditionis suae, & inviti facti sunt ghoim. Di„ xit R. Eliezer *Etiam ex illis sumam*, videlicet ex illis, qui addu„ cent Israelitas ad regem Messiam, quisquis erit Israelita, aut Sacer„ dos, aut Levita, etiam ex illis sumam, videlicet ex adducen„ tibus & ex adductis „ Jonatan vertit *Et etiam ex eis applicabo, ut sint Sacerdotes & Levitae, dixit Dominus*. Dominus verò Pater meus, cujus memoria sit in benedictione, ita interpretatur „ Et etiam ex il„ lis sumam in Sacerdotes & in Levitas, videlicet pro usibus Sacerdo„ tum, ut pro illis ligna caedant, & aquam hauriant, ut dictum est

„ in

„ in prophetia Zachariae *Et non erit Cananaeus ultra in domo Domini*, „ *Zach.* 14. *v.* 21. ubi intelligit Gabaonitas, qui excidebant ligna & „ hauriebant aquam, quia ex Magnatibus gentium erunt, qui servient „ Sacerdotibus „

V. 22. *Quia ſicut Coeli novi*: vocat eos novos, quia permanent in novitate ſua, neque veteraſcunt, quales enim fuerunt in die, quo creati ſunt, tales hodie ſunt, ac tales erunt: terra item permanet in novitate ſua, neque veteraſcit, niſi quòd generationes ejus veteraſcunt, ut ait Salomon *Generatio vadit, & generatio venit, terra autem in ſaeculum ſtat. Ecc.* 1. *v.* 4. Illud *coram me* ſignificat, quòd ego ſum cauſſa ſubſiſtentiae ac durationis eorum; illud verò *quos ego facio* ſignificat, quòd ego perſiſtere facio in novitate ſua. Ita igitur ſubſiſtet ſemen veſtrum ac nomen veſtrum; ac ne forte putetis, quòd in diebus quidem veſtris futura ſit redemptio, ſed ſimul timeatis, quòd ſemen veſtrum migraturum ſit de terra ſua, & nomen eorum periturum ſit in exilio, dico vobis, quòd non erit id, quia in ipſa felicitate, qua eritis vos, manebit ſemen veſtrum poſt vos per omnes dies ſaeculi ſecundum dies Coelorum ſuper terram, etenim non peribit unquam nomen Iſraelitarum, neque migrabunt amplius de terra ſua, ut opinati ſunt populi illi, qui venerunt cum Gogo & Magogo ad pugnandum contra Jeroſolymam, ſiquidem exiſtimaverunt, ſeſe deportaturos Iſraelitas, ac perdituros nomen eorum, idcirco ait *Quia ſicut &c.* Non erit, ſicut ipſi opinati ſunt, quia in ſaeculum ſtabit ſemen eorum, ſicuti manent Coeli & terra.

V. 23. *Et erit de menſe in menſem*: מדי חדש בחדשו pro מחדש לחדש, & dictio די oſtendit continuationem rei abſque ceſſatione. Commemorat autem duo tempora, breviora pro illis, qui minus abſunt, longiora pro illis, qui longius abſunt, veluti de anno in annum, aut amplius, juxta majorem aut minorem terrarum diſtantiam a Jeroſolyma. *omnis caro*, ſcilicet omnes filii hominis, & etiam caeteri populi, ſic *& benedicet omnis caro nomini ſanctitatis ejus*, *Pſ.* 145. *v.* 21. & re quidem vera vidimus in prophetia Zachariae, quòd omnes, qui ſupererunt ex univerſis populis venientibus contra Jeroſolymam, aſcendent de anno in annum ad incurvandum ſe regi Domino exercituum, & ad celebrandum feſtum Tabernaculorum *Zach.* 14. *v.* 16. ubi facit mentionem feſti Tabernaculorum, propterea quod bellum Gogi & Magogi erit in tempore iſto.

V. 24. *Et egredientur, & videbunt*: populi illi, qui venient ad incurvandum ſe de menſe in menſem aut de Sabbatho in Sabbathum, egredientur extra Jeroſolymam ad Vallem Jehoſaphati videndi cauſa cadavera exercituum Gogi & Magogi, qui praevaricati ſunt in Deum, & putaverunt ſe deportaturos Iſraelitas de terra ipſorum, quod erit prope diem Judicii. Et quamvis ſcriptum ſit, quòd ſepellient eos Domus Iſraelis *Et ſepelient eos Domus Iſraelis, ut mundent terram*,

ſe-

septem mensibus. *Ezech*. 39. *v*. 12. probabile tamen est, quòd in illis septem mensibus visuri sint judicium impiorum illorum, quia vermis eorum non morietur, & ignis eorum non extinguetur, videlicet ignis erit in signum in eis, & vermis pariter erit in signum, quòd non morietur propter ignem. *& erunt nausea omni carni*, scilicet illis, qui venient ad incurvandum se Domino, ut ait *veniet omnis caro ad prostrandum se ad conspectum meum*. *vers. sup.* qui quum egredientur, ac videbunt in illis judicium decretum in ipsos, & aspicient cadavera eorum plena vermibus vorantibus ea, & ignis ardens in illis ascendere faciet foetorem eorum, tandem fastidio affecti abibunt e conspectu eorum, postquam viderint judicium, etenim non poterunt manere ibi horam ob nimium foetorem. Dictio דראון significat contemptum, fastidium, nauseam, & ita *ad contemptum saeculi*. *Dan*. 12. *v*. 2. sed habita ratione radicis significat vermem ex lingua Magistrorum nostrorum b. m. „ Vermis & pediculus non obsunt, quia eis non inest humi- „ ditas „ Sunt qui interpretantur, quòd erit judicium adversus praevaricatores Israelis, egredientur enim justi extra Jerosolymam ad vallem filii Hinnom, ibique videbunt in praevaricatoribus hoc judicium. Pariter sunt, qui interpretantur, quòd hoc erit post revivificationem mortuorum, etenim expergiscentur etiam impii, qui erunt, postquam experrecti fuerint, in contemptum saeculi, ut scriptum est in Daniele *cap*. 12. *v*. 2. Alii denique dixerunt, quòd illud *& ignis eorum non extinguetur* indicat, quòd anima quum separata fuerit a corpore suo, si non erit digna ascendendi ad Angelos Dei, relinquetur apud sphaeras ignis. Illud verò *vermis eorum non morietur* dicit, ut iidem interpretantur, de corpore, quia dixerat *cadavera virorum*: at rectior in oculis meis est interpretatio illa, quam attulimus. Jonatan ita reddit hunc versum *Et egredientur, & videbunt cadavera virorum peccatorum, qui praevaricati sunt in verbum meum, quia animae eorum non morientur, & ignis eorum non extinguetur: & erunt impii judicati in Gehenna, donec dicant super eos justi, satis vidimus*. ubi interpretatur vocem דראון tanquam duas voces די ראון, h. e. *satis vidimus*.

Benedictus Deus, qui creavit montes & colles,
Et largitus est nobis de virtute sua ad absolvendum librum salutum:
Ipse exhilarabit nos nunciis bonis & auditionibus,
Et ostendet de Lege sua mirabilia,
Et ostendet nobis signum in bonum,
Et appropinquabit nobis finis miraculorum.

SPHALMATA TYPOGRAPHICA

Culpa Typographi, qui praetermisit correctiones suorum Sphalmatum, irrepserunt sequentes errores. Si qui alii occurrent, humanus & prudens Lector emendabit.

Pag. 2. lin. 21. Jehudaerum leg. Jehudaeorum. lin. 26. effectus leg. affectus. ibid. sex leg. rex. pag. 3. lin. 15. constat leg. constat. pag. 6. lin. 31. refractari leg. refractarii. pag. 7. lin. 8. afficientur leg. afficientur. pag. 8. lin. 43. maleficorum leg. *maleficorum*. pag. 9. lin. 29. *tordis* leg. *cordis*. ibid. lin. 38. vestram leg. vestra. pag. 10. lin. 26. pluria leg. pluvia. ibid. lin. 41. causia leg. caussa. pag. 12. lin. 11. reomenias leg. neomenias. ibid. lin. 22. eum leg. me. pag. 13. lin. 17. calore leg. colore. ibid. lin. 25. *mulieribus* leg. *hominibus*. ibid. lin. 33. *rebellis* leg. *rebelles*. pag. 14. lin. 20. peroctare leg. pernoctare. ibid. lin. 44. exaudiant leg. exaudiunt. pag. 15. lin. 13. stanuum leg. stannum. pag. 18. lin. 21. loquibur leg. loquitur. pag. 19. lin. 2. meas leg. suas. pag. 21. lin. 10. tetrae leg. terrae. pag. 25. lin. 30. ab leg. ob. pag. 26. lin. 17. nostrum leg. nostrorum. ibid. lin. 25. aucteres leg. auctores. ibid. lin. 37. filium Cosri leg. in domo Caesaris (1). ibid. *consiliarum* leg. *consiliarium*. ibid. (*a*) Chaldacum leg. Chaldaeum. pag. 27. lin. 2. tradunt leg. traduntur. ibid. lin. 14. raborabunt leg. roborabunt. ibid. lin. 26. fratem leg. fratrem. pag. 29. lin. 13. fiet leg. fiet. pag. 30. lin. 24. invenet leg. inveniet. ibid. lin. 36. atterritis leg. atteritis. p. 31. lin. 6. ostendebat leg. ostendebant. ibid. lin. 39. suberbi leg. superbi. pag. 32. lin. 18. basanum leg. balsamum. ibid. lin. 19. quas leg. quos. pag. 35. lin. 36. ab leg. ob. ibid. (*a*) gloiam leg. gloriam. pag. 41. lin. 29. affodit leg. effodit. pag. 44. lin. 20. *magnantes* leg. *magnates*. ibid. lin. 31. arent leg. arant. pag. 45. lin. 29. praecationem leg. precationem. pag. 46. lin. 20. *laetabundas* leg. *laetabundus*. ibid. lin. 44. vestationes pingium leg. vastationes pinguium. pag. 83. lin. 24. quum permearent mare & transirent Jordanem leg. ut permeantibus mare & ut transeuntibus Jordanem (2). ibid. lin. 32. multiplicasti habita comparatione cum hostibus leg. multiplicasti scil. locupletasti opibus hostium (3) pag. 101. lin. 12. dicit leg. didicit. pag. 121. lin. 20. fovea leg. foveae.

(1) Legeram בי בן קוסרי pro קיסרי.

(2) Legeram cum Bet pro Caph.

(3) Legeram vocem משל *masal* pro *Missèl* propter Verbum *multiplicasti*.

I N D E X

RERUM NOTABILIUM.

A

B

C

D

Edom

E

G

H

I

ptio

Ra-

INDEX

VOCUM HEBRAICARUM.

פארים

F I N I S.